15

CAROLUS M.

ROMANORUM IMPERATOR,

ET

FRANCORUM REX,

ROMANO-CATHOLICUS,

LIBRIS IV.

EXPLICATUS, ET VINDICATUS,

Adversus


Christianum Nifanium, Lutheranum Bilfeldiæ Prædicantem, & Superintendent. cæterosq; horum temporum heterodoxos.

Accessit Labyrinthus Prædicantum, oppositus libello ejusdem Nifanij de Veritate Lutheranæ Ecclesiæ.

AUCTORE

Nicolao Schaten, S. J. Sacerdote.





NEUHUSII,

Imprimebat JOANNES TODT, Typographus Aulicus suæ Celsitudinis Paderbornensis.


MDCLXXIV.

Auguſtinus de vera Religione cap. 6.

Eccleſia Catholica, per totum Orbem validè, latèque diffuſa, omnibus errantibus utitur ad profectus ſuos, & ad eorum correctionem, cùm evigilare voluerint: Vtitur enim Gentibus ad materiam operationis ſuæ, Hæreticis ad probationem doctrinæ ſuæ, Schiſmaticis ad documentum ſtabilitatis ſuæ, Iudæis ad comparationem pulchritudinis ſuæ. Alios ergo invitat, alios excludit, alios relinquit, alios antecedit; omnibus tamen gratiæ Dei participandæ dat poteſtatem.

Tertullianus lib. de Præſcript.

Hæretici Scripturas obtendunt, & hac ipſa audacia quoſdam movent: in ipſo verò congreſſu, firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt.



Reverendissimo et Celsissimo Principi

FERDINANDO,

EPISCOPO PADERBORNENSI,

COADJUTORI MONASTERIENSI,

S. R. I. PRINCIPI,

COMITI PYRMONTANO,

LIBERO BARONI

DE FURSTENBERG.

FELICITATEM

Nicolaus Schaten Societatis Jesu.



Sisto Tibi, *CELSISSIME PRINCEPS*, CAROLUM MAGNUM, liberatum à calumnijs; sisto Catholicam Religionem vindicatam ab injurijs. Utrumq; non aliter, quàm justæ, & provocatæ defensionis scripto. Ausus est enim ex adversâ religione Lutheranus Prædicans, sparso in vulgus libro, palàm asserere, multisque velle probare, *Carolum*

Magnum Imperatorem, conditoremque primorum per Saxoniam Episcopatuum, (quos inter Tuus ille Paderbornensis cumprimis est illustris,) non fuisse unquam ex integro Romano-Catholicum, sed in quàm plurimis Religionis suæ dogmatibus Lutheranum. Id quidem scriptioni ejus tanquam palmare argumentum prætenditur, verùm ultrà progressus, grassatusque per omnes propè religionis controversias, insanè contendit, non modò Episcopos, & Pastores Catholicos, qui Carolum M. consecuti sunt, à doctrina Apostolica ad impios, ac nefandos errores, cum toto populo descivisse; sed & ipsum Carolum Magnum, dum fana & idola subverteret in Saxonia, simul cum Papistis, (ut nos vocat) ad novum superstitionis, & sacrilegum adeò idololatriæ cultum traduxisse Saxones, ac majores nostros. Quo equidem haud scio, quid aut contumeliosius in Carolum, aut iniquius in nos dici, scribique potuerit. Is Adversarij liber jactanter à suis exceptus, quantum religioni nostræ, tantum animis nostris vulnus impressit: tanquam non satis sit bona Catholicæ Ecclesiæ, ex quibus cum uxoribus & liberis vivunt, intervertisse, populumque, qui antiquitus à Carolo Magno jurisdictioni sacræ Paderbornensis Episcopi est assertus, subtraxisse, nisi ex suis etiam erroribus & maledicendi licentiâ nobis insultent. Sed habent hanc illi declamandi apud populum, scribendique libertatem, quæ nobis esse debet defendendi necessitas, ne approbata à nobis crederent, quæ non essent confutata, & silentium in consensum ducerent. Qua in re, ne quid Catholicæ Religionis nomen veritasque pateretur, magna Tibi pro vigilantis Episcopi munere sollicitudo fuit, mihique hanc refellendi operam commisisti, hortatorque fuisti, ut dum Carolinam historiam tractaremus, seponerem ea, quæ ad hunc adversarium confutandum

face-

facerent. Quod cùm ego pro ingenij mei tenuitate ſuſceperim, perfecerimque; cui potiùs, quàm Tibi, qui mihi auctor, adjutorque fuiſti, hoſce libros dedicarem? Satis hæc eſſe poterant, ut ſub Tuo judicio, & patrocinio collocarem: ſed aliæ mihi, ac duæ cumprimis graviores, potioreſque ſunt cauſæ.

Quarum prima, ac facilè princeps ſe mihi, ex ſublimi in Eccleſia, divinoque Epiſcoporum munere, obtulit. Sunt enim Epiſcopi Apoſtolorum ſucceſſores, quemadmodum Sacerdotes ex inferiori gradu locum diſcipulorum Chriſti tenent. Sunt Rectores Eccleſiarum ſuarum, quos *Spiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit Sanguine ſuo.* Sunt Patres filiorum ſuorum. Præclarè D. Auguſtinus: *Genuerunt te Apoſtoli, ipſi miſſi ſunt, ipſi prædicaverunt, ipſi Patres. Sed nunquid corporaliter nobiſcum ſemper eſſe potuerunt? nunquid uſque ad hoc tempus, nunquid uſque impoſterum? ergo illorum abſceſſu deſerta eſt Eccleſia? abſit. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij. Quid eſt, pro patribus tuis nati tibi ſunt filij? Patres miſſi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis filij nati ſunt, conſtituti ſunt Epiſcopi. Hodie enim Epiſcopi, qui ſunt per totum mundum, unde nati ſunt? ipſa Eccleſia patres illos appellat, ipſa illos genuit, & ipſa illos conſtituit in ſedibus Patrum.* Ipſa fecit illos Paſtores, & Doctores populorum. Pauli id voce clarum eſt: *Deus dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam verò Prophetas, alios Evangeliſtas, alios Doctores, & Paſtores in ædificationem corporis Chriſti, in conſummationem ſanctorum.* Id quod jam ante oraculo Jeremiæ promiſſum: *Dabo vobis Paſtores ſecundùm cor meum, & paſcent vos ſcientiâ & doctrinâ.* Et quia paſtores, etiam cuſtodes gregis ſui ſunt, ne quam ovem lupus rapiat: *Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Hinc Auguſtino teſte, *altior locus poſitus eſt Epiſcopis in Eccleſia, ut vinitori in vinea, conſidentque in throno ſuo, ut ipſi ſuperintendant,*

In Pſal. 44.

Pſal. 44.

Ad Eph. c. 4.

Jerem. 3.

dant, tanquam qui populum custodiunt. Demum Episcopi, (ut cætera gloriosa honoris, ac muneris nomina prætermittam) sunt cognitores, & supremi judices in Ecclesia, ad quorum tribunal, & judicium omnes religionis controversiæ, causæque Ecclesiasticæ deferuntur. Quemadmodum ex Apostolorum instituto & exemplo, in omnibus Concilijs controversiæ fidei ad eorum judicium delatæ sunt, ijque omnes & soli judices in Concilijs Oecumenicis subscripserunt; sicuti ad eos Reges & Imperatores hæc detulerunt, eorumque judicio se ipsos submiserunt. Quod cùm ex omni antiquitatis memoria, & omnium ætatum Concilijs, tum Caroli cumprimis Magni judicio factoque assertum est. Quapropter Capitularium lib. 5. Constantinum Magnum secutus introducit: *Illud enim*, inquit, *nobis ad exemplum reducendum est, quod in Ecclesiastica historia Constantinus Imperator Episcopis respondit: Deus constituit vos Sacerdotes, & potestatem vobis dedit, de nobis quoque judicandi, & ideo nos à vobis rectè judicamur; vos autem non potestis ab hominibus judicari: propter quod Dei solius inter vos exspectate judicium. Vos etenim nobis à Deo dati estis dij, & conveniens non est, ut homo judicet deos, sed ille solus, de quo scriptum est: Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit.* Et quæ unquam causa religionis oblata Carolo Magno, quam non vel ad Romani Pontificis, vel ad Episcoporum in Concilio judicium retulerit? aut quæ Synodus Carolina, quas quotannis celebrabat, cui non Episcopos, Abbates, & Comites, Regnique proceres in tres classes distributos, interesse voluerit? Haud alio Regum Francorum instituto, quàm ut Episcopi ea, quæ ad formandum Clerum, causasque religionis, Abbates quæ ad Monachorum disciplinam, Comites quæ ad populi mores legesque poscebantur, mixtâ Synodorum ratione pertractarent, deciderent-

derentque. Quemadmodum hæc Patres in Concilio Moguntino exponunt. Quanquam & longè conspectior apud Carolum Episcoporum auctoritas, æstimatioque sapientiæ, quos Theodosij M. exemplo, & regum Francorum instituto, etiam civilium causarum judices renuntiavit, eamque quam Theodosius M. legem sanxerat per imperium ad interrogata Ablavij Ducis, Carolus in regno Franciæ sancitam voluit: Nimirum ut liberæ omnibus essent appellationes ad Episcoporum tribunal: Atq; ut *omnes causæ, quæ vel Prætorio jure, vel civili tractantur, Episcoporum sententijs terminatæ, perpetuo stabilitatis jure firmentur. Nec liceat ulterius retractare negotium, quod Episcoporum sententia deciderit. Testimonium etiam, ab uno licet Episcopo perhibitum, omnes judices indubitanter accipiant. Nec alius audiatur, cùm testimonium Episcopi à qualibet parte fuerit repromissum. Illud est enim veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod à sacrosancto homine conscientia mentis inlibatæ protulerit.* Lib. 6. Capit. tit. 282. Et quæ non in hanc rem Theodosius, & Carolus religiosissimi Imperatores, Episcoporum auctoritati, venerationi, judicioque detulerunt? aut quam non partem muneris sui Carolus Magnus in administrando regno imperioque Episcopis commisit? Quid enim frequentius in Carolinis legibus, quàm ut Episcopi & Comites justitiam ex hoc præscripto administrent? Universim Carolus suum de Episcopis judicium ex D. Prospero complexus, lib. 5. Capitularium: *Illi,* inquit, *per Dei gratiam sunt divinæ voluntatis judices, Ecclesiarum Christi post Apostolos fundatores, fidelis populi duces, veritatis assertores, pravæ doctrinæ hostes, omnibus bonis amabiles, & malè sibi conscijs ipso etiam visu terribiles, vindices oppressorum, Patres in fide Catholica regeneratorum, prædicatores cælestium præmiorum, exempla bonorum, documenta virtutum, & forma fidelium.*

delium. Ipsi sunt decus Ecclesiæ, in quibus fulget Ecclesia; ipsi columnæ firmissimæ, quibus in Christo fundatis innititur omnis credentium multitudo: ipsi sunt januæ civitatis æternæ, per quas omnes qui credunt ingrediuntur ad Christum: ipsi janitores, quibus claves datæ sunt regni cælorum, ipsi dispensatores regiæ domus, quorum arbitrio dividuntur in aula regis æterni gradus & officia singulorum. Hæc Carolus, & ante eum Constantinus, & Theodosius Magni Imperatores, unaque SS. Patres de Episcopis, quorum ne nomen quidem adversarij in sua religione ferre possunt. At cùm ego hæc mecum expenderem, videremque Te, Celsissime Princeps, in hoc fulgentissimo Episcoporum ordine, omnibus Episcopi ornamentis, virtutumque splendore Antistitem longè conspicuum, ad quem potiùs in hac Religionis controversia appellarem, quàm ad Te? quem & Judicem æquum, & defensorem fidum, & patronum optimum habiturus essem, quando omnia in te magna, summaque, quæ in Principe, & Episcopo desideres, omnium doctrinarum & virtutum certamine concurrunt, ut divino prorsus munere huic sedi Carolinæ, & hac cumprimis tempestate destinatus, datusque Episcopus videri debeas. Habent hoc magni & illustres aliquando futuri in Ecclesia Præsules, ut à primis adolescentiæ annis Dei provisu deligantur, ejusque ductu, per destinatas providentiæ vias, ad sublime hoc in Ecclesia Christi munus perveniant. Ætatem si Tecum remetiaris à puero, quàm non hæc plena beneficijs cælestibus, & præsagijs etiam, si tua hæc modestia referre pateretur? Traductus à Parente, Archisatrapâ Ducatus Westfaliæ, priscæ Nobilitatis, familiæque Furstenbergicæ Barone, Bilstenij, ac Waldenburgi Dynastâ, unà cum fratribus à teneris annis ad humaniora studia, quæ tam expedito ad liberales artes omnes ingenio, quàm eminenti semper laude

de

de inter Tuos comprehendisti: posita nimirum tunc illa sunt fundamenta politioris literaturæ, quibus nominis Tui fama per Germaniam, Italiam, Galliam, Britanniam, Daniam, Sueciam, & Belgium, inter doctissimos hujus sæculi viros inclaruit. Quid enim illa erudita Poëmata Tua, toties inter *Illustres Poëtas* typis vulgata? Quid *Monumentorum Paderbornensium inscriptiones*, ex veteri Poëtarum vena? Quid ipsa Monumenta Paderbornensia, omnium antiquitatum, & rerum per Westfaliam gestarum compendium? Tuo hæc ingenio elaborata, tuo labore parta, tam ad plausum, quàm admirationem denuò aucta, & in lucem data, illustriora sunt ex maturioribus scientijs. Nam postquam Paderbornæ, & Monasterij Philosophiam, Coloniæ Theologiam, & Jus civile complexus, simulque in familiaritatem *Fabij Chisij*, qui tum ad Rhenum Legati Apostolici munere fungebatur, ingenij & doctrinæ commendatione venisti; atque ille haud multo pòst Cardinalis est renuntiatus, Romam te evocavit, & in consortium, doctorumque Virorum academiam introduxit: tum verò exsertum illud ingenium tuum Italis supra consuetudinem Germanorum probari extollique cœpit. Pòst ubi *Chisius* Pontifex Maximus *Alexandri VII.* nomine creatus est, Te in aulam suam adscivit, interque intimæ admissionis Cubicularios suos habuit. Ita verò dùm per novem annos Romæ in arce illa sapientiæ, & theatro orbis Christiani versatus es, quantam non juris Canonici scientiam, quantam non rerum Ecclesiasticarum peritiam, usumque Tibi comparasti? ubi vel ipsum *Alexandrum* Pontificem, virum sapientissimum, & in omni genere scientiarum eruditissimum, quotidie disserentem audire, omnium instar Professorum, Doctorumque esse potuit. Ob hanc virtutis doctrinæque æstimationem, Romæ absens à Tuis electus

Episcopus, & Princeps Imperij; Episcopatum juxta & Principatum, undique alienæ religionis potentia incinctum, ita in duodecimum annum administras, ut Te non minus in Principe, quàm in Episcopo Patrem Patriæ amplectantur Tui. Testis hæc ipsa imperij Tui felicitas, quæ in concordiâ Ordinum, publicæ pacis studio, vicinorum Principum amicitiâ, suavitate gubernationis, defensione Catholicæ religionis, templis ædificatis, instauratis, dotatis, & ornatis, Cœnobiorum fundatione, disciplinâ Cleri, populique, Tuorum amore, & quod omnium caput est, integritate vitæ virtutumq; æstimatione conspecta est: ut vel eò sidus prudentum & literatorum Principum, decus integerrimorum Episcoporum, *& forma gregis ex animo* aspiciaris: quæ nisi concurrant, *plus sæpe togæ, quàm loricæ læserunt Rempublicam*, ex Tertulliani judicio. Provocavit olim D. Augustinus *lib. 2. cont. Julian.* pro veritate religionis, ad doctrinam & vitam Episcoporum, qui aut sese antecesserant, aut cum eo celebres vivebant: *Quid tu,* inquit, *judices quæris, ut causam tuam purges? ubi tot sanctos Doctores egregios, atque memorabiles Catholicæ veritatis habes defensores, Irenæum, Cyprianum, Reticium, Olympium, Hilarium, Gregorium Nazianzenum, & Nyssenum, Ambrosium, Basilium, Joannem Chrysostomum, Innocentium, Hieronymum, cæterosque? quorum auctoritate ita fides defenditur, contra vos Pelagianos, sicut contra impios & Christi professos inimicos, ipsum defenditur Evangelium. Isti enim Episcopi sunt docti, graves, sancti, veritatis acerrimi defensores adversus garrulas vanitates; quod invenerunt in Ecclesia tenuerunt, quod didicerunt docuerunt, quod à Patribus acceperunt, hoc tradiderunt: nondum vobiscum apud vos judices aliquid agebamus, & apud eos acta est causa.* Damnati nimirum eorum scriptis, antequam nati erant *Pelagiani, Donatistæ,* & *Manichæi.*

Quemad-

Quemadmodum hæc multis contendit Augustinus adversus *Julianum*, Pelagianæ factionis hominem. Hunc in modum nos primùm provocamus ad *DD. Willibrordum, Suibertum*, & duodecim illos Apostolicos viros ex Anglia submissos, ad *DD. Bonifacium, Burchardum, Wigbertum, Sturmionem, Ludgerum*, magnos illos Gentium Doctores, per quos *Frisia*, vicinæque trans Rhenum provinciæ, Carolo Martello, & Pipino rege, Caroli Magni avo, & patre, barbari harum regionum populi excoli, & religio Christiana disseminari cœpit, sanguine etiam Sacerdotum & Martyrum irrigata. Provocamus deinde ad omnes Episcopos, quos Carolus Magnus debellatis gentibus Saxoniæ primùm imposuit, & qui eos professione, & defensione ejusdem Catholicæ fidei, usq; ad Lutherum, per non interruptam successionem, consecuti sunt Episcopi. Nimirum quotquot retro legendo, in Osnabrugensi Ecclesia, ad *D. Wihonem*; in Bremensi, ad *D. Willehadum, Ansgarium*, & *Rembertum*; in Monasteriensi, ad *D. Ludgerum, Gerfridum*, & *Alfridum*; in Halberstadiensi, ad *D. Hildegrimum*, D. Ludgeri fratrem, *Thiatgrimum, Haymonem*, & *Hildegrimum II.* In Mindensi, ad *Hercumbertum*; in Verdensi, ad *Suibertum*, magni illius Suiberti consanguineum; in Hildesimensi, ad *Guntherum*; in Paderbornensi nostra Ecclesia, ad *Hathumarum*, & *Baduradum*, quos Carolus Magnus ex nobilitate Saxonica obsides acceptos, D. Burchardo Herbipolensium Episcopo, in Christi religione excolendos transmiserat. Inde illi ex collegijs Canonicorum remissi ad Gentem suam, famâque sanctitatis conspicui, populos hujus diœcesis Christianas leges docuerunt. In hac Episcoporum Paderbornensium serie & successione, à Carolo Magno deductâ, post cæteros, immortali diœcesis hujus memoriâ, celebramus *Theodorum* magnum Patruum Tuum, à quo urbs ex-

Lib. 2. lib. 4. cont. Pelag. 2. Epist.

pugnata, rebellium factio extincta, & diœcesis à novatorum erroribus perpurgata est. Ex hac fundatissima Furstenbergica familia, Te *Ferdinandum* Episcopum, Patrui magni gubernandi prudentiæ, zelo religionis, meritis in patriam, & gloriæ vestigijs inhærentem, numeramus: ad quem mihi contra adversarium vel hoc ipso nomine provocandum, quòd is intra sacræ jurisdictionis Tuæ limites, antiquitus à Carolo Magno descriptos, *Superintendentem* sese, hoc est, *pseudo-Episcopum*, ferre audeat. Vetus quidem *Bilfeldia* locus, ubi hoc ille sibi munus sumpsit, quem D. Suibertus Carolo Martello Principe Evangelij causâ adijt, & miraculo, doctrinâque illustravit, multis tum etiam ab idolorum cultu ad Christi fidem adductis: quemadmodum hæc à D. Marcellino ejus collegâ, & adjutore Sacerdote perscripta sunt. Sed nec D. Suibertus Lutheranam unquam doctrinam istic tradidit, nec Carolus Magnus istic, nec ullus Cæsarum ex Pontificis auctoritate, unquam Episcopi sedem constituit, nec ullus eò loci Episcopus consedit: ut jam extra dubitationem omnem de Nifanio dixeris, quod Cyprianus de Novatiano ad Magnum scripsit: *Novatianus in Ecclesia non est, neque Episcopus computari potest, qui Apostolicâ traditione contemptâ, nemini succedens, à se ipso ordinatus est: aut quomodo pastor haberi potest, qui manente vero pastore, nemini unquam Episcopo ejus loci successit? O pastor & idolum*, inquit Vates sacer, qui vero etiam Pastori, ex hæreseos suæ scriptis insultare audet!

Hæc prima mihi ex Episcopi munere causa, cur hoc responsum meum justæ defensionis, ad tuum judicium, tutelamque deferrem. Altera mihi ex illustribus tuis scriptis, ac *Monumentis Paderbornensibus* oblata, quibus Tu Francorum res gestas per Westfaliam, & Saxoniam, omnemque antiquitatis

erudi-

eruditionem complexus, Carolum Magnum domitorem Saxoniæ, & Episcopatuum primorum conditorem introduxisti, multisque ex omni Annalium memoriâ ostendisti, non aliam à Carolo Magno religionem, quàm Catholicam per Episcopos, Sacerdotes, Monachos, & Apostolicos viros ab eo evocatos, esse traditam doctamque: qualem exinde per omnes ad Lutherum ætates Saxonia coluit. At quâ nunc fide hæc à Te scripta, aut quâ veritate hæc à Te asserta credi poterunt, si Carolum Magnum partim Catholicum, partim Lutheranum fallacissimo huic scriptori, ex falsissimo scriptionis argumento permittamus? mixturamque illam religionis, quæ cum Luthero primùm cœpit, Carolo Magno adscribi patiamur? nec hîc alius relinquitur stultitiæ error, aut dementandi homines licentia, quàm ut ex alia quavis secta quilibet, Carolum Magnum suæ sectæ vendicet. Ac ne de Romana religione controversia sit, Carolus Magnus quater Romam profectus, Saxoniam primùm Christo, & S. Petro obtulit, omniaque in ordinando religionis negotio, ex Hadriani, & Leonis Pontificum auctoritate, & consilio egit, ipsumq; Leonem Pontificem Paderbornæ ad se venientem, honorificentissimè excepit, ac postquam hîc apud nos altare D. Stephano, & in monte Martis Ecclesiam D. Petro consecrasset, circumductus est à Carolo per has Saxoniæ regiones, ad exornandam confirmandamque religionem Christianam, qualem Carolus Magnus ex Hadriani Pontificis præscripto invexerat. Hæc aliaque præclara in Tuis Monumentis eruditè, vereque perscripta leguntur, ut aut Te verum Episcopum nostrum, aut hunc ex nova Lutheri institutione maritum, ac pseudo-Episcopum, nos fallere necesse sit. Pari fide laborabit historia nostra Carolina, quæ secundùm Tua Monumenta, per res gestas Caroli Magni in

Saxonia contexta est, magnamque partem complectitur Romanæ religionis cultum, per Carolum & Episcopos introductum, Episcoporum labores, vitæ sanctimoniam, miracula, religionis sacra, Synodos, Leges, donationes, Sacerdotia; & cœnobia condita, Cleri, & Monachorum institutum, moresque, & quicquid Catholicam, & avitam Majorum religionem, pietatemque spirare potest. Quæ omnia ut nos ex sacra Majorum hereditate possidemus, ita apud illos hæresis hujus sæculi pervertit, & evertit. Contrà hic fructus simul propositus, ut quæ in historiæ narratione exponi non poterant, his de Carolo libris illustrata pleniùs cognoscantur, & si cui lubeat, etiam tanquam historiæ quædam præludia accipiantur. Poterant quidem hæc, quæ de Carolo pertractavimus, paucis dici, & suâ brevitate incingi, verùm quia adversarius tam multis Carolum Magnum Lutheranæ religioni obnoxium fecit, digressusque est in tot fidei controversias, per singula, quæ movit, paulò prolixiùs eundum fuit. Patere nunc, hoc qualecumque responsum cum tot libris, qui Tibi quotannis undique, tanquam Mæcenati, & doctissimo hujus sæculi Principi, ac Præsuli Germaniæ dicantur, in sinum patrocinij Tui & benevolentiæ deponi: nec aliud in his votum est meum, omniumque Tuorum, quàm ut Te Deus Gregi Tuo quàm diutissimè superstitem, & quàm felicissimè sospitem esse velit. Neuhusij, prid. Kal. Martias, Anno M DC LXXIV.

PRÆFA-

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

Paucis te benevole Lector convenire, & scriptionis hujus causam, rationemque exponere, necesse habeo. Scripseramus res gestas Romanorum, & Francorum per Westfaliam, *ad formam, & institutum, quo Monumenta Paderbornensia, à* FERDINANDO *Principe & Episcopo Paderbornensi, in lucem sunt data, versabamurq; in Carolo M. eâ tertiâ historiæ parte Saxoniam Christianam daturi, exposituríque, quibus Caroli M. bellis, & laboribus barbari Saxoniæ populi perdomiti, & à superstitione inanium deorum ad veram Christi fidem perducti sint. Cùm ecce nobis offertur importunum, & insolens scriptum, grandi satis libro contextum, quo scriptor probare contendit,* Carolum M. *non fuisse ex integro* Romano-Catholicum, *sed in plerisque fidei capitibus eam religionem coluisse, & in Saxoniam antiquitus introduxisse, quam post Lutherum, & Augustanam confessionem, modò Lutherani ex Lutheri doctrina profitentur. Libri inscriptio hæc est*: Ostensio historico-theologica, quòd Carolus M. in quàm plurimis fidei articulis non fuerit formaliter Papista. *Et quod inde toto libro inferre contendit*: in quàm plurimis articulis fuisse Lutheranum. *Vana falsaq; promissio, nec aliud, quàm novum, & inauditum hactenus* paradoxon, *non modò contra communem rectè sentientium opinionem, sed contra omnium etiam scriptorum, & sapientum judicium, contraq; omnem historiæ veritatem: quod falsitatis crimen, hoc potissimùm nostro responso diluendum suscepimus. Auctor libri* Christianus Nifanius *gente Danus, Lutheranus Bilseldiæ Prædicans, & ut multis se inscribit titulis,* SS. Theologiæ Licentiatus, Superintendens,

tendens, & Consistorialis Ravensbergicus. *Hos ego magnificos fateor titulos præferre non possum, qui inter simplices me, & indignos Sacerdotes numero. Liber ejus in quatuordecim titulos, seu tractatus est digestus, sed opere prorsus tumultuario, & confuso, ut quisquis pervolverit, judicabit: quemadmodum Tertullianus lib. de Resurr. verè scripsit:* Hæretici, conscientiâ infirmitatis, nunquam ordinatè tractant. *Atque ego cùm hunc auctoris librum perlegerem, credebam me forum aliquod scrutarium ingredi, in quo omnis generis antiquæ, obsoletæ, attritæ, & rancidæ veteramentorum merces exponerentur venum. Vidi nimirum, præter hoc de Carolo paradoxon, nihil ab eo proferri in medium, quod non ab alijs heterodoxis scriptoribus, adversus Catholicos sit prolatum & à centum jam annis, à centum scriptoribus confutatum, explosumque: ut totus hic liber nil nisi rapsodia videri possit, quam ex Chamiero, Kemnitio, Joanne Gerhardi, Dorscheo, alijsque contraxit, prorsus, ut Ioannes Gerhardi confusos illos tomos, & chaos controversiarum consarcinavit, à quo tumultuarium hunc scribendi genium induit. Et quis scribendi apud illos ordo, à quibus omnis in Ecclesia ordo turbatus est? Nullum his discrimen, sive ex Lutheranis suis, sivè ex Calvinistis, sivè ex Zwinglianis, & Sacramentarijs, sive ex Puritanis in Anglia, sivè ex Trinitarijs in Transsylvania & Vngaria, sive ex alijs quibuscunque sectarijs, dogmata sua in speciem aliquam confirment, dummodo ex his Catholicos oppugnent. Quod & D. Augustinus in priscis hæreticis observavit:* Opinio, *inquit,* diversa, vanitas una est; & quamlibet etiam opinionum varietate discordent, simili tamen vanitate colligantur: quemadmodum Samson caudas vulpium colligavit; *quæ licet capitibus aliò, atque aliò aversæ, caudâ tamen in unum incendium Catholicæ messis colligatæ sint. Et quid vobis Catholica Ecclesia fecit?* vera illa & pia, & casta mater, *quæ majores vestros per unum Catholicum baptisma nobiscum regeneravit,*

vit, & à Carolo M. tot sæculis, in uno pane & lacte aluit? Ac licet hi scriptores, etiam Catholicorum auctores magno numero introducant, id tamen non aliter faciunt, nisi ubi aut obscuri sunt, aut diversa tractant, aut diversis inter se sententijs intra Theologiæ limites disceptant, quæ adversarij novâ fraude ita obtrudunt, quasi de fidei dogmatibus Catholici inter se dissentiant. Hac novâ arte firmaverunt sibi sermonem nequam, *quâ imperitos decipiunt*, vulpium instar, *inquit Augustinus*, jacentium in cavernosis anfractibus. *Hinc magno scriptorum heterodoxorum, & Orthodoxorum agmine prodit Nisanius, quos si eminus conspicias formidabilis exercitus se objicit; cominus si introspicias, non nisi* vitrea argumentorum acies est, *ut Augustinus in Iulianum scripsit. Prætendit argumentum, quasi auctor in uno Carolo M. persiturus sit, nec ultra propositam quæstionem exiturus, interim per omnes fidei controversias grassatur. Quare & hominem sequi necesse fuit, ac cætera simul refellere. Visum quidem nonnullis, satis esse, si tantùm Carolus M. vindicaretur: verùm alijs magis probatum, integram confutationem dare; ne quantum in uno victores, tantùm in altero victi ex silentio argueremur. Spondet præterea auctor in fronte libri modestiam scribendi, cùm totus liber non nisi una calumniarum catena videri possit: adeò in Ecclesiam Catholicam, in Pontifices, in Episcopos, Sacerdotes, Clericos, Monachos, Iesuitas, omniaque Catholicorum dogmata, ac sacra debacchatur. Atque ut omne maledicentiæ virus effundat, non modò Catholicos multiplicis apostasiæ ab Apostolorum doctrina, sed & peculiari tractatu in Capita digesto, Angelolatriæ, Hagiolatriæ, Iconolatriæ, Lipsanolatriæ, Mariolatriæ, Artolatriæ, omnisq; quam fingere potuit idololatriæ, reos nos facit. Vt jam nulla secta in Europa, isthoc Dano judice, & scriptore sit fædior, ac detestabilior, quàm Catholica religio, quam identidem Papisticam vocat. Hæc illa modestia, quam veste ovina præfert. Nimirum ut*

Psal. 63.

Spar-

Spartanus Rex ex politicorum ingenio, ὅπου ἡ λεοντῆ μὴ ἐφικνεῖται, χρὴ ἀλωπεκὴν προσάπτειν. *Vbi leonina non pertingit, oportet vulpinam assuere. Atque his tam nefandis erroribus, non modò Carolum M. sed omnes inde Imperatores, Reges, Duces, Principes, Comites, Nobiles, omnemque Clerum, & populum Christianum, ac Majores nostros obnoxios facit, donec à Luthero, si dijs placet, illa superstitionum, & idolomaniæ cæcitas detecta, & nova evangelij luce perfusa sit. Ausus etiam non obscurè perstringere* Principem & Episcopum nostrum Paderbornensem, *quod is pro vigili pastoris cura, buccinatori è rusticana plebe, biblia hæresi infecta subtraxerit. Tanquam serò è Dania, & Aquilonis plagâ illâ, unde* omne malum panditur, *plebejus aliquis Prædicans, & Prædicantis filius evocandus, qui Episcopos Saxoniæ, & Germaniæ doceat. Quanta insania* ! An à
1. Cor. 14. vobis verbum Dei processit? aut in vos solos pervenit? *Vt non priùs per Carolum M. & primos Episcopos ad Saxones, & jam ante per Christi discipulos, Treviros, Moguntiam, & Coloniam pervenerit, atque inde per Apostolicos viros, & sanctissimos Episcopos totâ Germaniâ disseminatum non sit? Quemadmodum suo etiam ævo D. Irenæus inter orbis Ecclesias, eas percenset, quæ in Germania erant Christi religione illustratæ. Hujus igitur adversarij librum, quo non modò Catholicæ Ecclesiæ, sed historiæ etiam Carolinæ nostræ veritas oppugnatur, refellendum suscepimus, intermissâ tantisper cæptâ historiæ scriptione: memores œnopolæ cujusdam, qui cùm vinum promeret in cella, & uxor, quam habebat domi rixosam Xantippen, tumultuaretur in culina jurgijs, & maledictis; ipse relicto epistomio, arreptoque fuste compescuit mulierem. rogatus pòst à suis, cur interea damno suo passus fuisset vinum effluere? respondit: alterum fuisse prius necessarium. Ita nobis hic Prædicans occurrit primùm corrigendus, prorsus ut D. Epiphanius scripsit:* Omnis hæresis prava est
Epiph. de Collyr. mulier, *quæ lites ex litibus quærit, & serit. Nos hic in quiete, &*

bona

bona pace viximus hactenus cùm Lutheranis, & Reformatis, nec ſcripto laceſſentes alios, nec laceſſiti ab alijs, cùm hic provocator inſurgit, & tam contumelioſo ſcripto exagitat Catholicos, nullum propè ut libri folium ſit, in quo non tot calumniæ, quot fallaciæ; tot ſcommata, quot mendacia. citiùs ut in navi lignum deſideres, quàm convicium in ejus ſcriptis: in quibus tamen nihil præter ἄγνοιαν καὶ ἄνοιαν *legas. Vtcunque hæc diſſimulare poſſemus, qui ejuſmodi jam aſſueti ſumus pati per innocentiam: quia tamen inſultant Lutherani, & cum probro ſilentij noſtri, reſponſionem exigunt; cauſa hæc religionis noſtræ ſuſcipienda fuit: tanto æquiùs, quanto ſapientiùs monuit nos Cæleſtinus Romanus Epiſcopus:* In cauſa fidei non carere ſuſpicione taciturnitatem: *præſertim in cauſa Religionis Catholicæ tam manifeſta, quæ ex ipſa fronte libri, argumentiq́, quo adverſarius Carolum M. negat Romano-Catholicum, prudenti ſtatim falſitatem aperit, tanquam Carolus M, dum Romæ à Leone Pontifice inunctus coronaretur Romanorum Imperator, & populus Romanorum acclamaret, CAROLO AVGVSTO, A DEO CORONATO, MAGNO, ET PACIFICO IMPERATORI ROMANORVM, VITA, ET VICTORIA, aliam præter Romanam religionem coluerit. Quapropter, ut tumultuarium, & inſanum hujus auctoris librum refellerem, alius mihi etiam ordo inſtituendus fuit, ad quem omnia explicatiùs revocarem. Id verò ita præſtiti, ut primo libro agerem de* Eccleſia, *quod & ipſe adverſarius fecit; ſecundo vero libro de* Sacerdotio Chriſtianæ religionis, *de quo ille ſub Magiſtratus Eccleſiaſtici nomine egit; tertio de* Sacrificio, & Sacramentis; *quarto de* Juſtificatione, mandatorum obſervatione, & cultu Sanctorum. *Ratio mihi fuit, quòd inter hæc ſalutaris quidam, & ordinatus à Deo ſit nexus: Nam inventâ Eccleſiâ, reperio verum religionis Sacerdotium, & cum eo Epiſcopos, & Sacerdotes, quos Chriſtus conſtituit Doctores populo-*

rum, controversiarum judices, & dispensatores mysteriorum suorum, ex quorum potestate vera Ecclesiæ Sacramenta dependent. Ex Sacramentis verò, quorum alia sunt mortuorum, alia vivorum, vera justificatio, cultusq; Religionis. Methodo verò scriptionis hac usus sum, ut primò Catholicam doctrinam firmarem, deinde consentientem Caroli Magni subjungerem, ac demum adversarij objectiones diluerem. Et quia adversarius simul ad historiam provocavit, quam certè non legit, (quippè qui cùm hæc sua à nobis refelli intelligeret, primùm Eginardum sibi comparare cœpit,) hinc ex Concilijs, & Synodis Carolinis, & Capitularium Caroli libris, & Constitutionibus, ex Francorum Annalibus, cæterisque antiquitatum monumentis, defensionem deduxi, quo simul veritas Catholica ex singulis planiùs, ordinatiùsque in conspectum veniret. Tu quisquis es Lector, fave & vale.

ELEN-

ELENCHUS CAPITUM

LIBRI PRIMI

DE PRINCIPIO FIDEI DIRECTIVO.

LIBRI II.

Cap. 21.

LIBRI III.

LIBRI IV.

APPRO-

APPROBATIO.

LIbrum, cui titulus: *Carolus M. Romanorum Imperator, & Francorum Rex, Romano-Catholicus: Libris IV. explicatus, & vindicatus, adversus Christianum Nifanium, Lutheranum Bilfeldiæ Prædicantem, & Superintendentem, &c. à R.P. Nicolao Schaten, S. J. Sacerdote*, compositum, attentè perlegi, nihilque in eo reperi, fidei Catholicæ, aut bonis moribus contrarium: quin potiùs talem inveni, qui doctrinam Ecclesiæ Catholicæ, & Caroli M. Imperatoris fidem, dilucidè explicet, ac contra Novatorum hujus temporis calumnias egregiè defendat; ut proinde dignum illum censeam, qui prælo excusus, publici juris fiat. Ita censui Paderbornæ, Idibus Februarij, 1674.

Henricus Abbas Abdinghoffensis, Ord. S. Benedicti, Vicarius in Spiritualib. General. Episc. Paderborn. & Lib. Censor.

LIBER I.

CAPVT I.

Ingressus et Status Controversiæ.



Uam Christi religionem à suis primordijs in Saxonia colimus, eam nos post Deum, Divosq; omnes Carolo M. potissimum debere nemini aut obscurum, aut controversum esse potest, nisi qui antiquitatum omnium est imperitus, aut fidem humanam è mundo sustulerit. Bellum is religiosissimus Christianorum Regum, & Imperatorum gloriosissimus per triginta tres annos gessit cum Sa-

xonum populis, quo neq; prolixius, neq; atrocius ullum Francorum populo aut laboriosius est susceptum, uti hæc Eginardus fidus earum rerum scriptor, & Francorum annales, cæteriq; scriptores cum Episcopatuum fastis tradiderunt. Verum *quæ regis erat magnanimitas*, ut idem Eginardus memorat, *quæ perpetua in adversis, & prosperis constantia*, victor tandem Saxoniam perdomuit, & in decem Episcopatus divisit. Quippe, *terram eorum secundùm antiquum Romanorum morem in provinciam redegit, & in Episcopatus certo termino, & limite distermina-tam distribuit*, uti id in diplomate Ecclesiæ Verdensis anno Christi DCCLXXXVI. & in diplomate Ecclesiæ Bremensis anno Christi DCCLXXXVIII. consignato, verbis repetitis profitetur Carolus: Hinc in diplomate Osnabrugensi *Domitorem Saxonum* se vocat. Inter Episcopatus, quos Carolus condidit, antiquissimus Osnabrugensis, quem se *primum omnium in Saxonia in honorem S. Petri Principis Apostolorum & SS. Martyrum Crispini & Crispiniani*, fundasse testatur: Inde Paderbornensis, Halberstadiensis, Bremensis, Verdensis, Mindensis, Mimigardevordensis, seu Monasteriensis, Hildesiensis, fundati: His accessêre Hamburgensis, & Schidrensis, cœpti inchoatiq; à Carolo M. alterum Ludovicus Pius, alterum cæteri Imperatores, dum postremò Magdenburgum transferretur, Otto Magnus absolvit. Conditis descriptisque per suos limites diœcesibus Episcopos imposuit, Osnabrugensi Wihonem, Paderbornensi Burchardum vicario munere, dum Hathumarus à Carolo præficeretur, Halberstadiensi Hildegrimum D. Ludgeri fratrē, Bremensi Willehadum, Verdensi Suibertum sanctæ conversationis virum, Mindensi Hercumbertum, Monasteriensi primò Bernardum quendam religiosum Abbatem, deinde Ludgerum, Hildesimensi Guntherum, Hamburgensi Heridagum, Schidrensi Albertum præfecit Carolus. Post Episcopos introducti Pastores, Sacerdotes, Clerici, ac Monachi, interq; Monachos D. Sturmius Bonifacij discipulus, & primus Fuldensium Abbas cum suis religiosis viris, qui & Saxoniæ Apostolus cognominatus est. Nunquam Saxoniam ingressus Carolus, quin magno numero Episcopos, Abbates, & Sacerdotes secum duxerit ad conversionem Saxonum, uti id præter cæteros docet auctor vitæ D. Sturmij. Horum operâ, vivo adhuc Carolo, tota Saxonia intra Rhenum, Visurgim atque Albim ad Baptismum deducta est, & à cultu idolorum ad Christi-

Christi religionem conversa; quemadmodum hac super re Hadrianus Pontifex Carolo in epistola gratulatur gratiasq; agit, quâ valdè se lætatum scribit quod Carolum cum conjuge & prole incolumem intellexerit, magis autem gavisum, postquam relatum est de triumphis ejus, *qualiter sævas adversasque gentes, scilicet Saxonum, ad Dei cultum, & suæ sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ rectitudinem fidei perduxerit, atque Domino auxiliante & Petri Paulique Apostolorum Principum interventione suffragante, colla eorum redacta sunt sub potestate, ac ditione Caroli, eorumque optimates subjugando, divinâ inspiratione, regali annisu universam illam gentem Saxonum ad sacrum deduxerit Baptismatis fontem*; Offert in hanc rem Pontifex publicas preces cum litanijs, demum optat ut *per ejus laboriosa certamina magis magisque spiritualis mater* ejus sancta Romana Ecclesia maneret exaltata. tom. 15. Concil. General. His alijsque in hanc rem positis urgent Catholici adversus novarum religionum per Saxoniam sectatores:

Vel Carolus M. à cultu idolorum Saxoniam perduxit ad veram sinceramque, vel ad falsam & corruptam Christi religionem.

Si ad veram, haud dubiè in ea per majorum à Carolo vestigia permanendum est.

Si ad falsam, & corruptam, ergo ab una gentilium superstitione perducti sunt majores nostri ad aliam superstitionem, & si in sacrificio Missæ, si in cultu Divorum, & veneratione imaginum, alijsque, ut adversarij contẽdunt, vera à nobis committatur idololatria, ergò ab una idololatria in aliam conversi sunt majores nostri. Quid enim interest, sive panem pro Deo cum Christianis adorem in sacrificio Missæ, sive solem cum Persis, aut Hertham etiam Deam pro B. Virgine, aut Martem Mercuriumque cum priscis Saxonibus colam pro Divo Petro & Paulo?

Hoc argumentum ut eludant hæretici, quos inter Nifanius, docent Carolum M. partim Catholicum, seu ut illi dicunt Papistam, partim Lutheranum & Evangelicum fuisse, ut tanquam hybridam, aut amphibium aliquod animal obtrudant Carolum nobis, & consequenter religionem, quam in Saxoniam introduxit partim Papisticam, & multis Papistarum superstitionibus obnoxiam, partim Lutheranam comminiscuntur, tanquam chimæras illas vera Christi religio pateretur. Et quid

mirum ita illos docere: *Memoriam custodem habere oportet mendacem,* inquit Optatus Milev. lib. 2. ut cohærenter mentiatur. Nam cum doceant veram & Apostolicam Ecclesiam, jam quarto, aut quinto minimum sæculo defecisse à fide, consequenter Carolus qui anno 772. primùm Saxoniam convertere cœpit, haud aliam quam corruptam introducere potuit. Deinde quia post sæculum quintum Antichristus Romæ in throno Pontificis sedere cœpit, hinc & Carolus, qui Hadrianum & Leonem Pontifices unicè coluit, eorumq; doctrinam quam studiosissimè & religiosissimè secutus est, haud aliam etiam quam impiam Antichristi doctrinam in Saxoniam per Episcopos, sacerdotes & Monachos introducere potuit. Ecce quo ex falsis principijs per mendacia abire necesse est, imò cui mirum Nisanium nobis Carolum M. partim Catholicum, partim Lutheranum formare, qui religionem Christianam tanquam mulum fingit, cui aliquid cum equo, aliquid cum asino commune sit. Hinc pronum ei fuit Carolum nobis ex monstroso Prædicantum cerebro parturire, qualem hactenus nemini Catholicorum somniare licuit.

Hunc præterea corruptæ Ecclesiæ statum per capitales in fide errores à Carolo M. ad nostra sæcula & tempora perstitisse docent, donec postremùm Lutherus, cui plus lucis divinæ & sapientiæ quam Carolo M. vel omnibus ab eo impositis Episcopis & sacerdotibus communicatum fingunt, omnia, si Dijs placet, ad antiquam Ecclesiæ formam, qualis à Christo & Apostolis est instituta, reduceret. Quem virum, si Carolus M. suo ævo sortitus fuisset doctorem, numquam ille Pontificum Romanorum doctrinam, ipsumque Pontificem coluisset, numquam tot Episcopos, sacerdotes, clericos, & Monachos in Saxoniam introduxisset, numquam ille sacrificium Missæ, cultum Sanctorum, & imaginum, preces & sacrificia pro defunctis, merita bonorum operum, numquam ille cœlibatum sacerdotum, & Monachorum institutum admisisset intrare Saxoniam, verùm ex salubriori, & nova sui Evangelij doctrina Episcopis, & sacerdotibus uxores, clericis sacratas Deo virgines, canonicis sanctimoniales, monachis moniales, suomet exemplo Lutherus in matrimonium obtulisset: Nam quæ hic vota obtenduntur matrimonij impedimenta, ea, aut nulla sunt, aut in his Luthero supra omnes Pontifices fuit dispensandi potestas: Numquam, ut verbo absolvam, Carolus M. Christianam religionem tot superstitionum ritibus, tot le-

tot legum humanarum ſanctionibus, tot falſorum dogmatum erroribus contaminari paſſus fuiſſet. Ad hunc modum non tam philoſophantur quàm fabulantur novatores noſtri & novarum religionum artifices, quæ Catholicis tam ficta, abſurda, & incredibilia ſunt, quam ipſa metamorphoſis Ovidij, & omnium Poëtarum commenta. Quando ex prophetarum oraculis, Chriſti promiſſionibus, & Apoſtolorum teſtimonijs omnibus perſuaſum eſſe debet, lumen ſolis citius ſubtrahendum mundo, quod Chryſoſtomus dixit, quàm ut Eccleſiam Catholicam ſinat Chriſtus errare in capitalibus fidei articulis, aut in tam nefandos, ut iſti ſomniant, errores prolabi.

Hæc tamen ut plebi perſuadeant, omnia invertunt, ipſumque etiam Catholicæ Eccleſiæ nomen ad ſe detorquent: Nam quæ à Chriſto, & Apoſtolis toto orbe diffuſa inclaruit Catholica & Apoſtolica Eccleſia, eam illi ſibi attribuunt, & Lutheranam cenſent fuiſſe: Ita enim Niſanius ſub initium: *Nomen Catholicæ Eccleſiæ de jure & merito noſtræ Eccleſiæ debetur, quæ Auguſtanam confeſſionem profitetur.* Quæ verò à quinto ſæculo toto orbe aſpectabilis, & toto orbe fulgentiſſima fuit, Romana Catholica Eccleſia, eam illi Papiſticam vocant, & fœdatam innumeris erroribus, intra quam tamen ſemper reperti ſint, qui vel clam, vel palam confeſſi ſint ea, quæ poſtea Lutherus docuit: Inde nos Romanenſes, Pontificios, Papiſtas, Pappæos, Papicolas identidem appellant, quemadmodum hæc Prædicantum rabulæ ad invidiam, & odium nominis noſtri ſcribere & declamitare ſolent. Quare priuſquam ad cætera digrediamur quibus Carolum Magnum non formaliter Catholicum, ſed ex parte Lutheranum fuiſſe nobis per ſomnia ſua perſuadere volunt, operæ pretium erit Caroli M. familiam, & Catholicos majores ſub aſpectum dare, à quibus & ſanguinem & Catholicam religionem traxit.

CAPVT II.

Caroli M. familia per majores, et parentes Catholicos deducta, à quibus non aliam quam Catholicam religionem cum lacte materno hausit et coluit, Carolus M.

PRima Christianorum felicitas, ex primo vocationis dono, nasci à parentibus Catholicis, à quibus ad fontem baptismi deductus, veræ fidei præceptis à puero imbuaris. Id donum quam illustre fuerit, & à tot sæculis hæreditarium in Carolo M. docet nos fundatissima ejus & clarissima familia, ex qua non modò parentes habuit Francorum proceres, & Majores domus Franciæ ac Principes, Regemq; Pipinum patrem, sed qui per maternam etiam lineam, & sanguinem se ex ipsis Franciæ Catholicis regibus progenitum numerat: Quemadmodum id Genealogia B. Arnulphi, à Pithæo in lucem data, in hæc verba refert: *Blitildis filia Clotarij Regis Francorum habuit Arnvaldum Comitem Palatinum ex Ansberto, Arnvaldus Comes genuit B. Arnulphum Comitem Palatinum, qui postea fuit Episcopus Metensis*; constat autem D. Arnulphum atavum fuisse Caroli M. Planiùs aliquantò Engolismensis scriptor vitæ Carolinæ: *Clotarius Rex Francorum genuit Dagobertum, & filiam nomine Blitildem, de qua Blitilde fuit generatio Domini Caroli: Nam ista Blitildis soror Dagoberti Regis habuit virum in conjugio nobilem inter Francos nomine Arnaldum, Arnaldus genuit Arnulphum, qui postea derelicto sæculo factus Episcopus Metis civitatis. Arnulphus, antequam esset clericus habuit uxorem nomine Beggam filiam Pipini Majoris domus, & genuit ex ea Ansegiselum*, seu ut alij appellant Ansegisum, vel Ansgisum. Hic Pipinus Major domus eo nomine primus cognomento Landensis, fuit Carolomanni filius famâ sanctitatis apud posteros celebris, uti Stephanus Abbas in vita Modoaldi de eo retulit, interque

terque alia de eo in vita Wironis legitur, solitum Pipinum hunc detractis calceis, nudisq; pedibus ad confessionem peccatorum, quàm D. Wironi faciebat, accedere.

Sed ad B. Arnulphum Caroli M. atavum ac paternum stemma redeamus; de eo sic Paulus Diaconus: *Vir per omnia lumine sanctitatis & splendore generis clarus, qui ex nobilissimo fortissimoq; Francorum stemmate ortus.* Metensis Episcopus delectus, ita Ecclesiæ præfuit ut simul Dagoberti Regis educator moderatorque aulæ esset. Hic vivus, & mortuus etiam admiranda præstitit, duo cumprimis Paulus Diaconus ab alijs prætermissa retulit: Cum enim ob excessus quosdam pœnitentiam ageret, annulum digito extractum projecit in Mosellam, tunc, inquiens, me culparum nexibus absolutum cognoscam, ubi annulum, quem proijcio, repercro, post aliquot verò annos, postquam Episcopatum adeptus erat, piscator quidam piscem captum attulit, in eoque aperto repertus est annulus, & Arnulpho oblatus: Id Paulus Diaconus sibi non ab alio, quàm ab ipso Carolo M. relatum fatetur. Alterum haud minùs viri sanctimoniam testatur: Duos habebat Arnulphus filios, Ansegisum & Clodulphum, hos, divisurus in usum pauperum facultates, ad se vocat, rogatque si id bonâ eorum voluntate fieri possit: Negavit Clodulphus, assensus est Ansegisus, ob id versus ad Ansegisum, datâq; paternâ benedictione prædixit illi fore, ut ejus progenies exinde fortunata, & clara nasceretur. Vaticiniũ probavit eventus: Tantæ D. Arnulphus misericordiæ erat in egenos, ut vasa sacra in cibos eorum divideret, tantæ contemptionis humanarum rerum, ut abdicato Episcopatu in eremum secederet, in qua vitam exinde sanctissimè clausit.

Ansegisus Caroli M. abavus D. Arnulphi filius, vir egregiâ prudentiâ, & religione in Deum, quamobrem à Dagoberto Rege eidem cum Chuniberto Coloniensium Episcopo Sigibertus filius Austrasiæ Rex commissus, palatij exinde regijque filij moderator fuit, &, ut quidam sensere, Major domus, & Dux Austrasiæ provinciæ. Perfidè post interemptus à juvene, quem enutrierat. Vxor ejus Begga, Pipini senioris & Jttæ Modoaldi Trevirorũ Episcopi sanctitate eximij, sororis filia, soror & ipsa Grimoaldi præfecti & D. Gertrudis, vidua se Deo dicavit.

Pipinus Caroli M. proavus, quem ex Begga susceperat Ansegisus eo nomine II. cognomento Heristallus Austrasiæ Dux multa fortiter gessit:

gessit: Nam Frisios, cæso Radbodo, debellavit, ac tributarios fecit, victi ab eo tertium Alemanni, Boarij, Suevi, Saxones, cæteriq; barbari, & rebelles Christianam religionem divexantes. Obtigit Franciæ bellicosus Dux, cum Reges per desidiam in ocio & luxu torperent, ac solum nomen penes eos esset, regni verò administratio penes Majores domus, ac Principes. Haud minus illustria quæ pro Christi religione amplianda gessit, quando inter cætera pietatis opera S. Willebrordum, Swibertum, & 12. illos Apostolicos viros ex Anglia, summâ humanitate excepit, sedem illis & bona Ultrajecti dedit, ostiumq; Evangelij per Hollandiam, & Frisiam primùm aperuit, corpora Ewaldorum Martyrum Coloniam transtulit, S. Swiberto Cæsaris insulam attribuit, ut hæc Beda etiam scripsit. Unâ labe notatus, quod dimissâ uxore Plectrude Alpaidem duxerit, ex qua Carolum Martellum suscepit. Id delictum pœnitentiâ & beneficentiâ in Ecclesias, subsidio in Apostolicos viros, & rebus pro religione præclarè gestis expiavit, nec aliter scriptores, quam virum prudentem, justum, fortem, & temperantem magnis laudibus celebrant: Quippe qui regnum Francorum per XXVII. annos armis, & consilijs sapientissimè rexit & restituit. Multa præterea dona Ecclesiæ Romanæ B. Petri ab eo donata, nec minus Romanorum Pontificum, & Episcoporum studiosissimus: Quæ causa fuit cur Gregorius Papa epistolâ ad Carolum Martellum Pipini filium, & Paulus Pontifex epistolâ ad Carolum & Carolomannum reges Francorum revocent ad proavum & magnum regem patrem suum, hoc est ad ambos Pipinos, *qui præ omnibus regibus Deo & B. Petro fideles fuerunt*. Qua super re Valesius lib. 23. Rerum Francicarum, cætera verò Aimoinus, auctor Chronici annalium Metensium, Marcellinus, Baronius multiq; scriptores tradiderunt.

Carolus Martellus Pipino Heristallo genitus Caroli M. avus bellicosissimus Princeps ac Dux Francorum per XXVII. annos regnum Franciæ administravit, titulo penes crinitos & desides reges manente. Nullo non anno illi bellum & prælium, semper victor, nisi quod semel à Radbodo Frisonum Duce campo depulsus, dubium bellicosior, an fortunatior. Adeo B. Arnulphi precatio & vaticinatio nepotes majori adhuc semper felicitate consecuta est. Hostes Carolo infesti domi forisq; de quibus continuò triumphatum, subacti Frisij, quibus tum Hollandia continebatur, atque ad tributum servitiumq; Francorum adacti,

Poppone

Poppone eorum Duce interfecto, Saxones iteratis prælijs victi, & ad tributa compulsi, debellati Batavi, Alemanni, Suevi, Gothi, Aquitani, at summa belli gloria Carolo ex Saracenis, & Mauris, quos è Gallia continuis prælijs ejecit, hi demum Pictavis, haud procul ab urbe ad internecionem deleti, unoque prælio in septem dies continuato CCCXXV. millia barbarorum trucidata sunt. Admiranda quæ sago gessit militari, eò Tudes, & Malleus hostium, & Achilles Franciæ dicebatur; Valesij judicium est, si Carolus Livium scriptorem nactus fuisset, Cæsari, & Pompeio Magno comparandum esse. Unum illi vitio datum, quod obluctante clero tributa ab Ecclesiæ bonis libere exegerit, cum ærarium regium non sufficeret militiæ adversus barbaros, ob id acerbiore mortis cruciatu punitum, expiatumq; volunt; quo & illud Bonifacij ad Merciorum regem spectat de verenda morte ejus: Quid futurum hæreticis Principibus; qui tot Episcopatus à Carolo M. & Francorum regibus conditos, tot collegiorum, & cœnobiorum patrimonia sacra non modò in profanos usus rapiunt, sed & ex ijs Ecclesiam Christi oppugnant? Contrà si in Carolo Martello reputentur bella, quæ pro Christiana religione gessit, si merita in Ecclesiam, haud minor illi laus debetur. Ille D. Willebrordum, & Apostolicos viros fovit, juvit, & dotavit Ultrajecti, ille liberum primò Evangelium fecit per Hollandiam, & Frisiam. Ille post D. Bonifacio liberam ubique docendi facultatem dedit, ipse Treviri cœnobium D. Maximini amplis bonis locupletavit, unde & D. Maximinus se ei in somno obtulit: Ille de sede Apostolica & Romana Ecclesia præclarè meritus. Ille legatos cum regijs muneribus ad limina Apostolorum misit: ob id claves S. Petri cum vinculis à Gregorio II. Papa dono remissas accepit, & magnopere tam à Gregorio II. quam Gregorio III. Pontifice dilaudatus, passimq, vindex, & assertor Christianæ religionis audiebat. Postremò factâ exomologesi Carisiaci in villa moritur, delatumque corpus Parisios in Basilica S. Dionysij sepelitur, cujus Divi ope toties prælijs victor triumphârat, uti hæc Francorum annales, Valesius, Baronius, Bussieres, alijque nobiles scriptores multis tradiderunt. Moriens duos filios reliquit hæredes, Carolomannum & Pipinum paternæ virtutis & gloriæ æmulos.

Pipinus Rex, ac Pater Caroli M. unà cum fratre Carolomanno totius Franciæ administrationem excepêre, bellis, junctisque armis pro

Christiana religione uterque inclytus. Ac Carolomannus quidem, postquam traditam à patre Austrasiam, Alemanniam, Hassiam, & Thuringiam obtinuit, Alemannos, qui rebellârant, debellat, Saxones denuò rebelles, in deditionem accipit. Digressus in Westphaliam, Theodoricum Saxonem, expugnato castro ejus, captivum abducit, plurimos ad Christi religionem attrahit. Ipsius liberalitate D. Bonifacius Fuldense cœnobium erigit, illustre illud seminarium, ex quo Christi religio ejus ope, & patrocinio mirificè per Hassiam, Thuringiam, & Saxoniam propagata est. Demum ut religiosissimum se principem ostenderet, abdicato principatu in monasterium secedit. Romæ à Zacharia Papa attonsus in clericum, simulq; in monte Soracte monasterium exstruit. Inde in Cassinense cœnobium transgressus sanctissimi Monachi vitam egit, quod inter cæteros scriptores ab Eginardo in vita Caroli assertum. Quæ hic alia in Caroli M. patruo religio, quam Romana, & Catholica conspicitur? diversa sanè à Luthero, qui deserto cœnobio ad libertatem vitæ, & sæculi delicias redijt, quas sacrilego etiam cum moniali connubio infames fecit. Alio sanè tum spiritu orbis Christianus agebatur, cum in Anglia, Francia, Italia, Germania, Principum, Comitum & nobilium filij se darent in disciplinam religiosæ vitæ, tanto fervore, & multitudine, ut Beda scribat, vereri se, ne supersint, qui Angliam armis tueantur.

Pipinus inde totius Franciæ moderationem adijt. Bella, quæ pro Christiana religione gessit, non minus admiranda, quam Caroli Martelli patris. Quippe reliquis bellis prætermissis, quæ contra Aquitanos, Bojos, & Saracenos, aliosq; hostes Francici regni gessit, sæpius ille transmisso Rheno in Westfaliam cum exercitu digressus, Saxones vicit, & Remæ etiam ad Visurgim castra posuit, tentavitque Christi religionem introducere, quam in Frisia, Hassia, Thuringia firmam fecerat operâ cumprimis Bonifacij, & Apostolicorum virorum. Hoschiburgum castrum, quod Osnabrugum censent, expugnavit, pedemq; Francici imperij, & religionis istic fixit, ut vel eo Carolus M. primam istic Episcopi sedem in vestigijs majorum collocârit. In debellandis Westfalis ope D. Suiberti divinitus adjutus, eo cum exercitu Werdam adijt, voti exsolvendi causâ, eâq; pietate, ut discalceatus ad templum processerit, & reliquias D. Suiberti veneratus, locum sacrum donis & prædijs auxerit.

Longe

Longè illustriora sunt, quæ pro Apostolica sede, & Romana Ecclesia egit imploratus à Romano Pontifice, adversus Longobardos, Ecclesiæ Romanæ vexatores, bis Italiam cum exercitu ingressus; Arnulphum eorum Regem in fugam vertit, Papiam obsedit, fregitque Longobardorum potentiam, restituto Pontifice in libertatem, redditq; Ecclesiæ Romanæ bona, quæ Longobardorum Reges per spolium invaserant. Ob hæc in Ecclesiam merita, cùm Reges Francorum non nisi in otio, & luxu, umbræ essent, Pipinus à Stephano Papa petentibus Francorum optimatibus Francorum Rex inunctus, primusq; regium nomen, ac decus in familiam Pipinorum induxit. Nemo ante eum diem, præter Constantinum M. Romanę Ecclesiæ patrimoniũ liberaliùs auxit, nullus ante eum Francòrum Regum majori veneratione Romanum Pontificem prosecutus est: Nam venientem ad se in Galliam Stephanum Pontificem, implorantemque auxilia adversus Longobardorum Regem, missis obviam legatis Rotardo duce, & Fulrado Abbate invitavit. *Quem & legati*, ut Anastasius refert in vita Stephani, *cum magno honore, & cum omnibus, quos in comitatu habuit, Episcopis, & Sacerdotibus ad Pipinum deduxerunt: Audiens verò Rex ejusdem beatissimi Pontificis adventum nimis festinanter advenit in ejus occursum, unà cum conjuge, filiis etiam, & primatibus, pro quo & offerens centum millia, filium suum Carolum* (qui Magnus est Carolus noster) *in occursum direxit cum aliquibus suis optimatibus, ipseq; Rex Pipinus in palatio suo, in loco, qui vocatur Ponticone, ad trium fere millium spacium descendit de equo suo cum magna humilitate terra prostratus, unà cum sua conjuge, filijs & optimatibus eundem sanctissimum Papam suscepit, cui & vice stratoris usque in aliquantum locum juxta ejus sellarem properavit.* Inde ad palatium omnibus digressis Pontifex adventûs causam exposuit, & Rex auxilia adversus Longobardos ex fœdere icto promisit. Pergit Anastasius: *Quia verò tempus hyemale imminebat, eundem sanctissimum Papam cum suis omnibus Parisios apud venerabile monasterium B. Dionysij ad habitandum pergere curavit, quo peracto, & eo in eodem venerabili monasterio, cum jam fato Christianissimo Pipino comitante, Domino annuente, post aliquantos dies idem Christianissimus Pipinus Rex ab eodem Sanctissimo Papa Christi gratiâ cum duobus filijs suis,* Carolo videlicet, & Carolomanno, *Reges uncti sunt Francorum.* Eadem fere ab annalibus Franco-

B 2 rum,

rum, Baronio, & alijs referuntur. Jam ante *Pipinus* à Zacharia *Pontifice* ob merita in Ecclesiam Romanam, ut Baronius tradit, donatus potestate nominandi Episcopos per Franciam. Ita verò *Pipinus* bis Francorum Rex inunctus, semel à D. Bonifacio, ut in ejus vita refert Othlonus, & Serrarius, iterum à Stephano *Pontifice*: id verò ritè factum esse docet præclarè Serrarius sacræ Scripturæ exemplis.

His nunc de Caroli M. familia, & progenitoribus ex certa Historicorum fide expositis, id planè conficitur: Carolum M. non aliam coluisse religionem quàm à patre, avo, & majoribus acceperat; ex quo tota Francorum gens olim ex his Westfaliæ regionibus egressa cum Clodovæo Baptismum & Christi religionem amplexa est; Atqui hi cum omnes inde Catholicam religionem coluerint, non aliam etiam Carolum coluisse censeri debet. Ac nihil Carolus à *Pipino* parente laudabilius didicit, & in omnem vitam servavit constantius, quam studium in Apostolicam Sedem, & *Pontificem* Romanum, à quo jam ipse Rex inunctus erat. Inde ut scriptores observârunt, illa Dei largitas in *Pipini*, & Caroli familiam, meritusque ex hoc *Pipinus* ut in eam primò regiam dignitatem, Carolus Imperatoriam introduceret, scilicet quantum omnium heterodoxorum est odium in Romanum *Pontificem*, tantum omnium bonorum Christianorum Imperatorum, Regum, ac *Principum* semper studium fuit in Christi Vicarium, tantamque ex hac veneratione debita consecuti sunt felicitatem. Multa *Pipini* regis elogia, quibus historici scriptores, & *Pontifices* hujus regis virtutes contestati sunt, inter quæ illud Stephani *Pontificis* epist. 6. ad *Pipinum* tom. 17. Concil. General. *Explere linguâ, excellentissime fili, non valemus, quantum tuo opere, tuâ vitâ delectamur.* Inde in laudes ejus digressus: *Quid enim aliud, quam te novum dixerim Moysen, & præfulgidum asseram David, & fortissimum diebus nostris liberatorem? Benedicat tibi Dominus pulchritudo justitiæ, & tuos amantissimos natos, meosq; spirituales filios Dominum Carolum & Carolomannum à Deo institutos Reges Francorum, & patricios Romanorum.*

Caput III.

CAPVT III.

Carolus M. per omnem vitam integerrimè, et ferventissimè Romanam Catholicam religionem coluit.

VItam Caroli M. nobis ſyncerè, & exactè deſcripſit Eginardus Carolo à ſecretis, quam fidus miniſter, tam certus teſtis. Ex eo ſcriptore, Anaſtaſio, & Francorum annalibus pauca quæ in rem propoſitam faciunt, exponam.

Duos ex Bertrada Regina *P*ipinus Francorum Rex ſuſcepit filios, Carolum, & Carolomannum præclarâ indole, & virtute juvenes, hos ut dignos regni à ſe parti hæredes relinqueret, nihil ſollicitius habuit, quam ut pietate, liberalium artium diſciplinâ, & militaribus exercitijs à primis ſtatim annis excoleret. Et tametſi Eginardus fateatur de Caroli nativitate, infantia, & pueritia nihil certi à quopiam traditum eſſe, memorat tamen ipſe, *in diſcenda Grammatica Petrum Piſanum Diaconum ſenem audiviſſe, in cæteris verò diſciplinis Albinum cognomento Alcuinum item Diaconum de Britannia, Saxonici generis hominem, virum undequaque doctiſſimum præceptorem habuiſſe, apud quem & Rhetoricæ, & Dialecticæ præcipuè tamen Aſtronomiæ ediſcendæ plurimùm & temporis, & laboris impertierit.* His magiſtris tantum brevi profecit, *ut didaſcali ipſe munus ſubire poſſet, nam latinam linguam ita didicit, ut æquè illâ ac patriâ linguâ perorare ſit ſolitus, eratq́; eloquentiâ tam copioſus, & exuberans, ut quicquid vellet apertiſſimè exprimeret, Græcam verò linguam meliùs intelligere, quam pronunciare poterat.* Verbo complexus cætera Eginardus, *Artes*, inquit, *liberales ſtudioſiſſimè coluit, earumq́; doctores plurimum veneratus magnis afficiebat honoribus.* Quos inter Alcuinum intimè complexus ſibi in aula, in conſilijs, in expeditionibus, in negocijs eccleſiaſticis adeſſe voluit, virum, quem vel ſcriptores armarium omnium ſcientiarum appellant, & quem ipſe Balæus centuria II. poſt Bedam, & Aldhelmum inter Anglos longè doctiſſimum fuiſſe memorat.

Jam antè Alcuinus, quam ad Carolum accederet, multos annos in Britannia ſacras litteras docuerat, multosq; eruditos diſcipulos, & Apoſtolicos viros formârat, quos inter D. Ludgerus quatuor annos ejus auditor fuit. Et quam aliam Carolo Magno religionem tradidiſſe magnus hic magiſter fingi poteſt, præter Romanam, & Catholicam, cujus ille per omnem vitam ſtudioſiſſimus fuit. Quare Alcuinus lib. I. adverſus Elipandi hæretici epiſtolam de Carolo Magno hæc ſcribit: *Non ego corrumpere veni illum in Franciam, qui corrumpi non poteſt, ſed adjuvare in fide Catholica, in qua ab ineunte ætate enutritus fuit, & optimè à Chriſtianiſſimis parentibus, & majoribus Catholicis edoctus.* Et quanta vel ex hoc pars gloriæ genti noſtræ accedit, eo quod Carolus Alcuinum Saxonici generis hominem magiſtrum ſortitus, à quo non aliam religionem edoctus, quam Alcuinus à Beda, cæteriſq; Angliæ doctoribus acceperat; Ille verò ab Auguſtino, ejuſq; ſocijs, quos Gregorius M. in Angliam, ad gentis ejus converſionem miſerat Apoſtolicos viros.

Cæterum Caroli religionem his verbis commemorat Eginardus: *Religionem Chriſtianam, quâ ab infantia fuerat imbutus, ſanctiſſimè, & cum ſumma pietate, & veneratione coluit, ac propter hoc miræ pulchritudinis Baſilicam Aquiſgrani exſtruxit, auroq;, & argento, & luminaribus, atque ex ære ſolido, cancellis, & januis exornavit, Eccleſiam ipſe manè & veſperi, nocturnis item horis, & ſacrificij tempore, quando eum valetudo permiſerat, impigrè frequentabat, curabatq; ut omnia, quæ in ea gerebantur, quam maximâ fierent honeſtate, ſacrorum vaſorum ex argento, & auro, veſtimentorumq; ſacerdotalium tantam in ea copiam procuravit, ut in ſacrificijs celebrandis, ne janitoribus quidem, qui ultimi Eccleſiaſtici ordinis ſunt, privato habitu miniſtrare neceſſe fuerit. Legendi, & pſallendi diſciplinam diligentiſſimè emendavit, erat enim utriuſq; admodum eruditus, quanquam ipſe nec publicè legeret, nec niſi ſubmiſſim, & in commune cantaret*; Atq; hic Cleri, Choriq; cântus, ut ad formam Romanam procederet, evocati ſunt Româ cantores, & periti artis illius magiſtri, ut in annalibus Francorum perhibetur. Quæ ſi ſyncerâ mente recolant Lutherani, habent ſacrificium Miſſæ, veſtes ſacrificales, vaſa ſacra, ordines ſacrorum, luminaria altaris, cleri chorum, cæteraſq; ſacrificij ceremonias, quas cum ipſo demum ſacrificio religionis ſuſtulerunt.

Pergit

Pergit Eginardus Caroli Magni religionem percensere: *Colebat præ cæteris sacris, & venerabilibus locis apud Romam Ecclesiam B. Petri Apostoli, in cujus donaria magna vis pecuniæ tam auri, quam argenti, nec non & gemmarum ab eo congesta est. Multa, & innumera Pontificibus munera missa; Nec ille toto regni sui tempore quicquam duxit antiquius, quam ut urbs Roma suâ operâ suoq; labore veteri polleret auctoritate, & Ecclesia S. Petri non solùm per illum tuta, ac defensa, sed etiam suis opibus, præ omnibus Ecclesijs esset ornata, & ditata: Ideo quater votorum solvendorum, & supplicandi causâ Romam ad limina Apostolorum profectus est.* Longe illustriora sunt quæ pro Romana Ecclesia gessit: Nam avi, patrisque exemplo bellum adversus Longobardos acerrimos Pontificum, & Romanæ Ecclesiæ vexatores iteratis in Italiam expeditionibus suscepit, nec destitit, donec Desiderium Longobardorum Regem victum, captum, exutumq; regno deportaret in Franciam, Pontificem in quiete collocaret, & ablata Ecclesiæ Romanæ bona redderet. Non illo post Constantinum M. & Theodosium, Imperator major, qui aut Pontifices Romanos sanctiùs sit veneratus, aut patrimonium Petri liberaliùs auxerit, aut Romanam Ecclesiam gloriosiùs sit tutatus: Hinc ultro se Advocatum, & defensorem Ecclesiæ Romanæ appellari voluit. Hadriano Pontifici per XXIV. annos, quoad vixit conjunctissimus fuit, nihil à Carolo in causis fidei, aut rebus majoris momenti sine Hadriani consilio, & legatorum auctoritate gestum: Testes tot literæ, & legationes ultro, citroq; communicatæ, omne Hadriani perfugium in Carolo, & omne Caroli auxilium pro Hadriano, cui omnibus bellis relictis, laboranti præsto fuit. Paucis hanc intimam Caroli & Hadriani conjunctionem Eginardus est complexus: *Nunciato Hadriani Pontificis obitu, quem in amicis præcipuum habuit, sic flevit Carolus, ac si fratrem, aut carissimum filium amisisset.* Funus epitaphio à se conscripto, plenoq; Hadriani laudibus, & sui amore, prosecutus est quod tom. 20. Concil. General. recitatur. Hoc Pontifice, Carolus tertium Romam profectus, limina Apostolorum invisit, primùm anno Christi 774. quod ubi Hadrianus Pontifex intellexit, *omnes illi magistratus urbis ad triginta milliaria, cum signis militaribus obviam misit, appropinquanti regi ad unum milliare direxit universas scholas militiæ, una cum magistris & pueris ramos olivarum deferentibus, ac regi laudes concinentibus. Carolus ubi venerandas cruces*

das cruces obviam habuit, illico ad earum conspectum ex equo descendit, & pedes ad Ecclesiam S. Petri perrexit, perveniensq; ad atrium, in quo Pontifex cum universo clero operiebatur, omnes gradus sigillatim deosculatus est, tanta in S. Petrum, & limina Apostolorum veneratio erat. Ibi perbenignè & honorificè exceptus à Pontifice post mutuos amplexus Basilicam ingreditur, cunctis acclamantibus, Benedictus qui venit in nomine Domini. Uti hæc pluribus enarrat Anastasius Bibliothecarius in vita Hadriani. *Expletâ oratione obnixè precatus est Rex Pontificem, liceret sibi Romam ingredi, ad vota per diversas ecclesias persolvenda, ac descendentes pariter ad corpus B. Petri Pontifex cum Judicibus Romanorum, & Francorum, Rex cum suis judicibus, & populo Romam ingressus est.* Factum id Sabbatho sancto pridie Paschatis *cum Pontifex sancti baptismatis Sacramentum celebraret in Lateranensi Basilica.* Pergit Anastasius: *Altero die illucescente Dominico Sancto, in ipsa sacratissima Paschali festivitate, direxit diluculo ipse sanctissimus præsul cunctos judices, & universa obsequia militia ad eundem regem, & cum magno honore eum suscipientes, in Ecclesia sancta Dei Genitricis ad præsepe properavit, cum omnibus Francis, & post Missarum solemnia celebrata perrexit cum Pontifice in Lateranense Patriarchium, illicq; ad mensam Apostolicam pariter epulati sunt; Alio verò die, feriâ secundâ Paschatis, simili modo in Ecclesia D. Petri more solito ipse conspicuus pater, & egregius Pontifex Missarum solemnia celebrans, Deo omnipotenti, & præfato Carolo excellentissimo regi laudes reddere fecit. Tertiâ verò die juxta ut mos est in Ecclesia B. Pauli Apostoli Missas eidem regi fecit.* Quæ hic Missarum solemnia, Nisani, credis peracta, ritune Catholico; an Lutherano? ut nobis persuadeas Pontificem Romanum constitisse ante altare nigro tantùm pallio, civis instar, aut togâ senatoriâ & Saxonicâ, ut D. Augustinus vocat, intectum, sine Pontificalibus indumentis, sine canone, & sacrificio oblato, recitasse preces vestras, intersonante populo Lutheranas cantiones. Næ tu delipis, si hoc persuadere velis. Quarto die confirmata est donatio redditorum, datorumq; bonorum Ecclesiæ à Pipino patre facta, & consignata à Carolo, & Francorum proceribus, de qua fusè Anastasius: Per id tempus Paschale Carolus M. ad altare D. Petri obtulit Ecclesiam primam Osnabrugensem D. Petro. De quo Luitprandus Ticinensis non Italus ille, sed alius, vetus ex Germania eorum temporum scriptor lib. de Pontif.

de Pontif. vitis in Hadriano, in hæc verba: *Inter cætera, quæ ab ipso Carolo magnificè gesta sunt, etiam partem aliquam Saxoniæ, in provincia VVestphala, quam ad fidem Christianitatis convertit, ut ipse Papa præcepit, & docuit secundâ feriâ Paschæ offerebat, Deo in sacrificium obtulit, & in loco Osnabrugge vocato Episcopatum constituit.* Obtulit prætereà Carolus universam Saxoniæ provinciam B. Petro, quod ejus cælesti ope Saxones à se domitos agnosceret, uti Gregorius VII. scribit ad Petrum Albinensem Episcopum ex vetustis Saxonum monumentis, ad hæc unum denarium quotannis S. Petro, per singulas Galliarum domos colligendum, quamvis Baronius non nisi confecto bello Saxonico factum velit.

Iterum Romam profectus Carolus ad limina Apostolorum anno Christi 781. unà cum conjuge, ac filijs rursumque, ut antea honorificè ab Hadriano Pontifice susceptus, quocum sanctum Pascha celebravit. Per eos sacros dies Carolus Pipinum Filium baptizari voluit à Pontifice, eundemq; simul, & fratrem ejus Ludovicum reges inunxit Pontifex, ac Pipinum quidem majorem natu Longobardorum, Ludovicum autem Aquitaniæ regem dixit, uti hæc in Francorum annalibus memorantur. Adeo summa quæque cum consilio Pontificis agere voluit Carolus, & nihil sibi honorificentius duxit, quàm Apostolicâ auctoritate facta sua exornari.

Tertiò Romam profectus est Carolus anno Christi 787. & *Sanctum Pascha*, ut Francorum annales referunt, *magnâ cum hilaritate celebravit, Pontifice Hadriano pro more, & Pontificiali ritu Missarum solennia peragente.* Rex adoratis Sanctorum liminibus, votisque solutis, perceptâque Apostolicâ benedictione, ut in annalibus Francorum additur, reversus est in Franciam. Sed priùs tamen, ut Leo Ostiensis in Chron. Cassin. lib. 1. c. 14. scribit, orationis causâ divertit Cassinum ad corpus S. Benedicti, ut vel inde etiam cultum Sanctorum discas à Carolo M. quemadmodum post B. Virginem, S. Petrum Romæ, ante alios SS. Apostolos venerari solitus. Ortâ tum Romæ contentione per dies festos inter cantores Romanos, & Gallos, Carolus cantores Romanæ artis deduxit secum in Gallias, quò ad Romanum morem omnia conformaret, simulq; peritos organi ac Grammaticæ Magistros. Nondum tum Lutherani, aut Calviniani psalmi auditi erant tot hæresium dogmata intersonantes.

Hadriano Pontifice mortuo, cui Carolus ab anno primo belli Saxonici vixerat conjunctissimus per 24. annos, successit Leo Pontifex, ejus nominis III. anno Chr. 794. vir omnibus Pontificum virtutibus exornatus, quem pari amore, & veneratione complexus est Carolus. Nam eo in Pontificem electo, nihil antiquius habuit, quàm ut missâ Romam legatione, per epistolam à se scriptam omne præsidium, & obsequium illi deferret. Extat præclara illa Caroli epistola tom. 20. Concil. General. digna tanto Imperatore. Post ubi Leo Pontifex à Romanis multis fuit affectus injurijs, erutis videlicet oculis, & linguâ amputatâ, ut Franci annales, cæteríque scriptores cum D. Ludgero perhibent, quibus tamen divinitus haud multò post restitutus est, necesse habuit profugere ex Vrbe, nec aliud certius, quàm in Carolo præsidiū, ad quem in Germaniam profectus. Carolus Coloniâ ad se venientem Pontificem Paderbornæ, ubi tum versabatur bello Saxonico intentus, honorificentissimè excepit, uti id præter annales Francicos, vetus Poëta apud Canisium tom. VI. antiq. lect. & à Ferdinando Episcopo Paderbornensi relatus descripsit. Inde circumducto Pontifice per Saxoniam, & Rheni provincias, multa templa, & altaria ab eo consecrata sunt. Interque alia extat epistola Leonis Pontificis ad Carolum M. Eresburgi consignata ipso die dedicationis, quo capellam Eresburgi D. Petro consecravit, ac locum illum quem nunc montem Martis appellamus, ac jurisdictione sacrâ Episcopi Paderbornenses sibi vendicant, donante Carolo religioni adscripsit, inductique postea sunt Sacerdotes, & Monachi è D. Benedicti familia. Postquam omnia coram pertractata sunt cum Pontifice, quæ ejus causâ postulabat, multaq; sunt collata, de statu Saxoniæ, & firmandis Episcopatibus, Carolus cum legatis Pontificem remisit Romam; quem incredibili gaudio, senatus populúsque Romanus redeuntem excepit ad pontem Milvium progressus, *unaq; peregrinorum schola, videlicet Francorum, Frisonum, Saxonum, & Longobardorum.* Uti hæc Anastasius in vita Leonis memorat. Vides hic jam tum sub Hadriano, & Leone Pontifice Saxonum scholas Romæ floruisse, in quibus juventus Saxonica bonis artibus, & Christianis moribus excolebatur. Et quam aliam religionem istic hausisse dices quàm Romano Catholicam? Tuum hic Nifani judicium si audiamus, non aliud erit, quam Antichristi doctrinam hausisse, qui nutritorem habuerunt Pontificem in sede

Antichristi

Antichristi regnantem. Et quid verisimilius, quam Hadriani, & Caroli M. consilio & largitate has scholas, tanquam seminaria Catholicæ religionis in Saxoniam proferendæ institutas esse, ex qua delecti viri post in Saxoniam missi prodiêre. Extat hodiedum vicus Saxonum in Vrbe, locúsque, quo scholæ illæ floruerunt. Interim non quievit Carolus, dum expeditione in Italiam factâ, Pontificem quieti, & honori restitueret.

Quarta hæc Caroli profectio fuit ad limina Apostolorum, quâ natalem Christi diem cum Leone celebrem habuit. Sed priùs instituta quæstio in facinorosos, punitiq; partim gladio, partim exilio; qui Pontificem tam indignè tractârant. Et cum Pontifex coram in consessu Caroli, ArchiEpiscoporum, Episcoporum, & Optimatum se offerret ultrò ad purgationem criminum, quæ falsò objecta erant, responsum est ab omnibus. *Nos Sedem Apostolicam, quæ est Caput omnium Dei Ecclesiarum, judicare non audemus, nam ab ipsa nos omnes, & Vicario suo judicamur, ipsa autem à nemine judicatur, quemadmodum & antiquitus mos fuit, sed sicut ipse summus Pontifex censuerit, obediemus.* Probavit hæc Carolus, & Pontificem innocentem honori restituit.

Aderat jam Natalis Christi dies, cùm congregatis in Basilica D. Petri ArchiEpiscopis, Episcopis, & Sacerdotibus, unaq; Francorum, Romanorumq; proceribus, Pontifex Carolo inter Missarum solennia coronam imponit, & Imperatorem dicit, acclamante populo, *Carolo pijssimo, Augusto, à Deo coronato, magno, pacifico Imperatori vita, & victoria.* Illico etiam, ut Anastasius in vita ejus refert, Pontifex unxit oleo sacro Carolum, & excellentissimum filium ejus regem. Post celebrationem Missarum obtulit ipse Imperator mensam argenteam in Basilica S. Petri, aliamq; in Basilica S. Pauli, multaque alia regia dona diversis in templis, & altaribus oblata, munificentiâ, quantam numquam antè, nec post Constantinum M. vidit Roma Christiana, quod eam urbem ob venerationem S. Petri Apostolorum principis, & S. Pauli Doctoris gentium exornandam susceperat, cui præter innumera alia dona, ante alias Metropolitanas sedes, ex testamento magnam primamq; partem adscripsit.

Quid nunc ad hæc dices Nisani? qui totus es in lacerando Pontifice, & post Gregorium M. per ducentos ad Carolum M. annos non alios in sede Petri, quàm Antichristos consedisse scribis. Credemúsne

Stephanum Pontificem, à quo inunctus est Pipinus pater Caroli, & ipse Carolus M. cum fratre Carolomanno Rex Francorum, judice Pipino rege, & Carolo M. Antichristum fuisse? Quid de Hadriano, à quo filius ejus baptizatus, & filij regis Caroli inuncti sunt reges? Quid de Leone Pontifice, à quo Carolus M. coronatus, & inunctus est Imperator? Quid de Ludovico Pio Imperatore Caroli M. filio, quem Stephanus IV. Pontifex inunxit in Gallia Imperatorem, & qua veneratione excepit? Theganum Chorepiscopum Trevirensem audiamus, qui hæc inter cæteros scripsit. *Perrexit Ludovicus obviam Pontifici in campo magno Remensium, descendit; uterq; de equo suo, & Princeps prosternens se omni corpore, in terram tribus vicibus ante pedes tanti Pontificis, & tertiâ vice erectus, salutavit Pontificem, inde amplexantes se, & osculantes perrexerunt ad Ecclesiam*: Ita nimirum filius edoctus à patre, & majoribus venerari Pontifices Romanos, quam in rem egregium est, quod Carolus M. Theonis villæ convocatis tribus filijs. Carolo, Pipino & Ludovico Regibus anno Christi DCCCVI. cum regnum Francicum inter illos divideret, in testamento præscripsit: Verba Caroli hæc sunt: *Super omnia autem jubemus, ut ipsi tres fratres curam, & defensionem Ecclesiæ S. Petri simul suscipiant, sicut quondam ab avo nostro Karolo, & beatæ memoriæ genitore Pipino Rege, & à nobis postea suscepta est, ut eam cum Dei adjutorio ab hostibus defendere nitantur, & justitiam suam, quantùm ad ipsos pertinet, & ratio postulaverit, habere faciant.* Testamentum hoc apud Pithæum leges. Et quis ex Lutheri disciplina magister inter vos principes Saxoniæ, hanc Romani Pontificis venerationem docuit; qui tamen ad Carolum M. pro religione vestra provocatis. Itane, jam tuum, tuorumque judicium serò tandem erit supra Caroli M. Imperatoris judicium? Imò, orbis Christiani judicium relinquam, & tuo, tuæque sectæ judicio me committam, & Pontificem Antichristum credam? Nemo tam insanus inter Judæos, Saracenos, & Turcas, ut hæc de Christianis diceret, quæ vos prædicantes de Catholicis scribitis, & plebem docetis.

Bella Caroli M. quæ à prima juventute militari exercita, ad senium usque continuis ferè annis gessit, aut contra rebelles, aut contra Romanæ Ecclesiæ vexatores, aut contra Barbaros Christianæ religionis juratos hostes suscepta sunt. Horum bellorum primum Aquitanicum

adversus

adversus Hunoldum rebellantem, alterum mox anno secundo regni adversùs Saxones, ex concilio Wormatiensi in hanc rem cumprimis habito susceptum est, productumque inde supra XXXIII. annum regni ejus, tertium rogatu Hadriani Pontificis adversùs Desiderium, Longobardorum regem, & Longobardos Italicum fuit. Inde cætera consecuta, Hispanicum adversus Saracenos, & Vascones, Beneventanum, Britannicum, Bavaricum adversùs Thassilonem, Pannonicum adversus Hunnos, his successit Bohemicum, Ilinoticum, & Sclavicum adversus barbaras gentes, ac postremò Danicum adversus Nortmannos, terrâ mariq; gestum. Ex his bellis nullum Carolo diuturnius, laboriosius, & atrocius, quàm Saxonicum, sed & eò nullum etiam Carolo gloriosius, quod inter cætera bella continuò gessit, donec totam Saxoniam, quanta ea inter Rhenum, Visurgim, & Albim se explicat, debellaret; hoc enim bellum tanquam palmare sibi sumpsit, ut gentes illas, non tam regno Francico, quam Christianæ religioni submitteret, quando jam Frisia, Alemannia, Thuringia, Hassia, cæteræque trans Rhenum provinciæ regno Francico, & Christo parta cesserant. Gloriosa hæc Carolo bella, ex quibus victor semper triumphavit, sed non minùs admiranda, quæ inter hæc simul pro religione, & disciplina cleri, populique gessit. Si nimirum tot Episcopatus, collegia clericorum, & cœnobia religiosorum condita, si tot templa, & altaria erecta, si tot Synodi quotannis ante bella habitæ, si tot leges sacræ, ac civiles ab eo præscriptæ, sancitæque, si tot provinciæ, tot hominum millia per lavacrum Baptismi Christo adjuncta æstimentur. Ut haud incongruè Scriptores quidam Carolum armatum Saxoniæ Apostolum dixerint. Magnus certè Franciæ Monarcha, qui Galliam, Germaniam, Italiam, magnam Hispaniæ partem, utramque Belgicam, & Frisiam, utramque Pannoniam, Alemanniam, Thuringiam, Hassiam, Bohemiam, Saxoniam omnem, uno imperio complexus *Francorum regnum in duplum auxit*, Quique, ut idem Eginardus scribit, *Omnes barbaras ac sævas nationes, quæ inter Rhenum, ac Vistulam fluvios, Oceanumq;, & Danubium positæ Germaniam incolunt, ita perdomuit, ut eas tributarias fecerit:* Sed longè major Christianis virtutibus, religione in DEUM, misericordiâ in pauperes, largitate in Ecclesias, & religiosos homines, fortitudine in barbaros hostes, patientiâ in adversis, clementiâ in devictos, pietate in suos, caritate in o-



mnes, ob quæ etiam Nithardus, ex filia ejus nepos, scriptor perhibet, *Magnus, & incomparabilis Imperator est salutatus.* Paulus Diaconus Carolo familiaris in Chronico Metensi, *Excellentissimum Regem, & Imperatorem* appellat, de quo *nescius utrum fortitudinem bellicam in eo, aut sapientiæ claritatem, omniumq; artium liberalium peritiam & cumprimis Christianas virtutes demiretur.* Unico duntaxat mulierum amore excepto, quod vitium seriâ demum pœnitentiâ expiavit, sæpe etiam cilicio indutus; Indè Baronij judicium est, neque ante eum repertum Imperatorem, neque post eum adhuc cognitum, qui virtutes, & gloriam ejus exæquarit, adeò incomparabilis, inter omnes Reges, & Cæsares Christianos; cætera Eginardus, qui vitam ejus diligenter scripsit, Annales Francici, cæterique auctores explicatiùs tradiderunt, & nos quatuor libris res ab eo per Saxoniam præclarè gestas prosecuti sumus, hisce verò IV. libris Caroli religionem Catholicam, atque ea, quæ Nifanius nobis controversa fecit, potissimùm explicabimus.

Tandem Carolus condito abs se maturè testamento, quod ab Eginardo, alijsq; accepimus, accedente ad seniũ febri, & lateris dolore, cum neq; corpus aliter, quam rarissimo potu sustentaret, septimo postquam decubuit die, sacrâ communione perceptâ, anno Christi DCCCXIV. ætatis circiter LXXI. regni XLVII. subactæ Italiæ XLIII. ex quo verò Imperator, & Augustus est appellatus XIIII. v. Kal. Februarij Aquisgrani, ubi hyemabat, rebus humanis excessit. Sepultus est eâdem, quâ defunctus est, die, Aquisgrani in Basilica, quam ipse ex amore Domini nostri Jesu Christi, & ob honorem sanctæ, & æternæ virginis Genitricis construxit. Extructus super tumulum ejus arcus deauratus cum imagine, & inscriptione in hæc verba:

> *Sub hoc conditorio situm est corpus Karoli Magni, atque Orthodoxi Imperatoris, qui regnum Francorum nobiliter ampliavit, & per annos XLVII. feliciter tenuit. Decessit septuagenarius. Anno Domini DCCCXIV. Indict. VII. V. Kal. Februarij:*

Ita Eginardus, & Francici annales: Engolismensis verò Caroli vitæ scriptor in hæc verba excessum ejus tradit: *Oleo sancto inunctus ab Episcopis, & viatico sumpto, & omnibus suis dispositis, commendans Deo spiritum, obijt in pace.* Addit idem scriptor *corpus ejus aromatibus conditum*

est, &

est, & in sede aurea positum in curvatura sepulchri, ense aureo accinctum, Evangelium aureum tenens in manibus, & genibus, reclinatisq; humeris in Cathedra, & capite honestè erecto, ligatâq; aureâ catenâ ad diadema, & in diademate lignum sanctæ Crucis positum est, vestitum est corpus ejus vestimentis imperialibus, & sudario sub diademate facies ejus operta est. Cilicium ad carnem ejus positum, quo secretè semper induebatur, & super vestimentis imperialibus, pera peregrinalis aurea posita est, quam Romam portare solitus erat, sceptrum aureum, & scutum aureum, quod Leo Papa consecraverat, ante eum posita sunt dependentia, & clausum, sigillatumq; est sepulchrum. Nemo referre potest quantus planctus, & luctus fuerit per universam terram, etiam inter paganos plangebatur, quasi orbis pater, maximè verò inter Christianos per universum ejus regnum. Theganus verò ChorEpiscopus Trovirensis in vita Ludovici Pij in hæc quoq; verba de Caroli excessu: *Mense Januario Carolus Imperator correptus febri post balneum, cumq; per singulos dies morbus ingravesceret, nihil comedens, neq; bibens, nisi modicum aqua ad recreationem corporis, septimo die postquam laborare cœpit, jussit familiarissimum Pontificem suum Hiltibaldum venire ad se, ut ei Sacramenta Dominici corporis, & sanguinis tribueret, ut exitum vita confirmaret, quo facto laboravit in infirmitate diem illum, & noctem sequentem; In crastinum verò luce adveniente, sciens quod facturus erat, extensâ manu dexterâ, virtute, quâ poterat, signum sanctæ Crucis fronti imprimens, & super pectus, & omne corpus consignavit, novissimè autem colligens pedes suos, extendens brachia, & manus super corpus, clausit oculos psallens hunc versum leniter: In manus tuas commendo spiritum meum. Statim post hæc verba in senectute bona plenus dierum perrexit in pace.* Ita verò Carolus omnibus Ecclesiæ Catholicæ Sacramentis præmunitus, piè placidéque excessit è vita, oleo etiam sacro inunctus, quod Sacramentum est extremæ Unctionis. Sive jam Carolus sub una specie Eucharistiam acceperit, quod Eginardus nomine communionis indicat; sive sub utraque etiam specie, quod ex verbis Thegani confici quidam volunt, parum patrocinatur causæ Lutheranorum. Nec enim negant Catholici utramq; speciem post tempora etiam Apostolorum fuisse in usu, ita ut alibi ac modò sub una, alibi ac modò sub utraque specie præbita fuerit Eucharistia, ut mos pro diversis regnis & provincijs obtinuit, quanquam & Thegani verba per Synecdochen de

una

una ſpecie intelligas licet. Sed hæc,& quis ævo Caroli M. uſus fuerit, in quæſtione de utraque ſpecie expediemus.

Illud verò inter extrema Caroli facta non prætermittendum,quod anno ante obitum extremo,tanquam mortis ſuæ præſagus, ex multis ſignis,& prodigijs,de quibus Eginardus, quæque ipſe ultimum ſibi vitæ terminum prænunciare ſenſit,per univerſum Franciæ regnum,Epiſcoporum ſynodos ſub idem ferè tempus convocari voluit , ut regnum ſimul, & Eccleſiam optimis legibus, optimâq; cleri , populiq; diſciplinâ formatum poſt ſe relinqueret. Atque hæc illa quinque celebria concilia ſunt, *Moguntinum* videlicet , *Arelatenſe, Rhemenſe, Turonenſe & Cabilonenſe*, quæ deinde Carolus , cum ſingulorum ſtatutis ad ſe delata approbavit. Ex quibus,ſi nihil aliud ex Caroli actis ſupereſſet,ſatis,ſuperque intelligi poterit , quam religionem Carolus coluerit , Catholicam,an Lutheranam,quod Niſanius cum ſuis novatoribus ſomniat.

Quanquam ſi quis omnem vitæ rationem, & formam; ſi quis Catholicæ fidei profeſſionem , quam ad Epiſcopos Hiſpaniæ ſcripſit , ſi Pontificis,& Apoſtolicæ Sedis defenſionem,& amorem,ſi cultum religionis per ſingula fidei capita,ſi fundatos ab eo Epiſcopatus,formatosq; ſi collegia clericorum, cœnobia Monachorum,ſanctimonialium,& ſacratarum Deo virginum monaſteria,ſi tot ſynodos ſub Carolo celebratas,approbatasq;,ſi tot leges,& ſanctiones quibus cleri,Monachorum, & ſanctimonialium vita formatur, ſi quis denique omnia monumenta Carolina,ex Capitularium libris,& hiſtoricorum ſcriptis pervolverit, & expenderit , mirum quomodo vel per ſpeciem aliquam prudenti in mentem venire poſſit , Carolum,aut aliam quàm Catholicam religionem,aut mixtam ex novatorum placitis,ſectisve coluiſſe. Sed nunc per ſingula eundum, ex quibus Niſanius nobis larvatum ſuum Carolum introducit.

Caput IV.

CAPVT IV.

De Ecclesia Christi, quam malè Lutherani, rectè Catholici nobis describunt.

PRimam nobis controversiam ex Carolo M. Adversarius movet de Ecclesia, quam duplici tractatu complexus est: In primo agit de Ecclesia ejusque notis, in altero, de corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, in eoq; caput visibile Ecclesiæ oppugnat. Nos hæc in unam continuam tractationem contrahemus, quæ ille sparsim & tumultuario opere proponit. Et verò quia hæc controversia fundamentum est cæterarum, ideo fusius aliquanto de hac agendum fuit: Nam inventâ verâ Christi Ecclesiâ, invenitur verus Judex controversiarum omnium, quæ agitantur cum hæreticis; invento Judice, invenitur omnis controversiarum infallibilis decisio. Quicquid enim tot libris, & scriptis, tot congressibus publicis, & privatis, tot disputationibus, & altercationibus inter nos agitur, frustra agitur, nisi ad Ecclesiam veram, & judicem controversiarum reditus fiat: Non alius hic exitus aut finis, aut salus quærentium veram fidem, & salutis viam. Ita sapientes omnes, ita res ipsa nos docet. Igitur de ipsa Ecclesia primùm agamus, quæ cum vera religione, ut Augustinus lib. de vera relig. c. 5. scripsit, *neq; in confusione Paganorum, neque in purgamentis Hæreticorum, neque in languore Schismaticorum, neque in cœcitate Judæorum quærenda est.*

Ac primum si à priscis hæreticis quæras, quid sit Ecclesia? Pelagianis olim Ecclesia erat, *Congregatio perfectorum nullum peccatum habentium.* Ita August. lib. de hæresibus cap. 88. quam definitionem Calvinus attribuit Anabaptistis. Novatianis & Donatistis Ecclesia erat *Congregatio justorum qui nunquam lapsi erant abnegando fidem.* Ita de his August. lib. de hæres. c. 69. & Cyprianus lib. 4. ep. 4. Wiclef & Hussitæ Ecclesiam definiunt, *Congregationem Prædestinatorum*, Ita de his Thomas Waldensis tom. 1. lib. 2. Conc. Constant. sess. 15. Hussitis accedit Calvinus

cui *Ecclesia est congregatio ex solis justis & prædestinatis conflata.* lib.2.Instit.c.2.§.9.10.11.Idem lib.4. Instit.c.1. docet, *veram Christi Ecclesiam à solo Deo cognosci posse.* Interim Morpheus ille admittit Ecclesiam quandam externam,in qua boni & mali admixti sint. Absona hæc omnia, & falsa,cum Ecclesia sit visibilis hominum congregatio, ad quam quilibet se aggregare debet, quæq; visibiliter regi possit. quinam autem illi perfecti & justi,quinam electi & prædestinati sint, quibus te aggreges, aspectabile non minus, quam si Ecclesiam spirituum aut separatarum animarum fingas inter homines.

Demum Lutherani, *Ecclesia est*,inquiunt, *congregatio Sanctorum, in qua Evangelium rectè docetur, & rectè administrantur Sacramenta.* Ita Augustana confessio art.v. sed non minus absurde. Tum quod illa congregatio Sanctorum nobis incognita sit, adhæc peccatores fideles etiam intra Ecclesiam contineri certum est,quâ super re Bellarm.lib.3. de Eccles.c.9. cæterique doctores. Tum quod nulla hoc ævo sit secta, quæ non profiteatur apud se rectè doceri Evangelium, & Sacramenta administrari. Id enim Calvinistæ, Arminiani, Anabaptistæ, Zwingliani, Puritani,& omnes in Germania, Hollandia, Anglia, sectæ sibi vendicant. Tandem in Apologia Augustanæ confess. *Ecclesia* definitur, *congregatio Sanctorum qui verè credunt Evangelio, & habent Spiritum sanctum.* Sed hæc definitio eòdem redit, nec enim constat quinam illi sancti sint qui verè credunt; dicunt quidem solâ fide justificari hominem,& qui ita credunt,ut Lutherani credunt,omnes sancti sunt. Sed & principium illud falsum est. Adhæc omnes modò sectæ idem dicunt, docentque qui ita credunt, ut nos Calvinistæ, Zwingliani, Anabaptistæ & Puritani credimus,sancti sunt. In quo ergò discernas Lutheranam Ecclesiam ab alijs? Dicent,Innocentius Pontifex definit Ecclesiam quæ sit, *Congregatio fidelium.* cap. *Firmiter.* Et Nicolaus Papa dist. 1. de consecrat.can. *Ecclesia* quod *sit congregatio Catholicorum.* ℞. Neutram definitionem esse plenam, quando alter Hæreticos, alter Schismaticos tantum excludere voluit. Qua super re Bellarm.lib.3. de milit.Eccl.c.5.

At quænam Catholicis Ecclesia? Hanc Nifanius calumniando ita nobis describit & dividit: *Est regnum Pontificium, in quo mixtura sit rerum diversissimarum, quarum una Deum auctorem habet, nempe purum & syncerum ministerium prædicandi Evangelium, & dispensandi Sacra-*

di Sacramenta, altera Antichristi propria est, & regno Pontificio, in quo non nisi pulvis, fermentum, lutum, faces, ac mera sordes humanarum traditionum & superstitionum. Alterum suæ Ecclesiæ Lutheranæ ex illa cessisse docet, nempe ministerium rectè prædicandi Evangelium & Sacramenta administrandi. Alterum sibi Pontificiam Ecclesiam retinuisse, ut jam nihil sanum, nihil integrum sit apud Catholicos, secus quam Lutherus judicavit asserendo, verum baptisma, vera Sacramenta & omne bonum esse apud Catholicos. Et unde Lutheri baptismus, unde cætera? Quin mihi persuadeo cæteros Lutheranos mitius sentire de Catholicis, alias enim majores nostri cum vestris à Carolo M. ad Lutherum, & à Luthero ad hæc tempora damnandi erunt: vel enim apud vos solos permansit ministerium recte docendi & Sacramenta administrandi, vel etiam apud Catholicos simul. Si apud vos solos, jam damnandi omnes erunt quotquot ante Lutherum fuere Catholici, & quotquot consecuti sunt, quod nec ipsi Lutherani credunt. Vel etiam apud Catholicos mansit ministerium recte docendi, & Sacramenta administrandi, & tum non apud vos solos permansere hæc salutis media. Verùm cum doctrina nostra in substantialibus fidei articulis sit contraria doctrinæ Evangelij vestri, & Sacramentorum, quomodo hæc conciliabis, ut non simul damnes Catholicos necesse sit? sed his calumnijs hujus PseudoEpiscopi in præsens omissis, Catholicorum definitionem audiamus.

Bellarminus lib. 3. de Eccles. milit. c. 2. definit *Ecclesiam esse cœtum hominum ejusdem Christianæ fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione colligatum sub regimine legitimorum Pastorum & præcipuè unius Christi vicarij Romani Pontificis.* Hæc Bellarmini definitio excludit Judæos, Turcas, Paganos, Apostatas, & tam priscos, quàm omnes hujus sæculi hæreticos. Similem à vobis exspectamus, qua cæteri omnes hæretici excludantur. Id hactenus non præstitistis ex quo jam supra centum annos cum Luthero cœpit vestra Ecclesia. Cum Bellarmino faciunt Canisius in opere catechetico, Valentia disput. de fide q. 1. Tannerus disp. 1. de fide q. 3. dub. 2. Comptonus disp. 21. de fide sect. 2. Stapletonus controvers. 1. q. 4. alijq; innumeri. Suarez tract. de fide disp. 9. sect. 1. *Ecclesia*, inquit, *est corpus politicum & morale, compositum ex hominibus veram Christi fidem profitentibus sub uno Ecclesiæ capite &*

vicario Christi. Quam postremam partem definitioni suæ includi vult, quemadmodũ Cyprian. loquitur: *Ecclesia est plebs Sacerdoti adunata & Pastori suo grex adhærens.* Addunt alij, est *cœtus* præterea *in uno sacrificio ijsdemq́ꝫ Sacramentis DEO serviens & peculiarem ei cultum exhibens,* per quæ ab omnibus alijs cœtibus distinguuntur. At in vestra Ecclesia non est vera fides profitentium, nec unum religionis sacrificium, nec unum Ecclesiæ, & corporis hujus visibile caput, per quæ ab alijs hujus sæculi hæreticis discerni possitis.

In qua nunc Ecclesia Carolum M. constituemus? Sane non in alia, quam descripsimus, Ecclesia Catholica. Nam fidem illum suam professum esse veram, eamq; sub Pontifice Romano & Apostolicâ sede, satis constat ex ijs, quæ supra relata c.3. Hinc ultro se defensorem & adjutorem Romanæ Ecclesiæ toties profitetur, palamq; scribit in epistola ad Hispaniæ Episcopos; *Se tota mentis intentione & cordis alacritate Apostolicæ sedi conjungi*, quæ tibi est sedes Antichristi. Secundò Carolum fidem suam professum esse sub regimine legitimorum Pastorum & Episcoporum, clarum est ex omnibus synodis ejus & Capitularium libris, in quibus prima, & præcipua pars decretorum est de Metropolitanis, & Archiepiscopis, de Episcopis, & Sacerdotibus. Hinc moriturus testamento partem thesauri sui scripsit, & divisit inter XXI. Metropolitanos Episcopos regni sui. Ut constat ex testamento ejus apud Eginardum. Ubi nunc ejusmodi Archiepiscopi, & Episcopi, & Pastores Ecclesiæ apud vos Lutheranos, quales ille Saxoniæ imposuit. Si consecrationes eorum, si potestatem ordinis, & jurisdictionis, si Sacramentorum administrationem, si doctrinam, si denique ipsam vitam & mores expendere libet. Tertiò Carolum M. professum esse suam fidem in uno sacrificio religionis, quod sacrificium Missæ dicimus, quodque toto orbe Christiano unum erat, constat ex ijs quæ Romæ egit celebrando tertium Pascha, cum Hadriano Pontifice, quæq; Pontifice ipso Missarum solennia celebrante, ad altare obtulit; à Leone deinde inter Missarum solennia Imperator coronatus, & inunctus est. Et quid templa & altaria ab ipso constructa, quid calices cæteráque vasa sacra, & ornamenta altaris ab eo oblata. *Sacrorum vasorum,* scribit Eginardus, *ex auro & argento, vestimentorumq́ꝫ sacerdotalium tantam in ea copiam procuravit, ut in sacrificijs celebrandis ne janitoribus quidem, qui ultimi Ecclesiastici ordinis*

dinis sunt, privato habitu ministrare necesse fuerit. Quid capella domestica pro quotidiano sacrificio, de qua in testamento ejus, quid Episcopi, & Sacerdotes in castris, nisi primo ad sacrificium Missæ peragendum, quid innumera testimonia in synodis & Capitularium libris de sacrificio Missæ ritè & secundum morem Romanum celebrando. Sed de his suis locis explicatius agetur.

CAPVT V.

De Corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, et capite ejus.

CORpus Christi duplex est, verum & mysticum. Verum corpus, est quod ut Christus primus ac verus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, in ultimâ cœnâ dedit. Ita ex testamento veris Ecclesiæ filijs sub specie panis & vini Sacramentum & sacrificium reliquit. Nihil hoc dogmate clarius testatiusq; adversus Sacramentarios apud Evangelistas & Apostolum. Matth. 26. Marci 14. Luc. 22. Joan. 6. 1. Cor. 11. Planissima enim Christi verba: *Hoc est corpus meum*, & *Hic est sanguis meus*, quemadmodum planissimus ille literalis sensus à Concilijs, Patribus, traditione, & consensu totius antiquitatis assertus est, qua super re nihil hoc loco agendum est. Utrumq; divini & immensi amoris pignus, quo nihil ex thesauro Christi aut præstantius sumitur, aut dignius colitur, aut sanctius adoratur: Nam quæ corporis animíque puritas requiratur ad Sacramenti sumptionem, docet Apostolus: *Probet semetipsum homo, qui enim manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit non dijudicans corpus Domini*, rursum supra, *Reus erit Corporis & Sanguinis Domini.* Par est ratio de ipso sacrificio quod in corpore & sanguine Christi offertur, ut vel inde dixerit S. Augustinus serm. 181. *Sola atq; una est vera Catholica Ecclesia, in qua hostia redemptionis immolatur, & Sacrificium Dominus libenter accipit.* Quantâ deinde vitæ innocentiâ, divini cultus veneratione, & ma-

jestate religionis sacrificium peragatur, docent nos, Sacerdotum consecratio, castissimæ ceremoniæ, templa, altaria, vasa sacra, & indumenta sacerdotalia. Et si ipsum Sacerdotium, atque omnium inferiorum ministrorum ordines considerentur, omnes ad unum hoc sacrificium, & altaris ministerium ritè ac dignè peragendum primario instituti sunt. Diaconi enim est, sacerdoti in sacrificij oblatione ministrare, assistere & tempore sacrificij Evangelium legere. Hoc illud D. Laurentij Diaconi ad Sixtum Pontificem: *Tu nunquam sine ministro sacrificium offerre consueveras.* Similiter Subdiaconi munus est ministrare Diacono in sacrificio, & legere Epistolam tempore sacrificij: Hinc dum ordinatur accipit calicem vacuum & patenam. Acolythi munus cum cereo accenso sequi Diaconum, ad locum Evangelij, & urceolos, atq; ampullas ad sacrificium præparare; eòdem cæterorum officium refertur. Ut hæc ex traditione Ecclesiæ, Concilijs, Patribus, & libris sacrorum rituum, & praxi Ecclesiæ constant, satisq; in Capitularibus Caroli M. ac synodis sub eo habitis toties confirmantur. Quanquam nullibi expressius singulorum ordinum & clericorum munia leges, quam in Concilio Aquisgranensi sub Ludovico Pio celebrato. Demum unde illa Sacerdotum dignitas super Reges, & Principes, nisi ex potestate ordinis in verum corpus Christi quod consecrant, populo distribuunt, & in sacrificio offerunt. Sed hæc mysteria heterodoxis sunt abscondita. Enimvero ex quo Lutherus primo potestatem ordinis ex Ecclesia sua sustulit, & ab Ecclesia sese cum suis per novam hæresim separavit, nec verum Christi corpus in Sacrificio, nec in Sacramento suo Lutherano populo reliquit. Nam cum Episcopus non fuerit, neq; Episcopos consecratos secum traxerit, à quibus in Ecclesia sua Sacerdotes consecrarentur cum potestate ordinis, verum Christi corpus in Sacramento Eucharistiæ, & sacrificio Missæ apud eos desijt. Ac tametsi Lutherani palam nobiscum confiteantur adversus Calvinistas verum sese Christi corpus populo dare in cœna sua, nihil tamen magis populo dant quam Calvinistæ, ac multò apertius Calvinistæ, etsi per eandem fraudem, hic agunt, profitendo se tantum signum & figuram dare corporis Christi, quam Lutherani, qui dicunt se corpus Christi verum dare, cum re ipsâ nihil etiam præter figuram administrent, prorsus ut D. Augustinus docuit lib. 93. de Baptismo c. 19. adversus Donatistas: *Per imagines phantasmatum Sacramenta & scripturas ad speciem tenent, non ad salutem.* Alte-

Alterum ergo Christi corpus Mysticum est,& hoc corpus est Ecclesia Christi. Eph. 1. Apostolos de Christo: *Omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* cap. verò 5. *Vir caput est mulieris sicut Christus est caput Ecclesiæ.* ad Coloss. 1. *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ.* Hæc inter nos certa, neque ullus Catholicorum id negat. Tota verò controversia in eo versatur, an non præter Christum aliud sit caput visibile in hoc mystico Christi corpore. Qua in re id rursus observandum, aliud esse caput invisibile per influxum internum gratiæ, aliud per externam & vicariam gubernationem Ecclesiæ. Christus dum in terris esset, Ecclesiam fundavit, instituendo ministros Ecclesiæ, duodecim videlicet Apostolos, & septuaginta discipulos, instituendo nova Sacramenta, novum Sacerdotium & Sacrificium, novas leges sanciendo, docendo & colligendo populum in Ecclesiam; Ita dum vixit, gubernavit Ecclesiam, & caput visibile fuit Ecclesiæ suæ. Post ascensionem verò in cælum, & visibilem præsentiam desijt esse caput visibile, & cœpit visibile caput Ecclesiæ in Petro, quem Vicarium sui, ut omnes Petri Successores esse voluit, atque id fieri necesse fuit: Ratio est, quia alias mutata fuisset forma gubernandi Ecclesiam, quod absurdum est dicere: Nam Christus dum vixit in terris gubernata est Ecclesia ab ipso Christo, ut à visibili capite; ergò eâdem formâ post ascensionem gubernari debuit, alias mutatâ formâ non esset nunc eadem Christi Ecclesia, sicut omnis respublica mutatur, quando gubernandi forma mutatur.

Hoc illud Catholicum dogma est, quod hic Nisanius & omnes Novatores hujus sæculi odio Pontificis negant & oppugnant; Catholici verò unâ consensione clarissimè demonstrant. Primo Synagoga vet. testam. semper gubernata fuit ab uno visibili capite, nimirum Pontifice. Patet id ex lib. Exod. Levit. & Deuteronomij ac cumprimis Deut. 17. *Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, morte morietur,* ergo & Christi Ecclesia ita gubernari debuit, quod figura debeat correspondere figurato, & quidquid perfectionis est in typo & figura Synagogæ, id perfectiori modo debet esse in re figurata & Ecclesia Christi. 1. Cor. 10. Gal. 3. Heb. 8. & 9. 10. 12.

2. Id convincunt omnia scripturæ testimonia, quibus primatus Petri asseritur Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam*

Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cælorum. Joan. 2. *Pasce oves meas*, quibus accedunt Petri prærogativæ, qua super re totus liber Bellarmini, de Pontif. Becanus de Primatu Petri, aliorumque virorum doctorum volumina & scripta in manibus sunt, quibus accedunt tomi Concil. Gener. in ijsque primorum à Petro Pontificum testimonia in unum collecta. tom. 1. tract. de primatu Rom. Eccles.

3. Ecclesia Christi comparatur *Regno* Daniel. 2. *exercitui* Cant. 6. *Ovili* Joan. 10. *Domui.* 1. ad Timoth. 3. *Corpori humano* 1. Cor. 12. *Sicut corpus unum est, & multa habet membra, ita & Christus.* Igitur ut regnum ab uno rege, exercitus ab uno Imperatore, ovile ab uno pastore, domus ab uno patrefamilias, corpus humanum ab uno capite regitur, ita etiam Ecclesia ab uno visibili rectore gubernari debet.

4. Christus instituit regimen Ecclesiæ perfectissimum, quod sapientum judicio Monarchicum est. Quemadmodum & Angelorum Respublica non aliter, quam sub uno Archangelo Michaële constituta est à Deo, nec aliter à Christo primum administrata est Ecclesia, ut supra diximus, quæ ratio mutata fuisset, quod absurdum est dicere. Quo postremo argumento ita convicti sunt quidam Novatores, ut necessarium habuerint dicere, Christum nunquam dum vixit, formasse Ecclesiam, neque unquam visibilem rectorem in ea egisse, ideoq; Christum caput Ecclesiæ post ascensionem in cælum esse cœpisse, id quod longè est absurdius.

5. Id nomina per eminentiam Romano Pontifici à Concilijs & Patribus data satis ostendunt; Vocatur enim Pontifex Romanus *Caput Ecclesiæ* à Cōcilio Chalcedonensi epist. ad Leonem Pontificem, uti & act. 1. ejus Concilij *Ecclesia Romana Caput omnium Ecclesiarum dicitur*, ita Hieron. in psal. 13. Chrysost. hom. 11. in Matth. Philo Carpatius in Cantica, ita ab Augustino in qq. V. & Nov. Testam. dicitur: *Caput fidelium, & Pastor Dominici gregis.* Ab Optato Milev. lib. 2. contra Parmen. Cyrillo Alexand. lib. 12. in Joannem c. 64. *Caput omnium Apostolorum*, Idem cætera nomina re ipsa continent, quibus *Princeps Apostolorum, Vicarius Christi, Pontifex Christianorum, Summus Pontifex, Princeps Sacerdotum, Pastor ovilis Dominici, Pater & Doctor omnium Christianorum, Pater Patrum, Sponsus Ecclesiæ, Apostolicæ Sedis Præsul, Universalis Episcopus.* Uti hæc omnia nomina apud Bellarm. Baron.

Becanum,

Becanum, aliosq; ex adductis Conciliorum & Patrum testimonijs constant. Et Carolum M. si hic audias, non aliter ille Romanum Pontificem compellat quam *Christi in terris Vicarium*, & *Dominum Apostolicum, ac Petri Successorem.* In Capitulis ab Hadriano acceptis. c.3. lib. 6. capitul. c.231. *Apostolicæ Sedis Pontificem:* Epist. ad Hispan. Episc. *Pastorem Apostolicum:* in Epitaphio Hadriani à Carolo inscripto. *Apostolicæ & primæ sedis Pontificem,* In Epist. Hadriani probata à Concil. Francof. & Epist. ad Hisp. Episcop. Quo omnia spectant, quæ Carolus M. de primatu Petri tam exsertè decernit in Capitulis ab Hadriano acceptis can. 23. & can. 25. Additionum Capitularium. lib. 10. & 11.

6. Ut hic cætera prætermittam, satis id traditio commonstrat, & perpetuum Ecclesiæ regimen ab Apostolorum ævo ad hunc diem traductum, quando non alia auctoritate quam Romani Pontificis Concilia Generalia convocata, controversæ fidei decisæ, appellationes Episcoporum ad Apostolicam sedem factæ, & Ecclesia Catholica per Romanos Pontifices gubernata: Hoc nimirum illud divinum institutum, & hæc Monarchiæ & Hierarchiæ hujus ordinatio, qua Ecclesia Catholica inter tot hæreses sola in unitate fidei conservata est. Ecclesia enim ut præclarè Suarez ostendit lib. de primatu Pontificis, est *spirituale regnum & corpus mysticum perfectissimè in suo genere constitutum, quod unam supremam potestatem in omnia membra habet, unum tribunal, ad quod controversiæ referri possint in eoq; decidi.* Et hoc regnum illud est, quod teste Daniele c.2. *In æternum non dissipabitur.* Hoc corpus quod *totum compactum & connexum est per omnem juncturam subministrationis.* Ephes. 4. & vos demum solvetis? Ne Antichristus quidem id faciet, minus Antichristi ipsius prodromi.

Contra quæ hæresis unquam à tempore Apostolorum, quæ præterquam quod se ab hoc corpore Ecclesiæ & capite disjunxit, non in varias simul hæreses per se divisa & discerpta sit, ut infra tibi referam; Nec in hanc rem exemplis opus: si modò recognoscas, quot sectæ & hæreses, vel unâ Lutheri doctrinâ enatæ sint, & fœdè Germaniam dilacerârint. Gloriaris tu quidem, *Omnia in cœtibus vestris ordinatissima esse, omnemq; confusionem apud vos per sanctiones Ecclesiasticas in provincijs præcisam esse*; Sed ego optarem vel duas provincias Saxoniæ proferri, quæ non ritibus, & ceremonijs inter se dissideant. Tota id Saxonia

clamat, & queritur, & quis ſcandalum illud in populo tandem ex veſtris Eccleſijs tollet; quando alibi ſacrorum veſtes cum Catholicis ex parte retinentur, alibi cum Calviniſtis prorſus abijciuntur. Ne quid de ipſis fidei controverſijs dicam, quibus inter vos colliſi, acerrimè hodiedum diſceptatis, ut libri veſtri & lites commonſtrant, quæ, quia caput Eccleſiæ & ſupremum judicem controverſiarum non agnoſcitis, numquam componentur. Ut benè dixerit Saxoniæ Princeps inter vos: ſcire ſe quid Prædicantes hodie credant, quid autem cras credituri ſint, ne ipſos quidem ſcire aut dicere poſſe. Ita *annua menſtruaq́; fides* apud vos, quod de priſcis hæreticis ſcripſit D. Hilarius. Verum, quia ut Auguſtinus de Manichæis dixit lib. 3. confeſſ. c. 6. *Incidi in homines ſuperbè delirantes & carnales & loquaces nimis.* Audiamus quid adverſus viſibile caput Eccleſiæ obtendas, quod à Romanenſibus & Jeſuitis horum ϑεομάχοις obtrudi ſcribis.

Obijcis ergo 1. ex ſacra ſcriptura id quod ſupra attulimus Epheſ. 1. de Chriſto, *ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam quod eſt corpus ejus.* ad Coloſ. 1. *ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ.* Confirmas ex Caroli Magni Capitularium lib. 1. cap. 12. lib. 4. cap. 21. ubi Carolus aſſerit *Chriſtum eſſe caput Eccleſiæ*, quid infers? ergo non eſt aliud caput in Pontifice Romano. Centies hoc audivimus & centies refutata ſunt. ℞. Chriſtus eſt caput inviſibile per internum influxum gratiæ, & Pontifex caput viſibile per externam gubernationem: Ideò Vicarius Chriſti & Succeſſor Petri, & Apoſtolicæ ſedis Pontifex, qualem ubique Carolus M. agnoſcit. Nam hæc nomina eſſe caput Eccleſiæ & Chriſti Vicarium Pontificemque Apoſtolicæ ſedis, re idem dicunt, ſicut cum Saul dicitur *Rex Iſraël & caput in tribubus Iſraël.* 1. Reg. c. 15.

Obijcit 2. Apoſtolus Rom. 12. dicit: *Multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.* Adducis denuò Carolum lib. 5. cap. 166. idem ex hoc Apoſtoli dicto aſſerentem, & infers: ſi ſinguli membra ſunt in hoc corpore, ergo & Petrus, & Pontifex non minus, quam cæteri fideles ſunt membra. ℞. Apoſtolus diſertè loquitur ibi de Chriſto, quatenus eſt caput Eccleſiæ per internum influxum donorum gratiæ, atque ita & Petrus, & Pontifex ſunt membra, non caput, quod ut cæteri fideles à Chriſto gratiam accipiant. Si verò ſermo ſit de Chriſto, quatenus eſt caput Eccleſiæ per externam gubernationem, tum non ſolùm Chriſtus, ſed etiam Petrus eſt caput, Chriſtus quidem

dem primarium & propria virtute, Petrus verò secundarium,& virtute à Christo participatâ.

Obijcis 3.& hinc sequi dicis,quod Ecclesia sit biceps & monstrum, quia duo habet capita, Christum videlicet, & Pontificem Romanum. ℞. Nihil magis hoc novi neq; monstri est , quam si in uno regno duo sint capita, quorum alterum alteri subordinatum sit, nisi omnia regna quæ Proregem & Regem habent,monstra dicere lubeat. Alter enim est caput primarium,alter secundarium & subordinatum principali. Sed quid ad hoc dicis.Idem Apostolus ad Ephes.5.*Vir*, inquit,*est caput uxoris,* & præter illud caput familiæ, uxor habet aliud caput naturale, ergò uxor tua biceps est,& quale illud domi tuæ monstrum fingis. Imò verò cum Nifanius præter caput naturale sui corporis,quod habet, etiam sit caput uxoris suæ, deinde Superintendens & Episcopus comitatus Ravensbergensis, nulli alij Archiepiscopo, vel Pontifici subordinatus per consequens etiam caput est suæ Ecclesiæ, jam triceps erit Nifanius, & monstrum etiam Ecclesiæ suæ : Quanquam hic aliud monstrorum genus videas,Episcopum cum uxore, Superintendentem simul,& independentem à nullo Metropolitano,vel Pontifice ministrum primarium Ecclesiæ, qui nec Episcopus, nec Sacerdos consecratus sit,quique sine ulla potestate ordinis sacramenta populo administrat. Hæc vera sunt monstra à vobis in Christi Ecclesiam intrusa.

Obijcis 4. Matth. 6. *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Hoc inter palmaria argumenta est Catholicis, quo Petrum Ecclesiæ caput asserunt, quod tu omnium hæreticorum pravitate detorques, ut dicas Ecclesiam non super Petrum,sed Christum solum , aut supra Petri confessionem esse fundatam. ℞. Ecclesia super Christum ut primarium fundamentum est ædificata, juxta illud Apostoli 1.Cor.3.*Fundamentum aliud nemo ponere potest,præter id quod positum est, quod est Christus IESVS.* Fundamentum verò secundarium sunt Apostoli.Eph. 2. *Superædificati super fundamentum Apostolorum.* Inter hos tamen unus Apostolus Princeps. Hoc illud Matth. 16.hic allatum. Ideò Petrus Vicarius Christi, Princeps Apostolorum, Pastor Dominici gregis,cui specialiter dictum : *Pasce oves meas,* Joan.20.Anselmum hic opponis,in hunc locum : *Super hanc petram,id est,super me, quasi dicat,sic es Petrus à me Petra, ut tamen mihi reservetur fundamenti*

dignitas. Quid hoc contra Catholicos? imò hoc ipsum est, quod dicimus Christum esse primarium fundamentum, cui ob id hæc dignitas debetur. Ut autem videas quam falsò agas cum Anselmo, lege quod Anselmus in hoc ipsum Matth. c. 16. scribit: Hanc potestatem, inquit, *ideò uni Petro concessit specialiter, ut ad unitatem nos invitaret, ideò enim eum Principem Apostolorum instituit in Ecclesia, ut Ecclesia quasi unum principalem Vicarium haberet, ad quem diversa membra recurrerent.* Centum tibi in hanc rem Patres citare possem.

At inquis Jonas Aurelianensis lib. 3. de cultu imaginum scribit: *Multi, & penè omnes Petram, super quam ædificatur Ecclesia, fidem Petri intelligunt.* Quasi Christus dixerit super confessionem tuam à te factam ædificabo Ecclesiam meam. At quinam illi Patres? Tu non citas, ego tibi ultrò recitabo. Patres illi sunt Hilarius, Gregor. Nyssenus, Chrysostomus, Ambrosius, Cyrillus Alexandrinus. Sed hi Patres non faciunt contra nos, quia fidem Petri non accipiunt in abstracto, sed ut erat in Petro, & Petrus erat petra Ecclesiæ. Fides præterea ratio fundandi erat, fundamentum verò Petrus, seu ut Suarez Disp. 10. sect. 1. Fides fundamentum est, *ut quo*, Petrus, *ut quod.* Ita citati Patres, alijque hoc simul intelligunt. Qua super re vide quæ cont. IV. adversus Cabiliavium c. 4. alias scripsi, ubi & D. Augustini mentem intelliges. Cæterum innumeri sunt Theologi & Interpretes, qui præter Bellarm. Becan. Suarez, Maldonatum, super hunc locum Matth. c. 16. de ipso Petro id dictum asserant, uti hæc planissima & communissima Patrum sententia est: *Tu es Petrus*, id est, petra, & super te, quasi petram firmissimam, ædificabo Ecclesiam meam, quando in græco πέτρα & πέτρος latinè petram significat, uti in Hebraica lingua est SELA, & in Syriaca CEPHA. Ita Clemens Romanus, Hippolytus, Dionysius, Tertullianus, Cyprianus, Origenes, Epiph. Greg. Nazianzenus, Basil. Ambrosius, Hieron. S. Leo, Hilarius, Chrys. August. & alij cum Concilio Chalcedonensi.

Objicis 5. Caput quod non habet verum influxum in membra, caput dici non potest, sicut Rex, inquis, aut magistratus quale caput esset, si non influxum præberet procurando pacem politicam, tutelam, metum. At Pontifex Romanus per externam gubernationem caput est sine omni influxu. At quæso, quid ineptius à te dici poterat? admittis in rege, & magistratu influxum in membra politica corporis, & in Pontifice

tifice negas, ubi eadem est ratio. Nam sicuti caput naturale habet internum influxum in membra naturalis corporis, ita caput metaphoricum habet metaphoricam,& externam gubernationem,sive hanc etiam influxum dicere libeat, nam fons hujus gubernationis est potestas à Deo data Rom. 13. *Omnis enim potestas à Deo est.* Cui tamen non obstat quin Christus per internum gratiæ influxum simul concurrat. Sicuti scriptum est: *Per me reges regnant;* dando illis potestatem,& influendo per gratiam gubernationis. Sed quid cum hoc hominum genere facias: *Sinite illos,cæci sunt,& duces cæcorum.*

Augustinum hic patronum quæris, quod is lib. 3. contra Petil.c. 42. scribat: *Tota Ecclesia constans ex omnibus fidelibus habet illud caput positum in cælestibus,quod gubernat corpus suum, & si separatum sit à visione,annectitur tamen caritate.* ℞. Augustinus loquitur de invisibili capite, præter quod aliud agnoscit visibile in Pontifice. Epistola enim 162. scribit: *In Romana Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus*, Serm.16. *Ecclesiarum Petra,dicitur Petrus*,juxta illud: *Tu es Petrus,& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et petra dicitur eo quod tanquam saxum immobile totius corporis compagem molemq; contineat,Planius etiam serm.124. caput appellat Petrum: *Quantum hoc divini muneris erga salutem hominum: Totius corporis morbum in ipso capite curat Ecclesia,& in ipso vertice corporis membrorum omnium sanitatem. In Petro scilicet illo qui dixerat,etiamsi oportuerit me mori tecum.* Vide præter caput Christi invisibile, aliud visibile in Petro ab Augustino doceri nos.

Quod vero Augustinus dicat Christum gubernare Ecclesiam per caritatem,satis indicat se de interno influxu loqui, qui per caritatem,& dona gratiæ communicatur regentibus. Cæterum ut Christus per alios ministros Ecclesiæ baptizat, consecrat, ordinat, docet, & Sacramenta administrat,ita Imperium per Imperatores, Regna per Reges, & Principes,eorumq; ministros in Politicis administrat, Ecclesiam verò per Pontificem & Episcopos eorumq; administros gubernat, *Spiritus* enim *Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, universalem per Pontificem, Petri successorem, particulares Ecclesias per Episcopos Apostolorum successores.

Obijcis 6. Tantæ sublimitatis est hoc nomen esse caput Ecclesiæ, ut nulla

ut nulla creatura in communionem hujus nominis ullo modo venire possit, soli Christo manet ut sit caput, Rex, & Dominus, est enim θεάνδρου nomen, quod soli Deo homini convenit, proinde injuriam facit Christo, qui id cum Pontifice communicat. Stolidi hoc Lutherani est argumentum. ℞. Multa nomina quæ Christo conveniunt, etiam hominibus attribuuntur. Christus dicitur Pastor, Episcopus, Pontifex, Apostolus, Doctor, Sacerdos, Lux, Fundamentum, Rex, Princeps, quæ tamen nomina hominibus attribuuntur in scriptura. Hoc argumento regum & principum nomen tollendum esset è Christiana republica. Secundò, Impiè fecerunt SS. Patres supra citati, qui Pontificem appellant Caput Ecclesiæ, & quæ injuria hic Christo irrogata, cum & Dij appellentur homines in scriptura: *Ego dixi Dij estis. Deus stetit in Synagoga Deorum.* In scriptura 1. Reg. c. 15. Saul vocatur *caput in tribubus Israël,* Rasin Rex Siriæ *caput Damasci* Isai. 7. Phacee Rex Israël, *Caput Samariæ.* ita Jeremiæ 31. *Hinnite contra Caput gentium.* Id est contra Reges & Principes. Frivola hæc sunt, nec digna Licentiato Theologiæ.

Pergis delirare. Quemadmodum universa scriptura distinctionem ignorat inter mediatorem, & sponsum primarium, & secundarium, sic nec umbram continet de capite primario, & secundario. Tune Superintendens Prædicantum, & doctor populi, nec legisti ad Galat. 3. *Data est lex per Angelos in manu mediatoris*, id est Moysis? Quid hic censes? Moyses fuitne primarius an secundarius Mediator? Sponsum Ecclesiæ dici Pontificem, lego in Concilio Lugdunensi, sed non aliter quam Pastor Ecclesiæ loco Christi; nam verus & principalis Sponsus Christus est Joan. 3. Quia spiritu suo Ecclesiam fœcundat, ut filij nascantur, Pontifices dicuntur sponsi, quia cooperando extrinsecus in generatione filiorum collaborant. Ita Episcopi sponsi vocantur particularium Ecclesiarum, annulúmq; gestant desponsatæ sibi Ecclesiæ, cur non & Pontifices ex supremo Episcopi munere? Quo sensu D. Bernardus monet Eugenium Papam, ne se Sponsum Ecclesiæ existimet, sed amicum Sponsi. Sed unde tuum Superintendentis nomen, quod ego in tota scriptura non invenio, sed ubiq; Episcopi nomen, nec in ullo Concilio legi Episcopum ullum Superintendentis nomine subscripsisse. Certè sponsi nomen non meremini, qui ex sponsis carnalibus fecistis vobis uxores carnales. Catholicorum est illud Apostoli 2. Cor. 11. *Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.* Objicis

Obijcit 7. Catholici Ecclesiam suam formant non modò bicipitem, sed etiam tricipitem faciunt, quando D. Paulum æquant S. Petro. Et si præter Christum Petrus sit caput Ecclesiæ, Paulus tertium caput erit Ecclesiæ. Extremum hoc virus est, quod ex serpentina cauda hic extrahis & spiras. At quinam hi Catholici qui id docent. Antiquine Patres, & Concilia? Hos tu non sistis, nec sistes, sed ex schola Sorbonica adducis Vergerium, Haraunium, Hallierium. Verum dum hanc sententiam novam, quæ duo Ecclesiæ capita conflata ex duobus, ex Petro & Paulo, vel unum ex duobus conflatum ponit, auditis Cardinalium & inquisitorum judicijs inter hæretica dogmata damnatam agnoscis, quid ex illa Catholicos oppugnas, nisi ut calumniandi libidinem tuam expleas. Quidquid inter Catholicos morbidum, hoc ad saniem tuæ purulentæ hæresis attrahis. Satis hæc Arriaga, Raynaudus alijque Theologi refutarunt, & ante eos Bellarminus lib. 1. de Pontif. c. 27. de comparatione Petri cum Paulo. Becanus lib. 2. de republica Ecclesiastica, adversus M. Antonium cap. ultimo, quo exquisitè, & solidè hæc pertractavit. Uti quatuor illis libris Primatum Petri super omnes etiam Apostolos ex jurisdictione divina illi à Christo data revincit, omitto alios innumeros. Hos auctores aut unum hoc Becani caput scriptum de comparatione Petri & Pauli, si quid in te ingenij aut judicij est, refelle, ut speciem aliquam ordinati, & literati scriptoris ostendas. Tota hæc tua tumultuaria scriptio non aliud est, quam farrago calumniarum, hominis ex Baccho Lutheri eructantis scommata in Pontificem, grassantisq; per omnia fidei dogmata sine doctrina & judicio. Hinc non aliam inscriptionem meretur liber tuus, quam: *Ex omnibus aliquid, ex toto nihil.* Fundamenta Catholicorum præteris, & responsiones eorum ad vestra argumenta supprimis. Hinc quæ ex Gregorio M. adfers adversus Joannem Constantinopolitanum Patriarcham, Vniversalis Episcopi titulum sibi arrogantem, quem à Concilio Chalcedonensi S. Leoni Pontifici attributum refert Gregorius M. lib. 4. c. 35. cæteráq; quæ tanquam canis è Nilo rapis, ea nec mihi contingere libet, quando satis hæc à Baronio, Becano, alijsq; sunt diluta, cumprimísque à Bellarmino lib. 2. de Pontif. adversus superbiam Constantinopolitanorum Episcoporum, speciatim verò c. 31. rursumq; in appendice ad libros de Pontif. c. 7. ubi hanc controversiam de nomine universalis

Episcopi

Episcopi pertractat, loca tibi ostendo. Quid opus chartas implere ijs quæ trita sunt, & toties refutata. Tandem aliquid novi ex ingenio tuo exsculptum profer. Adeo pharetra hæresis vestræ jam exhausta est, tela quæ promitis obtusa, & quid à vobis exspectemus, quod non multo subtilius à Calvinistis vibratum sit. Interim una omnium hæreticorum conspiratio adversus Catholicos & una pharetra. *Opinio diversa*, inquit Augustinus in psal. 80. *Vanitas una & quamvis opinionum varietate discordent, simili tamen vanitate colligantur, adeo Samson caudas vulpium colligavit*, quibus insidiosos dolososq; hæreticos significari dicit capitibus aliò atq; aliò diversis, caudis tantummodo inter se colligatis, ut supra diximus.

CAPVT VI.

Vera Christi Ecclesia in terris militans visibilis est.

VIsibilitatem Ecclesiæ huic definitioni innecto, quod inseparabilis ab Ecclesia, quæ est *congregatio hominum visibilium*, non Angelorum, non Spirituum, aut animarum à corpore separatarum, aut triumphantium in cælis beatorum: Hinc ab Apostolo toties corpus dicitur, quod ex natura sua visibile est.

Quæ ratio etsi satis esse debeat apud eos, qui ratione utuntur, non tamen apud hæreticos nostros locum habet, qui dicunt Ecclesiam esse invisibilem, ac soli Deo cognitam. Inde justorum tantum, aut perfectorum, aut Prædestinatorum, aut Sanctorum fingunt Ecclesiam, quæ soli Deo sit cognita. Moniti quidem Lutherani sub initium hæresis suæ, ne tam absurdam sententiam profiterentur, uti Staphilus Apol 1. p. 3. scribit. Hinc velo aliquantum flexo cœperunt docere Ecclesiam esse visibilem: Ita tamen ut nomine tantum visibilem, re invisibilem statuerent, dicerentq; Ecclesiam quidem primis quinq; sæculis visibilem fuisse, sed postea per mille annos usque ad Lutherum invisibilem fuisse, quemadmodum ipse Lutherus ab Erasmo hac super re agitatus respondit, Ecclesiam

clesiam illam quæ vulgo Ecclesia dicitur, id est, Papam, Episcopos, Clericos, Monachos, & totam illam multitudinem Catholicorum non exhibuisse veram Ecclesiam, sed in ea Ecclesia sub Romano Pontifice fuisse semper pios, & paucos homines tanquam reliquias, apud quos vera Ecclesia permanserit. Ita Lutherus in lib. adversus Catharinum, & lib. de abroganda Missa part. 1. *Quis*, inquit, *Ecclesiam nobis monstrabit, cum sit occulta in Spiritu, & solum credatur, sicut dicitur, Credo Ecclesiam Sanctam.* Hæc Magdeburg. cent. 1. lib. 1. c. 4. hæc Brentij in confess. Wittenbergensi. hæc Lutheranorum passim & cumprimis Nisanij sententia, & hæresis est, quæ refellitur.

Primo ex scriptura: Christus enim in Evangelio comparat Ecclesiam *Sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti*, comparat *convivio nuptiali*, ad quod boni, & mali vocati, comparat *decem virginibus*, quarum quinque prudentes, totidem fatuæ, comparat *Ovili*, in quo oves, & hædi, comparat *magnæ domui* in qua sunt vasa omnis generis, alia in honorem, alia in contumeliam. Hæc manifestè ostendunt Ecclesiam visibilem, deinde talem etiam Ecclesiam, in qua boni, & mali sint, nec tantum justi, prædestinati, & Sancti. Hinc Augustinus ut supra allatum tractat 6. in Joan. *Nos fatemur in Ecclesia Catholica bonos, & malos esse, sed tanquam grana & paleas.*

Secundo. Probatur ex alijs innumeris Sacræ Scripturæ testimonijs, quibus Ecclesia comparatur *Monti magno* Esaiæ 2. *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini.* Daniel. 2. dicitur *Lapis excisus sine manibus, qui crevit in montem magnum.* Mich. 4. *In novissimo dierum erit mons Domus Domini præparatus in vertice montium & properabunt gentes multæ.* psal. 18. *In sole posuit tabernaculum suum* Matth. 5. *Non potest civitas abscondi supra montem posita.* Hæc omnia de visibili Ecclesia dici, docebunt te Patres omnes; quos apud Suarez lib. defens. Catholicæ fidei, & interpretes legis. Omitto in hanc rem cætera scripturæ testimonia.

Tertio. Probatur. Illa Ecclesia necessario est visibilis, in qua Episcopi & Pastores visibiliter debent gubernare sibi subditum populum, visibiliter docere, Sacramenta administrare, peccantes corripere, contumaces à communione separare. At hæc omnia fiunt in vera Christi Ecclesia, ergo vera Christi Ecclesia necessario est visibilis. Minor probatur.

F batur.

batur. Matth. 18. *Dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Act. 20. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis.* Ostendite vos Lutherani à sæculo v. ad xv. vel unum Episcopum, unum Sacerdotem, unum Ecclesiæ ministrum, qui ritu vestro Sacramenta administrârit, populum vestram fidem docuerit, aut populi cœtus collegerit.

Quarto. Probatur. Illa Ecclesia necessario est visibilis, in qua publicè indicuntur & celebrantur concilia, sanciuntur canones, dirimuntur controversiæ fidei. Hæc omnia fiunt in vera Christi Ecclesia. Ex quo Apostoli Act. 15. Hierosolymis primum concilium celebrârunt, & post illud Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, aliáq; concilia œcumenica, cum Tridentino octodecim sunt habita: ut nihil hic dicam de Concilijs Nationalibus, Provincialibus, & Diœcesanis Synodis, quarum tot sub Carolo M. celebratæ, ac quotannis fere convocatæ sunt habitæq; in conventu Episcoporum, Abbatum & Sacerdotum, ut non aliam ille Ecclesiam agnoverit, quam sub regimine Pontificis Episcoporum ac Sacerdotum. Ostendite nunc denuo vos Lutherani vel unum Concilium Diœcesanum, ne quid de alijs dicam concilijs, in quo Episcopi aut ministri vestræ illius occultæ Ecclesiæ à sæculo V. aut à Carolo M. ad Lutherum publicum Concilium conventumque egerint.

Quinto. Probatur. Omnis hominum societas cum hominum sit, & non Spirituum, in signis externis ac visibilibus consistit, quando homines non aliter in militiam, in civitatem, in regnum, aut in aliam rempublicam adscripti conveniunt, quod idem in Ecclesiæ cujusque congregatione fieri necesse. Quare August. lib. 19. contra Faustum c. 11. *In nullum nomen religionis seu verum, seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Inde non modò universalis Christi Ecclesia, sed & particulares etiam, ut Corinthiorum, Ephesiorum, Bithyniæ, Cappadociæ, Galatiæ, & septem illæ Ecclesiæ, ad quas S. Joannes in Apocalypsi scripsit, tum quotquot in Asia, Græcia, Italia, Hispania, Gallia, Germania erant, ab Irenæo & Tertulliano, etiam inter ardentes Tyrannorum persecutiones, semper notæ visibilesq; fuerunt, & ratio, quia cœtus erant

visibilium

visibilium hominum non minus quam in universali Ecclesia, quæ ex particularibus illis coaluerat. Imò omnes falsæ hæreticorum Ecclesiæ ex provincia, & loco, & conventiculis suis monstratæ sunt, ut mirum sit, hæreticos per mille annos nobis suorum sanctorum & justorum Ecclesiam fingere invisibilem audere. Sanè quo visibili modo Ecclesia sub Christo & Apostolis cœpta est, eo quoque modo ad nostra tempora per orbem propagata est:

Accedit, quod omnes homines sub periculo æternæ salutis teneantur se aggregare ad veram Christi Ecclesiam, & præpositis suis obedire. Hoc Cyprianus Epist. 74. *Non potest quis habere Deum patrem, qui non habet Ecclesiam matrem.* Quod axioma repetit Augustinus lib. de Vnit. fidei, additque, *sicut nemo evasit qui extra arcam Noë fuit, ita nec qui extra Ecclesiam foris fuerit.* Quod ipsum tradit Hieronymus Epist. ad Damasum Papam. Jam si Ecclesia sit invisibilis & occulta, ut per mille annos fingunt hæretici, quomodo ad eam accessus patuit.

Sexto. Probatur Patrum testimonijs quæ hic innumera sunt, pauca ex his recito. Origenes hom. 3. in Matth. *Ecclesia plena est fulgore ab Oriente usque in Occidentem.* Cyprianus lib. de unit. Eccles. *Ecclesia Domini luce perfusa, radios suos super orbem terrarum spargit.* Chrysost. hom. 4. in c. 6. Isa. *Facilius est solem obscurari quam Ecclesiam.* Aug. lib. 3. contra Epist. Parmenionis c. 5. *Ecclesia declarata est, quæ supra montem ut dictum est, constituta abscondi non potest.* Tract. 1. in Epist. Joan. *Nunquid digito ostendimus Ecclesiam fratres mei, nonne aperta est.* Tract. 2. in Joan. *Quid amplius dicturus sum quam cæcos, qui tam magnum montem non vident.*

Septimo. Ratione ex absurdis ducta, si Ecclesia latuit per mille annos certis semper justis & viris cordatis remanentibus, qui Papæ contradixerunt. Quare ergo nemo se ex illis adjunxit Luthero & Calvino, præter eos quos deceperant. Secundo si latuit Ecclesia, pejor fuit omni hæretica sectâ, & populo Judæorum post eversionem Hierosolymæ, quod certe est blasphemum dicere, ut Bellarminus asserit; Nam omnis hæretica secta habuit sua templa, suos visibiles pastores, & pleræq; etiam Episcopos, sua Sacramenta, suos publicos cœtus. Similiter Judæi post eversam Hierosolymam habuere suas Synagogas, & publicas ceremonias conventusque: At nihil horum in latenti Ecclesia quam fingitis.

Obijciunt illud vulgare : Quod fide credimus non est visibile, Ecclesiam fide credimus, quia dicimus , *Credo sanctam Ecclesiam*, ergo Ecclesia visibilis non est. Respondet Suarez, Becanus & alij: Quod fide credimus non est visibile, ea ex parte, qua sub fidem cadit, tametsi ex alia parte , qua sub fidem non cadit visibile sit. Multa hujus rei exempla. Apostoli videbant in Christo humanitatem, credebant divinitatem. In baptismo videmus externam aquam, & ablutionem, credimus internam vim regenerandi. In codice bibliorum videmus chartam, & scripturam, credimus quod in eo continetur verbum Dei. Idem est de Ecclesia. Videmus in ea homines, externos ritus, Sacramenta, credimus veram doctrinã, quæ in ea traditur. Tam levi responso Lutheri Achilles sternitur.

At Nisanium audiamus, Lutherani , inquit ille , nec adstringi debent, nec possunt, ut Ecclesiam suam ante Lutherum ostendant. Hic tu primùm forum declinas, quod malæ , & desperatæ causæ tuæ præjudicium est. Sed quam hujus rei causam adfers. Papistæ, inquis, supponunt omnem etiam particularem Ecclesiam debere esse visibilem. Ita est , Nisani , nec id supponimus modò , sed luce etiam clariùs monstramus vobis, ut jam audisti , & quam tu crassus Lutheranus , ut id non capias. Admittis Ecclesiam universalem esse visibilem, sed dicis id non requiri à quavis particulari Ecclesia ratione verorum membrorum, ut sit visibilis, & ut publicum suæ religionis exercitium habeat. Quam hæc insulsa responsio. Omne corpus visibile est quia membra habet visibilia , Ecclesia corpus est teste Apostolo, ergo Ecclesia est visibilis, quia membra habet visibilia: membra autem hæc, ex quibus universalis Ecclesia integratur, particulares Ecclesiæ sunt. Hinc ab Apostolorum ævo omnes particulares Ecclesiæ, ut Corinthiorum, Galatarum, Ephesiorum, aliæq; per orbem semper visibiles fuerunt ad Lutherum usque, & publicum habuêre exercitium religionis, publicos pastores, & Sacerdotes, publicam doctrinam verbi Dei, publicam Sacramentorum administrationem. Ita nova illa Labbadæi Ecclesia apud vos, etsi non multum suprà, quàm centum capitibus constaret, illicò visibilis apparuit, & per totam Saxoniam vulgari cœpit. Igitur hæc Catholicorum suppositio firma manet , donec vos Lutherani ostendatis , ubi intra mille annos ante Lutherum fuerit illa occulta congregatio Sanctorum vestrorum. Hic vel ullam provinciam, ullam urbem, ullum oppidum, pagum, aut villam nobis monstrate, ubi

te, ubi illi Lutherani publicum suæ religionis exercitium coluerint, aut certè delituerint sub Papatu. Atque ut hoc tibi etiam largiamur, saltem fatearis necesse est, universalem Ecclesiam, quæ Catholicis nobis in symbolo traditur, non fuisse apud vos in occulta illa congregatione. Ne hic denuo requiram cur non Calvinistæ, Puritani, Zwingliani, Anabaptistæ, Arminiani cæteræq; sectæ ex his latibulis eodem sibi jure vendicent hanc Ecclesiam. Hic te primùm expedi, antequam hæc somnia tua Catholicis obtrudas.

Dicis 2. Tanquam resumpto ex desperatis animo. Occulta & invisibilis illa Ecclesia primò fuit in infantibus sub Papatu baptizatis. O te miserum Doctorem! qui in cunis quæris Ecclesiam apud infantes, in quibus nulla ratio, nulla professio fidei, nulla prædicatio verbi Dei, nulla Sacramentorum administratiò, excepto baptismo, locum habet, in quibus tamen Ecclesiam constituitis. Imò si quid hæc argumentatiò tua valeat; infantes illi Catholicam Ecclesiam designant, in quâ baptismum Catholicum suscepêre, sicut infantes & pueri vestri innocentes quod salventur, Catholicæ Ecclesiæ debent; una enim est mater nostra Ecclesia, quæ regenerat in vitã. Ne hic denuo quærã, cur non Calvinistæ, Puritani, Zwingliani, ac cæteri hos sibi infantes suæ religioni asserant.

Dicis 3. Ecclesia illa occulta fuit penes eos, qui textum biblicum, qui Decalogum, Symbolum Apostolicum, orationem Dominicam, Evangeliorum libros, & Epistolas Dominicas habuerunt, & confisi sunt in meritis Christi, nec unquam Papatus superstitionem probavêre. Hoc tu dicis, & nunquam probas eos diversam à Catholicis & Papistis religionem coluisse; nec probabis unquam, nisi Berengariarios, Waldenses, Fratricellos, Petrobrusianos, aliásq; damnatas hæreses, ut alij inter vos faciunt, in auxilium advoces. Vel hoc scis, vel non scis, si scis, monstra nobis illos homines, ostende provinciam, urbem, oppidum, pagum, villam, ubi illi publico exercitio Lutheranam religionem coluerunt; si non scis, *sileat aliquando*, inquit August. lib. de hæres. c. 4. *hæreticorum loquacitas nullam habens verecundiam.* Nunquam Synagoga in has angustias redacta fuit, & tu Christi Ecclesiam, quæ in sole posuit tabernaculum suum, per mille annos damnas ad has latebras?

At inquis, Catholici fatentur, inter Lutheranos & Calvinistas aliósq; multi sunt materiales hæretici per ignorantiam invincibilem, ac

soli Deo cogniti, nec proinde damnantur à Catholicis inter formales hæreticos, qui vel aliter sciunt, aut scire possunt. ℞. Hos spectare ad Catholicam Ecclesiam, in quam per baptismum inserti sunt, neq; extra eam per formalem adhuc heresim exierunt, ideóq; errantes potius quam hæretici reputantur, proinde nec damnantur à Catholicis, haud secus quam S. Aug. l. 2 cont. Don. *Constituamus aliquem*, inquit ille, *sentire id de Christo quod Photinus opinatus est, existimantem ipsam esse Catholicam fidem, nondum illum hæreticum dico, nisi manifestatâ sibi doctrinâ Catholicæ fidei resistere maluerit*, quâ super re vide S. Thomam 2. 2. q. 11. art. 2. ad 3. & cæteros scholasticos, ejusmodi enim homines ad Catholicam Ecclesiam spectant, in quâ per baptismum regenerantur, & fidem infusam accipiunt, quàm demum per obstinationem & pertinaciam amittunt, uti Aug. lib. 3. de bap. docet. Quare ut dixi errantes potius, quàm hæretici reputantur.

Postremò Nisanius perfugium quærit in verbo Dei: Non enim, inquit, tenemur Ecclesiam visibilem ante Lutherum ostendere, quando verbum Dei apud nos Lutheranos est, quod *unica & perpetua est nota veræ Ecclesiæ*. ℞. Hoc argumentum, si quid probet ex notis Ecclesiæ, omnino convincit apud Catholicos esse veram Ecclesiam. Nam apud quos est verus Canon, versio, & sensus scripturæ, apud illos est verum verbum Dei, & per consequens vera Ecclesia: Atqui apud Catholicos hæc sunt, ut infra demonstrabimus, ergò. Secundo ex hac falsâ hypothesi Calvinistæ, Zwingliani, & omnes hujus sæculi Sectarij sibi æque, ac Lutherani veram Ecclesiã vendicare poterunt, quando omnes obtendunt, & unicè contendunt apud se esse verum verbum Dei. Hic ego, ut cætera omittam, quæ hoc involucro doli latent, unum tantummodo quæro. An Lutherani credant sacris scripturis, & an scriptura unicum fundamentum sit rerum credendarum. Ita, inquiunt. Quæro deinde, an ex scriptura nobis demonstrare possint Ecclesiam, quæ quinque sæculis stetit visibilis, & per mille annos ad Lutherum facta est invisibilis, donec per Lutherum suum fulgorem, & pristinum visibilis Ecclesiæ statum reciperet. Quæro inquam, an hoc nobis ex scriptura demonstrare possitis. Hoc argumento D. August. lib. de Vnit. Eccles. c. 17. urget Donatistas, qui profitebantur Ecclesiam toto orbe perijsse, & in solâ Africâ à Donato restitutam esse, ut à Luthero per Saxoniam reparatam jactant. *Legant hoc nobis de scripturis sanctis*, inquit Augustinus, *& cre-*

& credemus. Hoc inquam nobis ex Canone divinorum librorum legant, tot civitates, quæ usq; ad hodiernum diem, baptismum per Apostolos sibi consignatum tenuerunt, perijsse à fide; rursus ostendant Ecclesiam, vel in sola Africa perditis tot gentibus retinendam, vel ex Africa in omnibus gentibus reparandam. Ita legant nobis Lutherani Ecclesiam in sola Saxonia renatam, & ex Saxonia in omnibus gentibus reparandam. Imò inquit S. Augustinus, sic ostendas, *ut non dicas, verum est, quia hoc ego dico. Removeantur ista figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum* seu ut cap. 3. *Non audiamus, hoc dico, hæc dicis, sed audiamus, hæc dicit Dominus, sunt certi libri Dominici, ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram.* Hunc tu locum Augustini contra nos citas, quo tua causa jugulatur, aut ostendas de Lutheranis ex scriptura, quod Augustinus contra Donatistas ursit. Par vestra hic causa est. Nihil magis jactatis quàm verbum Dei, & nihil minùs intelligitis quàm verbum Dei. Rectè Augustinus lib. 3. contra Donatistas c. 19. de hæreticis. *Sacramenta & scripturam, quæ tenent ad speciem, non ad salutem.*

Sed largiamur tibi ista phantasmata verborum. Evangelium illud reformatum à vobis, ut dicitis, ante centum annos, non debet se continere intrà Saxoniam & Septentrionem, aut Germaniæ partes; sed ut Augustinus à Donatistis requirit, per Italiam, Hispaniam, Galliam, Angliam, Scotiam, Hiberniam, Lusitaniam, omniáque regna dissеminari, ut Ecclesiæ Catholicæ notam habeat. At in his regnis nondum receptum est vestrum illud Evangelium: Imò si quis Lutheranum apud eos nominet, portentum sibi referri existimant. Itane id ex senio mundi, imò ex senio hæresis vestræ propagabitur? quæ jam cum tot provincijs & urbibus ad Calvinistas transijt, quas illi vobis eripuêre. Ostende, id per vos Lutheranos fieri debere, ut non magis hoc sibi polliceantur Calvinistæ, quæ religio multo latius se fundit, vestra cõ senescente. Imò Evangelium hoc reformatum per mare in utramq; Indiam, ad Chinas & Japones transire debet, quæ regna jam Christi fidem recipiunt, & plures ibi Christiani sunt, quàm Lutherani in Germania. At quomodo vos Prædicantes cum uxoribus & liberis, & illâ sarcinâ Evangelij vestri eò pene trahitis? aut ubi spiritus ille inter vestros præcones, quem in Catholicis & Apostolicis nostris viris cernitis? qui jam à ducentis annis ea remotissima regna implevêre Christianâ doctrinâ. Mittamus igitur illam Vtopicam Ecclesiam, quę nullibi, nisi in delirantium cerebris invenitur.

CAPVT VII.

CAPUT VII.

Vera Christi Ecclesia nec deficere, nec errare in fide potest.

PRæcipuum hoc Catholicæ Religionis fundamentum & firmamentum est, in quo omnes hæreticorum errores, & argumenta evertuntur. Id ut oppugnent, docent totam Ecclesiam visibilem, quæ primis quinq; sæculis habuit veram fidem, & religionem, postea defecisse, & errasse per mille annos ad Lutherum usque, quam Nisanius ita introducit. *Beatus Lutherus, primus Evangelicæ doctrinæ non institutor sed restitutor, non introductor sed reductor, non auctor sed restaurator, non promulgator sed repurgator fuit.* Multa deinde in hanc rem plebejus ille præco. Verum 2. ad Tim. cap. 2. *Sed firmum fundamentum Dei stat.* Si enim Ecclesia vera nunquam possit deficere, & errare in quæstionibus fidei & morum, frustra hæc agis. Ideò hoc fundamentum, & principium tibi prius evertendum erat, quod tu more tuo, aut dissimulas, aut transis, Catholici verò in hunc modum tibi illud ante oculos ponunt.

I. Ex scriptura Isaiæ 61. *Dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriam eis, & scietur in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum.* Patres & interpretes hanc prophetiam de visibili Christi Ecclesiâ esse agnoscunt, qua perpetuum fœdus Deus promittit, ne unquam veritas in ea pereat. Daniel. 2. *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur*, de quo Luc. 1. *& regni ejus non erit finis.* psal. 88. *Ponam in sæculum sæculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies cæli.* Imò *thronus ejus sicut sol in conspectu meo.* Inde Chrysost. *Facilius est solem extingui, quàm Ecclesiam obscurari.* Hom. 4. in c. 6. Isa.

II. Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Eo argumento Augustinus innixus

innixus lib. 1. de symb. *Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contra omnes hæreses pugnans. Pugnare potest, expugnari non potest, hæreses omnes de illa exierunt tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa, ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua, portæ inferorum non vincent eam.* Hinc Christus Matth. 7. sapientem Architectum se dicit, qui domum suam supra petram ædificavit, secùs quàm stultus, qui supra arenã collocat. Domus hæc Christi Ecclesia est: Ideò nullâ imbrium, & ventorum vi, nullâ Tyrannorum aut Hæreticorum procellâ unquam everti potuit. Hoc argumento pleriq; Patres innituntur adversus hæreticos: Enimvero si Ecclesia deficere potest & errare, jam Christus tam falsus est architectus, quàm falsus promissor, quod ex eorum sententia rectè inferas.

III. 1. ad Timoth. 3. *Ut scias quomodo te oporteat conversari in Domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis:* Primo, quia veritas non alibi habitat, quàm in Ecclesia. Secundo, quia est columna firma & stabilis. Tertio, quia custos est veritatis, eámque puram & sinceram transmittit ad posteros.

IV. Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei.* Hic vides in visibili Ecclesia constituisse Christum varios ministros, & operarios, qui illam ædificent & perficiant, non ad certum aliquod tempus, sed ad finem usque mundi & diem judicij, quâ super re Aug. lib. 22. de civit. Dei c. 15. & 17.

V. Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem sæculi.* Quibus verbis promittit Christus, se semper, & sine intermissione Ecclesiæ adfuturum per directionem & gubernationem. Inde August. conc. 2. in psal. 101. *Quid est, quod nescio qui, recedentes à me murmurant contra me, quid est quod perditi me perijsse contendunt, certè enim hoc dicunt, quia fui & non sum. Annuncia mihi exiguitatem dierum meorum, quamdiu ero in isto sæculo? Annumera mihi propter illos, qui dicunt, fuit, & jam non est. Apostatavit & perijt Ecclesia de omnibus gentibus: Et annuntiavit: Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.*

VI. Ecclesia dicitur sponsa Christi Eph. 5. uti ab Osea prædictum c. 2. *Sponsabo te mihi in sempiternum.* Hic indissolubile vinculum est. Aut ergo Christus prius deserit sponsum, aut sponsa Christum? neutrum hic obtendi potest. Quam diu enim Christus regit sponsam, sponsa errare non potest, nec Christum deserere & fieri adultera; at Christus perpetuùm regit sponsam; ergo nec sponsa errare, aut sponsum Christum deserere potuit. Eo Cyprianus l. de Unit. Eccles. *Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est & pudica.* Et qua veritatis professione majores nostri quotidie in symbolo dicere potuerunt. *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam*, si per mille annos corrupta fuit sponsa Christi? Nec id Carolus M. dicere potuit, quando jam per ducentos annos ante ipsum, ut dicitis, nec ullus inde Episcoporum & Sacerdotum, nullus Cæsarum, aut Principum, nullus ex omni memoriâ hominum ante Lutherum profiteri potuit, *Credo Sanctam Ecclesiam*: Nisi credere fas sit Spiritum S. per unum Lutherum Monachum, desertorem ordinis sui incorruptius, ac verius docuisse Ecclesiam, quàm per omnes Sanctos Episcopos à Carolo M. Saxoniæ impositos, & quotquot inde consecuti sunt, aut matrimonium Lutheri cum Moniali, sanctius repræsentasse Ecclesiam, quàm omnia Episcoporum, qui veri sunt Ecclesiarum suarum sponsi.

VII. Accedit Patrum consensus. Athanasius in oratione ad illud: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Fidelis sermo, & non vacillans promissio, Ecclesia invicta res est, etsi infernus ipse commoveatur.*

Chrysost. Serm. 29. *Cum undecim essent Apostoli, nullus eos superare potuit, sed pauci homines totum mundum ceperunt, & nunc quando omnes fines terræ pietate repleti sunt, putas eam te posse lædere? portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*

Ambros. lib. 4. Hexam. c. 2. *Ecclesia tempora sua habet, persecutionis, & pacis: nam videtur sicut luna deficere, sed non deficit: obumbrari potest, deficere non potest.*

Hieron. in cap. 4. Isaiæ & cap. 48. Ezech. 1. de Ecclesia. *Dominus nunquam recedet de ea, ut in priori populo ante discessit. Ideo ad Judæos, Relinquetur vobis domus vestra deserta.* At *Christi*, inquit, *domus æternam habet possessionem. Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Augustinus in psal. 101. adversus Donatistas, qui in sola Africa Ecclesiam

clesiam remansisse jactabant. *Sed illa,* inquit, *Ecclesia, quæ fuit omnium gentium, jam non est, perijt: hoc dicunt, qui in illa non sunt. O impudentem vocem! Illa non est, quia tu in illa non es. Vide ne tu ideo non sis, nam illa erit, etsi tu non sis.* Idem in Psal. 47. *Sed fortè ista civitas, quia mundum tenuit, aliquando evertetur: absit. Deus fundavit eam in æternum. Si ergo eam Deus fundavit in æternum, quid times, ne cadat firmamentum?* Eadem cæteri Patres manifestè docent. Cyrill. Alex. lib. 4. Dialog. Euseb. Cæsar. lib. 1. de præp. Evang. c. 3. Gregorius M. explan. in Psal. 5. Bed. lib. 1. in Proverb. Salom. c. 15. Paulinus Aquil. adversus Felicem Vrgelitanum, Gennad. Patriarcha Constantin. in defens. V. Florentinum Conc. c. 2.

VIII. Ex sententia hæreticorum nostri sæculi, qui Ecclesiam Christi à quinto sæculo ad Lutherum per mille annos defecisse volunt, sequitur Ecclesiam diutius in erroribus, quàm in sanâ & salvificâ fide fuisse, quod absurdissimum est à Christiano homine dici & audiri, & quam detestabilis hæc injuria Christi est, & Spiritus Sancti? Quid enim illa apud Joan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis.* Rursum v. 26. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia.* cap. 16. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Quam in rem præclarè Sancti Patres. Cyril. lib. 10. in Joan. cap. ult. Nazian. orat. 37. Irenæus lib. 3. c. 3. Ambros. lib. 3. de fide c. 7. August. de util. cred. c. 8. Hieron. contra Luciferianos ita consentiunt, ut nullum unquam errorem etiam per ignorantiam sublabi posse doceant. Risit jam dudum hanc nostrorum hæreticorum insaniam in priscis hæreticis Tertullianus lib. de præscript. qui cum Nisanio tot errores Ecclesiæ Christi obtrudunt. *Illam,* inquit, *non respexerit Spiritus Sanctus, ut eam in veritate deduceret, ad hoc missus à Christo, ad hoc postulatus à Patre, ut esset doctor veritatis, neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quam ipse per Apostolos prædicabat?* Cætera quæ in hanc rem desiderari possunt exponit Suarez lib. 10. defens. Cathol. fid. c. 4. aliíq; scriptores. His postremùm accedit ratio: Nam si vera Christi Ecclesia, quam à sæculo quinto defecisse scribunt, errare possit in fide, etiam Lutheranorum Ecclesia errare poterit, nec enim alia habebit privilegia, quam primitiva & vera Christi Ecclesia, at quæ pri-

ma fuit Ecclesia, quinque primorum sæculorum, postea, ut dicitis erravit, ergo & Lutheranorum Ecclesia errare potest; quid si jam errarit, ut sanè fecit, quid ergo certi, aut quam infallibilitatem nobis promittunt Lutherani, nisi ut pro infallibili Ecclesiâ nobis obtrudant fallibilem, & suomet judicio suam prædamnent Ecclesiam. Quanto consultius hic Ambrosium audiant lib. 3. epist. 25. ad Vercell. *Sta in Ecclesia, sta ubi tibi apparui, ibi ego tecum sum, ubi est Ecclesia, ibi firma statio tua mentis est, ibi fundamentum animi tui.* Demùm hæc ipsa Lutheranorum hæresis antiqua est Donatistarum, ac jam diu damnata, ut constat ex Augustino lib. de Unit. Eccles. & conc. 2. in ps. 101. Docebant enim Donatistæ Ecclesiam quidem primo toto orbe diffusam fuisse, sed perijsse, ac in solâ Africæ parte remansisse apud Donatistas. Ultra procedunt Lutherani, & per mille annos perijsse dicunt, solúmq; in antro Polyphemi nobis latentem interea Ecclesiam comminiscuntur.

Non aliud Caroli M. judicium fuit: Id cumprimis clarum est ex Epistola ad Hispaniæ Episcopos, quâ hæreticos ad concordiam, & veritatem Catholicæ Ecclesiæ invitat, ex Christi apud S. Joannem extremo sermone. *Pater sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut omnes unum sint intra murum Catholicæ fidei, & filiorum sanctæ Matris Ecclesiæ. Hanc fidem Orthodoxam & ab Apostolicis traditam doctoribus, & ab universali servatam Ecclesiâ, nos pro virium nostrarum portione ubiq; in omnibus servare & prædicare profitemur, quia non est in alia aliqua salus, quam in illâ*, nec veritas extra illam. Rationem non aliam dat Carolus, quàm quod in eâ *sint doctores & pastores, quos in præsenti etiam tempore suo, dedit luminaria*, qui dixit: *Ego vobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem sæculi.* Proinde monet, *ut in professione Catholicæ fidei firmiter maneant, nec doctiores se existiment universali Sancta Dei Ecclesia.* Quibus alijsq; argumentis ex infallibilitate Ecclesiæ deductis Carolus eos, qui in hæresin de adoptivo filio discesserant, in viam revocat. Ita ille in omnibus fidei controversijs & dubijs aut subnatis, aut ad se delatis, ad Concilia Episcoporum, ad Pontificem, & Ecclesiæ universalis judicium se retulit: Uti id ex Epistolis ad Hadrianum & Leonem Pontifices, atq; ex tot synodis Episcoporum manifestum est. Stulte profectò Carolus ad Concilia Episcoporum provocasset, ac fidei controversias ad eorum judicia remisisset, nisi Ecclesiam à Spiritu veritatis per Episco-

Episcopos & Pastores regi credidisset. Quanquam per id tempus nulli in toto Occidentis Imperio hæretici, præter paucos in Hispaniâ & Galliâ, quos aut Elipandus & Felix Vrgelitanus, aut Serenus Massiliensis Episcopus ac discipuli ejus seduxerunt, adeo tota Ecclesia occidentalis (quæ felicitas Caroli, & eorum temporum erat) in unâ se religione possidebat; aureum profectò sæculum sub aureo Imperatore.

OBJECTIONES NIFANII.

Hæretici, quos inter Nifanius, ut hoc principium Catholicæ fidei eludant, ac populo fraudem faciant, adducunt ex Concilio Tridentino Canonem librorum Vet. & Nov. Test. Traditiones non scriptas, Transsubstantiationem, Sacrificium Missæ, adorationem hostiæ, communionem sub unâ specie, Septenarium Sacramentorum numerum, cælibatum Sacerdotum, ignem purgatorium, invocationem Sanctorum, confessionem singulorum peccatorum, cultum imaginum, institutum Monachorum, & quæ non alia, quibus impostores illi, tam fœdam & detestabilem proponunt Catholicam religionem, ut nullam ex omnibus sectis populo detestabiliorem videri velint. Tum quòd hæc capita fidei nostræ nullo verbo Dei sint subnixa: Tum quòd quinq; primis sæculis nihil ejusmodi sit creditum: Tum quod eorum nihil ex conciliis & Sanctorum Patrum scriptis probari possit.

Non hic ego contendam modò quâ ratione Concilium Tridentinum, & Catholici hæc omnia ex scriptura, Concilijs, Patribus, & primâ antiquitate evincant, de singulis enim reliquis libris agendum est: Nihil de majoribus nostris per Saxoniam, & Germaniam, totúmq; orbem Christianum à quinto sæculo ad Lutherum dicam, nihil de Carolo M. cæterisq; Imperatoribus, & toto populo Christiano, quos omnes ille Bilfeldiensis impostor & Pseudoepiscopus impietatis, superstitionis, & Idololatriæ condemnat Non hæc, inquam, modò contendo, sed id unum requiro, ut solido, aliquo argumento evincat, universalem & Catholicam Ecclesiam posse errare & deficere: Hoc enim principium tibi hic primo evertendum est. Non istas ad textores tuos, ad mulierculas, ad seductum à te populum cavillationes audiamus, id enim quilibet rabula ex pulpito apud vos etiam cum plausu facit. Scis quid Augustinus lib. 3. c. 19. in eâdem causâ contra Donatistas de vobis scripserit?

Non enim, inquit, *seductores ea sibi arrogarent, & quasi propria vendicarent, nisi à plebibus seductis vicissim seducerentur, ut per eos habeant potestatem talia dicendi, & sibi talia vendicandi, ut error eorum veritas appelletur, & secta eorum justitia putetur.* Sed ostende Ecclesiam, quæ primis quinque sæculis stetit incorrupta, potuisse errare, & per mille annos deseri à Spiritu Sancto, ac tot & tam nefandis erroribus obnoxiam fieri. Id si primum probaveris, postea à quæstione juris, ad quæstionem facti procedemus.

Itáq; primo in genere tibi respondeo ad hæc omnia. Cum Ecclesia propter peculiarem Spiritus Sancti assistentiam, quam Christus illi promisit, nec deficere, nec errare possit, manet auctoritas Ecclesiæ in suâ possessione, uníq; ejus auctoritati plus tribuendum, quàm omnibus hæreticorum declamationibus. Ideò hanc tantopere commendat Augustinus lib. cont. Epist. Manich. c. 5. *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.* In hac Ecclesiæ auctoritate fundatur hæc communis regula: *Nemo potest errare in fide & religione, qui credit quod tota sensit & sentit Ecclesia.* Secundum hanc regulam tenet Augustinus orandum pro mortuis c. 1. Parvulos esse baptizandos Epist 28. ad Hieronym. Hæreticos non esse rebaptizandos, lib. 1. contra Cresc. cap. 33. libros illos esse Canonicos quos habemus in Canone lib. 28. contra Faustum cap. 2. serm. 191. de tempore; Hæreticis & Schismaticis non esse præcisam spem salutis si resipiscant, in Exposit. epist. ad Rom. Deniq; in omnibus judicium Ecclesiæ sequendum docet, epist. ad Januarium c. 5. *Adhæc ita respondeo, ut quid horum sit faciendum, si divinæ scripturæ præscribit auctoritas, non sit dubitandum, quin ita facere debeamus. Similiter etiam si quid horum tota per orbem frequentet Ecclesia, nam & hinc, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ est animæ.* Hujusmodi omnia illa sunt, quæ Nisanius tanto doli sui plausu hic adduxit: Semper spumam sorbetis vos Prædicantes, quam populo propinatis, fundum nunquam attingitis, nisi cum fœcundi calices exhauriendi sunt.

Resp. II. Generatim ad singula, duplici modo aliquid credi: primò si quid credatur quod dogmatibus, & doctrinæ ab Apostolis scriptæ traditæq; repugnet: Id verò genus nunquam admisit Ecclesia, nec admittere potest, cum doctrina Apostolorum non minùs, quàm verbum Dei immutabilis sit, uti aperte Apostol. ad Gal. c. 1. docet: *Sed licet*

licet nos aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod Evangelizavimus vobis, anathema sit. Ideòq; dixit: *Si quæ destruxi iterum reædifico, prævaricatorem me constituo.* Ita quoque ad Corinth.2.cap.2. Altero modo creditur aliquid ex Apostolicâ doctrinâ quod in ea expressè declaratum non est, aut saltem declaratum esse non constat, dummodo antiquioribus non repugnet, & à legitimâ potestate proponatur, & ab Ecclesia definiatur. Qua super re Suarez lib. 1. defens. Cath. fid. c.18. Hæc enim, inquit ille, est providentia divina, hic mos Spiritûs Sancti, tam in lege naturæ, & lege scriptâ, quàm in Christi Ecclesiâ, non simul omnia docere Ecclesiam, quæ ad supernaturalem doctrinam spectant. Et quàm multa ad Pentateuchum Moysi, sensim ab alijs hagiographis, & ab ipsis Prophetis ad scripturam accessere, ut vel solus Isaias Propheta, cæteris clarior de Christo testis est.

Ad hunc modum se res habet in Christi Ecclesiâ. Nam cum tempore, ut necessitas, ac res poscebat, in materiâ fidei declaratio & ijs, quæ ad mores, & ceremonias spectant, etiam mutatio accessit. Quanquam non eodem modo, ac primum in rebus fidei antiqua veritas explicatius tradita est, nullam interim veritatem de novo definiendo. Ita in Concilio Nicæno definita est Verbi divinitas: in Concilio Ephesino substantialis unio duarum naturarum in unâ Christi persona. Idem est de processione Spiritus Sancti. *Nam id (qui à Patre filioq; procedit)* ab Ecclesiæ accessit declaratione, ita in Concilio Lateranensi realis Christi præsentia in Eucharistia est declarata. Ita transsubstantiatio contra Berengarium in Concilio Vercellensi, Turonensi, Romano, sub Nicolao II. alteróq; Romano sub Gregorio VII. explicatius asserta. Atque ad hæc mysteria clarius explicanda, necesse etiam fuit nova nomina introducere in Ecclesiam. Ita nomen ὁμϐσιον seu consubstantiale à Patribus Nicæni Concilij cœpit; frustra oblatrantibus Arianis: uti id Ambr. lib. 1. c.3. de fide. Athan. in orat. contra Arianos. Aug. tract. 97. in Joannem propugnant. Ita nomen θεοτόκον seu Deiparæ in Concilio Ephesino adversus Nestorium: & Transsubstantiationis nomen adversus Berengarianos invaluit. Quare Augustinus passim est fassus tract. 97. in Joan. *Esse aliquas novitates verborum doctrinæ religionis convenientes.* Subinde etiam nova propositio addenda fuit, quemadmodum in VI. Synodo adversus Monothelitas de duabus Christi naturalibus voluntatibus

bus factum, quæ ante sub ijsdem terminis non fuerat tradita. Neq; id adversatur D. Pauli monito. 1. ad Timoth. 6. *Profanas vocum novitates esse vitandas.* Profanas quippe dixit, quales sunt quæ rebus divinis & sacris adversantur. *Quid est profanas?* quærit Lerinensis, *quæ nihil habent sacri, nihil religiosi ab Ecclesiæ penetralibus. Profanas vocum,* inquit, *dogmatum, rerum, & sententiarum quæ sunt vetustati, quæ antiquitati contraria.* Qualia sunt omnia hæreticorum dogmata, Ecclesiæ Catholicæ adversantia.

Jam verò in ijs rebus, quæ ad mores, ad ceremonias, ad cultum religiosum spectant, multò facilior est non modò additio, sed mutatio etiam: Quemadmodum Epiphanius clarè dixit hæresi 75. contra Aerium. *Non potuerunt Apostoli statim omnia constituere, sed Ecclesia accepit complementum dispensationis pro locorum, & temporum opportunitate: Nam singulæ res, non ab initio omnia habuerunt, sed progressu temporis res eæ, quæ ad perfectionem requiruntur, parabantur, quemadmodum & ipse Apostolus* 1. ad Corinth. c. 14. dixit. *Cætera cum venero disponam.* Quin Apostoli quædam pro tempore illo opportuna ordinarunt, ut de abstinentiâ à suffocato & sanguine, quæ tamen sciebant non esse perpetuò servanda Act. 15.

In his ergò omnibus seu declarationibus, seu mutationibus nihil introducitur, quod juri divino positivo, aut naturali repugnet: Ratio est, quia Ecclesia universalis non potest in fide & moribus errare. Deinde quicquid in hoc genere agitur, descendit à legitimâ potestate, quæ Christi Vicario, & Episcopis, & Pastoribus à Christo est data, & à Spiritu sancto edocta. Et, si ad Carolum M. hic etiam abire lubeat; habes primò declarationem de filio Adoptivo contra Elipandum in Concilio Francofurtensi: habes tot ab illo synodos celebratas, habes tot leges sacras latas, tot decreta morum præscripta Clero, Monachis & populo, quæ ex actis synodorum, & septem Capitularium libris, facilè recognosces. Verùm nihil ille sine legitimâ Episcoporum, & Pastorum auctoritate decerni voluit, quare synodis legatos Pontificum interesse voluit: nihil in rebus fidei, & gravioribus controversijs decerni voluit, quin ad Pontificem prius referret, aut ad prisca Conciliorum statuta revocaret.

Quam verò vos Lutherani introduxistis mutationem in Ecclesiam, omnia sacra perturbando; ea prorsus nullâ legitimâ potestate sunt invecta:

invecta: Obtrusistis Augustanam confessionem, tanquam regulam fidei vestræ, & morum, & ceremoniarū, quæ non modò à Saxonum populo, sed orbe universo, si fata finerent, servanda sit. Approbavêre ac subscripsêre hanc confessionem fidei vestræ septem tantummodò Principes sæculares: Elector Saxoniæ, Marchio Brandenburgensis, duo Duces Lunenburgenses, Landgravius Hassiæ, Dux Saxoniæ Fridericus, & Princeps Anhaltinus, præterea duarum civitatum Magistratus, Norimbergensis & Reutlingensis: Quæ in his profanis & sæcularibus hominibus legitima potestas præscribendi fidei regulam universæ Ecclesiæ? Nullum hic Episcoporum Concilium reperio, ex quo illa fidei regula præscripta, & tanta mutatio in Ecclesia facta est. Legistíne ullum Concilium, vel œcumenicum, vel nationale, vel provinciale, vel diœcesanum unquam sine Episcopis? Imò nullum hic Sacerdotem, ne dicam Episcopum in hujus regulæ præscriptione, & mutatione tot mysteriorum Christi invenio, & tamen *Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Quin ipsa Augustana Confessio, quæ fidei regula esse debebat immutabilis, ab ipsis Lutheranis octies mutata est, donec à prætensione abusuum corrigendorum in hanc formalem hæresim procuderetur, quo nihil insanius factum ab ortu Ecclesiæ: ut vel ex hoc, siquis prudens expendat, luteam illam, & malè materiatam Ecclesiæ vestræ domum recognoscere liceat, quæ nonnisi stulti artificis est fabrica, in arenâ ædificata. Laxata semel hac hæresis viâ, Lutheranos post imitati sunt Calvinistæ, Zwingliani, Anabaptistæ, Arminiani, Labbadiani, cæteræq; per Germaniam sectæ. Nulla ex his, quæ non sibi propriâ suâ auctoritate regulas fidei, formam Ecclesiæ, ministrorum ordines, Sacramentorum ritus, decreta morum, supra omnium Romanorum Pontificum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, & Conciliorum potestatem, mutationem rerum sacrarum, & libertatem vivendi invexerit, qualem nulla unquam ab Apostolis ætas in Germaniâ vidit.

Sed his omissis revoco Nisanium ad ea, quæ supra posui, ut ostendat ex ijs, quæ ex Concilio Tridentino, de Canone librorum, de sacrificio Missæ, Transubstantiatione, de adoratione Eucharistiæ, de numero Sacramentorum, alijsq; tanto sonitu & calumnijs errorum attulit: Ostendat, inquam, ex his, quicquam à Catholicâ Ecclesiâ contra doctrinam Apostolicam vel directè, vel indirectè declaratum esse. Memor in-

terim ſit, ut quæ generatim hic reſponſi principia dedimus, primùm directè oppugnet & refellat, nec prædicantum more evagetur: nam ad ſingula poſtea in ſpecie deſcendemus: aut certè generatim oſtendat, Eccleſiam in rebus fidei & morum per ignorantiam errare poſſe: id ſi evincat, Eccleſiam defeciſſe evincet, quando hæc duo ita connexa ſunt, ut alterum ſine altero eſſe non poſſit, & ſi vel in uno ſubſtantiali fidei capite Eccleſia à Spiritu ſancto deſerta eſſet, jam incorrupta Chriſti ſponſa non eſſet amplius, nec ſancta Eccleſia in ſymbolo dici à nobis poſſet.

Dicunt præterea Eccleſiam ſenſim, & tam imperceptibiliter erraſſe, ut notari ab hominibus non potuerit, maximè ex Romanorum Pontificum præſcriptis, donec per gradus in illum cumulum errorum, Gregorio VII. cum primis Pontifice, excreſceret. At fruſtra hæc ingerunt. Oſtendant primum Eccleſiam errare poſſe, quam ne quidem per ignorantiam errare poſſe contendimus, quo principio expugnato reſtat demum quærendum, quando & in quibus exerrârit. Secundò idem argumentum retorquetur in Lutheranos: Nam ſi primitiva Eccleſia, poſt quingentos annos non advertentibus fidelibus, ex uno errore in alium prolabi potuit, idem Lutheranorum Eccleſiæ accidere potuit, quæ utique non habebit alia privilegia & promiſſiones, quàm Eccleſia à Chriſto & Apoſtolis fundata. Quid ſi id factum jam ſit, unde aliquid certi ex ſua Eccleſia nobis promittere poſſunt, aut invitare nos ad tam ruinoſam domum incolendam?

Urgent Catholici, ut oſtendant tempus, quo ſinguli errores introducti, & quo auctore, quo anno, quo loco, quo dogmate, quo oppugnatore cœperint hi nefandi errores ſuperſtitionum & Idololatriæ, maximè in ſacrificio Miſſæ. Nam hæc omnia in omni hæreſi demonſtrantur: Scimus quo anno Arius, Neſtorius, Donatus, Pelagius, Berengarius, Hus, Lutherus, Calvinus cæperint, & quâ in provinciâ, & quibus oppugnantibus in publicum ſua quisque dogmata protruſerit. Reſpondet Niſanius, eos non teneri hæc oſtendere, ſicut nemo morbi initia in ægro corpore, aut ruinoſæ domus vitia, & labem tenetur ex certo tempore oſtendere. Verùm quàm hæc inepta ſit tergiverſatio, quis non videt? quaſi Eccleſia ruinoſæ domui comparanda; quæ *columna & firmamentum eſt veritatis:* Huc accedit, quod prudens architectus priùs diligenter in domum, & medicus in corruptum morbo corpus inquirat, & facilè vitia

lè vitia retegat, ne hunc ars, illum emptio fallat. Idem Ecclesia semper fecit in detegendis hæreseoñ morbis & vitijs. Ita ex sacrilego Lutheri connubio celebrato, & Erasmi Epithalamio monstramus tempora, quando monialem corruperit: Quemadmodum prisci quoque hæretici à Patribus monstrati, qui ex sanctimonialibus fecerunt matres: satis partus ostendit corruptam virginem. At Christi Ecclesia incorrupta sponsa manet, ut per errorem fidei corrumpi non possit. Tam malâ hypothesi vos proceditis, quæ primùm probanda erat. Secundò ostendi possunt Hæresiarchæ, quo tempore exierint ex hac domo Ecclesiæ, ergo & ruinæ domus ipsius ostendi possent, si unquam fuissent: Et cui credibile, tot & tam nefandos superstitionum & Idololatriæ errores irrepsisse in Ecclesiam, nec unquam per mille annos ab ullo Episcopo, aut doctore, aut sancto viro oppugnatos, à quibus tamen minimæ quæq; hæreses tantâ Synodorum & Conciliorum convocatione & fervore damnatæ sunt; Donec postremùm Lutherus suscitaretur homo tot libidinibus & flagitijs coopertus. Quâ super re lege Bellarm. lib. 3. de Eccles. c. 5. singula hæc persequentem.

Postremùm Nisanius quo rem totam conficiat, adducit certorum temporum errores: Scribit enim anno Christi 787. in Nicæna Synodo II. imaginum adorationem: Anno 1078. temporalem Papæ potestatem supra Imperatores, Reges & Principes à Gregorio VII. Anno Christi 1215. Transubstantiationem & oblationem Missæ in Concilio Lateranensi ab Innocentio III. Anno 1414. communionem sub unâ specie in Concilio Constantiensi: Anno 1438. Canonem scripturæ & septem Ecclesiæ Sacramenta in Concilio Florentino præscripta esse: Anno 1563. Lectionem scripturæ in linguâ vulgari laicis prohibitam: ℞. Hæc omnia esse impudentissima mendacia, quæ, vel ex uno Catholicorum principio supra relato, refellas: Ecclesia enim nullum fidei articulum de novo condit, sed antiquos declarat & definit tantùm, nec illam potestatem sibi vendicat, quam vos affingitis. Hoc principium apud omnes Theologos legere potes in tractatu de fide, & mirum te hîc silere qui tot libros & auctores citas. Hoc principium si tu & Prædicantes sincerè populo prius exponeretis, nulla hæresis esset in Germaniâ. Quin credo nec te, nec tuos hæc intelligere. *Altissima mysteria non omnes capiunt, quia non omnes cerebrum habent*, inquit Irenæus l. 1. de hæreticis.

Quàm autem singula, quæ adfers, falsa sint, ostendemus suis locis. Verùm ubi cæteri errores, quos ex Tridentino accumulas, quo auctore, quo tempore, aut in quâ provinciâ primùm nati & obtrusi Ecclesiæ? Hic deficis. Ubi adoratio & Idololatria illa in sacrificio Missæ quam adducis? quando, quo auctore, quo in loco hæc Idololatria illa in sacrificio Missæ cœpit? quâ panem pro Deo fingitis adoratū à Sacerdotibus & Christiano populo, donec Lutherus Missam abrogaret? itane tam fœdus error, tanta impietas, tanta & tam manifesta Idololatria intra mille annos à nullo Concilio & Academiâ, à nullo Episcopo & Sacerdote, à nullo doctore & sapiente viro est notata? antequam Lutherus in disceptationem de sacrificio Missæ cum diabolo congressus, edoctusque Canonem Missæ, & hunc detestabilem cultum proscriberet? Non Carolus M. sapientissimus Cæsarum ac Regum, qui quotidie in Missa ad elevatam hostiam procubuit in genua, adoravitque communi tum cultu Christum præsentem, id unquam advertit? nec ullâ Capitularium lege, nullâ synodo hæc impietas populi Christiani damnata? Itane Saxonia à gentilium idololatria conversa ad Christum, mox in aliam traducta est? Quid enim interest, Jovem, an inanem hostiam, solem cum Persis, an panem cum Christianis adores? Quin eo procedit hæc vestra nova doctrina, ut inter mille annos nullum nobis relinquatis sanctum Episcopum, nullum Sacerdotem, nullum Religiosum, nullum justum virum in visibili illa & universali Ecclesia, eò quòd omnes idololatras faciatis panem pro Deo adorantes. Itane omnes Majores vestros damnatis, quos Carolus M. ab inanium deorum cultu simul ad tantam Idololatriam perduxit? Ne quid hic de alijs superstitionum erroribus simili vesaniâ à vobis exaggeratis in medium proferam. *O ingentem absurditatem!* exclamat Nazianzenus epist. 2. ad Cledonium: *Absconditam post Christum sapientiam nobis annunciant, id quod sanè lachrymis dignum est. Nam si triginta duntaxat annis fides initium sumpsit, cum quadringenti jam ferè anni fluxerint, à quo Christus manifestatus est, inane itaq; tanto tempore fuit Evangelium, inanis etiam fides nostra, frustráque Martyres martyria perfuncti sunt, & tales, tantiq; Antistites plebi præfuerunt.* Quid virum sanctissimum dicturum opinemur, si post mille annos, & post tot Episcopos, & Apostolicos viros, à quibus Germania ab ipso Apostolo-

rum

[illegible] & Saxonia à Carolo M. ad Christum conversa est, audiret, Ecclesiam [illegible] Idololatriæ erroribus damnatam, ad veram tandem fidem per concubinarium Monachum, & desertorem Catholicæ Religionis permitti reducendam.

CAPVT VIII.

Ecclesia Romana eadem est, quæ Ecclesia Catholica.

TRia potissimum sunt nomina quibus vera Christi Ecclesia à Concilijs, Patribus, & in diplomatis Pontificum & Cæsarum compellatur. Dicitur enim I. Catholica ob proprietates ejus nominis, de quibus sequentibus capitibus agemus. II. Romana. III. Apostolica, sæpè etiam Orthodoxa. Multa hæretici & imprimis Nisanius adversus Romanam Ecclesiam: Inter cætera inquit, *Vulgò quidem Papistica Religio Catholica dicitur, sed quondam Romana fides fuit Catholica & Apostolica, nunc solum nomen manet sine re, in solo titulo, quia per mille annos defecit à fide.* His calumnijs & mendacijs ut occurramus. Supponendum I. Id quod omnes Catholici Theologi & Scriptores docent, & res ipsa eloquitur. In Romano Pontifice duo munera, sive duplicem pastoralem curam distingui, quarum una particularis & propria Romanæ Diœcesis est, in qua immediatus Episcopus est ipse Pontifex: Altera universalis, & totius Ecclesiæ cura est, ob quã universalis Pastor, & supremus omnium particularium Episcoporum Episcopus est. Hæc verò duo munera, licet possint, ut sunt distincta, ita etiam in personis sejungi, non tamen hactenus, ex quo in Petro conjuncta fuerunt, unquam inde in Romano Episcopo sejuncta fuerunt, & fortassis divinâ ordinatione nunquam separabuntur. Ita Suarez lib. defens. fid. Cathol. Bellarm. & alij.

Ad hunc modum in Romana Ecclesia duo distinguenda, primò particularis Ecclesia, 2. Romana Ecclesia, non ut conjungitur privato Episcopo, sed ut Pontifici & Pastori universalis Ecclesiæ; atque ita di-

citur Romana fides, & Romana Ecclesia, quæ à Pontifice Romano, et Christi in terris Vicario regitur, eademq; quæ Catholica est Ecclesia, in quam rem rectè Baronius tom. 1. ad an. Chr. 45. à Nifanio etiam adductus asserit: *Romanam Ecclesiam & Catholicam esse Synonyma.* His positis.

Asseritur I. Ecclesia Romana etsi peculiaris priori modo sumpta, fuit olim mater, & caput omnium aliarum per orbem Ecclesiarum, omnesque aliæ Ecclesiæ, ne errarent, conformabant se illi in fide. Prima pars constat ex Patribus. Athanasius epist. ad Marcum Papam. *Nunc ergò quia præfata septuaginta Nicæni Concilij capitula ab Arianis sunt igne combusta, optamus ut à vestra sanctæ sedis Ecclesia auctoritate, quæ est mater, & caput omnium Ecclesiarum, ea ad correctionem & recreationem fidelium orthodoxorum percipere per præsentes legatos mereamur.* Cyprianus lib. 4. epist. 8. ad Cornelium Papam. *Nos enim singulis navigantibus, ne cum scandalo navigarent, rationem reddidisse scimus, & hortatos esse, ut Ecclesiæ Catholicæ matricem & radicem agnoscerent ac tenerent.* S. Bernardus epist. 131. ad Mediolanenses de Romana Ecclesia. *Plenitudo potestatis super universi orbis Ecclesias singulari prærogativâ Apostolicæ sedi donata est.* Inde in Concilijs & à Patribus per eminentiam Apostolica sedes nominatur. Omitto in hanc innumera testimonia. Altera pars denuò constat ex Patribus, qui idcircò profitentur se potius successionem Episcoporum Romanorum describere, quàm aliarum Ecclesiarum, quod hæc Ecclesia erroribus obnoxia esse non possit. Inter hos Irenæus lib. 2. cont. hæret. c. 3. Optatus Milev. lib. 2. contra Parmenianum, August. epist. 165. ad Generosum, Epiphan. hæresi 27 Eusebius Cæsariensis in historia & Chron. qui Pontificum Romanorum successionem recensendo à S. Petro ordine singulos enumerant. Præclarè Irenæus lib. 3 contra Hæreses c. 3. hanc causam exponit. *Ad hanc Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undiq; fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio.* Observa hic lector traditionem commendari quam hæretici explodunt. Optatus Mile. lib 2. cont. Parm. *Negare non potes scire te in urbe Româ primam cathedram Episcopalem Petro collatam esse, cum qua totus orbis in una communionis societate concordat.* Ita Hieronymus epist. 8. ad Demetriadem,

Epist.

Epist. 57. ad Damasum. Augustinus epist. 162. ad Episcopos Donatistarum l. contr. epist. Fundam. c. 4. *Tenet me in Ecclesia ab ipsa sede Petri, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad praesentem Episcopatum successio sacerdotum.* Ita cæteri Patres, quos prolixum referre. Carolum M. hic audiamus ex Capitulis Francorum apud Gratianum dist. 19. c. 3. *In memoriam S. Petri honoramus sanctam Romanam & Apostolicam sedem, ut qua nobis sacerdotalis est mater.* Rursum Addit. Capitularium lib. 4. c. 11. *Quoniam eadem sedes, testante veritatis voce, primum primatum obtinet, nec prima diceretur, si aliam supra se haberet: quæ etiam est caput omnium Ecclesiarum, à qua omnes sumpserunt originem.* Quid hic clariùs ad mentem SS. Patrum?

Opponit Nifanius, multas alias matrices Ecclesias reperiri ab Apostolis fundatas. Ita est: Sunt enim aliæ Metropoles ab ipso Apostolorum ævo, etiam in Germania Coloniæ & Moguntiæ, ad Rhenum, & Treviri ad Mosellam; sed non cum ista prærogativa, & promissione non errandi in fide. Ideò S. Petrus Antiochiâ cathedram transtulit Romam, quâ super re, Baronius & Spondanus ad annum Chr. 45. quos idcirco contra te adducis. Ideò omnes sedes Patriarchales tandem defecerunt à fide, & in Saracenorum potestatem venerunt. Perstat Romana Ecclesia in Petra, & Petri fide. Hic illud Ambrosij lib. 1. de pœnit. à te adductum contra te pugnat. *Non habent Petri hæreditatem, qui fidem Petri non habent.*

Asseritur II. Ecclesia Romana posteriori modo sumpta, quatenus significat universalem Ecclesiam toto orbe diffusam, & habet universalem Pastorem Romanum Pontificem, eadem est, quæ Catholica Ecclesia, & habet simul promissiones Christi, ac privilegia non errandi in ijs, tam quæ ad fidem, quàm quæ ad mores spectant. In quam rem tale argumentum sistit Suarez lib. 1. defens. Cath. fid. c. 5.

Fides Petri Catholica fuit, & deficere non potest:
Sed Fides Ecclesiæ Romanæ est Fides Petri: Ergò
Fides Ecclesiæ Romanæ est fides Catholica, à quâ nunquam illa Sedes potest deficere.

Vel si mavis planiùs:

Fides Petri est Catholica, quæ deficere non potest:
Fides Petri est fides Romanæ Ecclesiæ: Ergò
Fides Romanæ Ecclesiæ, est fides Catholica, quæ deficere non potest.

Prima pars indubitata est, tam de persona, quàm de sede Petri, nec enim Petrus aliam fidem quàm Catholicam; quæ ab Apostolis & discipulis toto orbe terrarum prædicabatur, docuit, conceduntque hæretici, saltem per quingentos annos, fidem etiam in ipsa sede Petri integram mansisse; quod & ipse Calvinus lib.4. instit. c.7. agnovit. *Fuerit sanè*, inquit ille, *olim Roma omnium Ecclesiarum mater, verùm ex quo Antichristi sedes fieri cœpit, desijt esse, quod erat.* Igitur altera pars relinquitur probanda, quod eadem illa sedes post quingentos annos, nec in persona, nec in ipsa sede deficere potuerit. Id verò evincitur I. ex promissionibus Christi supra à nobis relatis, quæ non pro definito aliquo quinque sæculorum tempore, verùm simpliciter pro omnibus sæculis ad finem mundi sunt datæ. Luc. 22. ℣. 32. *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Matth. 16. ℣. 18. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Non istic hostes Ecclesiæ designat certorum sæculorum, sed omnes ad finem mundi. Ideo Matth. c. ult. ℣. 20. *Ego vobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem sæculi.* & Ephes. 4. ℣. 12. *Ipse dedit Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerij.* Ita omnes promissiones Christi sunt datæ. Ita omnes Pontifices, & sancti Patres provocant ex promissionibus Christi ad perpetuam infallibilitatem Sedis Romanæ & Apostolicæ, quos legere potes apud Suarez citato capite, Bellarminum de Pontifice Romano, Becanum lib. de Romana Ecclesia, Valentiam, Stapletonum, cæterosque Theologos scriptores, & historicos cum Baronio. Minor propositio, fidem nimirum Ecclesiæ Romanæ esse fidem Petri quæ nunquam defecerit, aut defectura sit; Certum est testimonijs Pontificum Romanorum, & Patrum ex primis quinque sæculis. Augustinus in psalmum contra partem Donati: *Numerate sacerdotes, vel ab ipsa sede Petri, ipsa est petra, quam non vincunt inferorum portæ.* ita lib. 2. de grat. c. 8 & lib. 2. contra duas epist. Pelag. Hieronym. epist. 57. ad Dam. *Cathedræ Petri communione consocior; super illam petram ædificatam Ecclesiam scio.* Ambrosius lib. 1. epist. 4. ad Imp. *Totius orbis Romani caput Romanam Ecclesiam, atq; illam sacrosanctam Apostolicam fidem* ne turbari sineret, monet Imperatorem. Cyprian. epist. 55. ad Cornelium Papam. *Navigare audent, & ad Petri cathedram atq; ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, nec cogitare*

gitare

gitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est. Ad hunc modum Philippus presbyter in Concilio Ephesino tom. 2. c. 16. *Nulli dubium est, imo sæculis omnibus notum, S. Petrum Apostolorum Principem & caput, & Ecclesiæ Catholicæ fundamentum per successores suos hucusque supervivere, causasq; discernere, semperq; victurum esse.* Ita Athan. Cyrillus, Ruffinus, ac cæteri Patres. Quorsum Apostolus Paluus ad Rom. c. 1. *Fides vestra annuntiatur in universo mundo.* Quid hoc aliud? nisi ut Romanam fidem Catholicam denunciet, eandemque, quæ Petri fuit, & errare non potuit. Ac ratio est: si Romana & Apostolica sedes peculiari illa assistentia Spiritus S. & privilegio non errandi destituta unquam fuisset, tota, quæ ad illam appellavit Ecclesia, decepta fuisset, fallerentque nos omnia Concilia œcumenica, quæ Apostolicæ hujus sedis sententiâ confirmata sunt. Nec S. Gregorio dicere licuisset, *Credere se quatuor primis Concilijs haud secus, quàm ipsi Evangelio.* Quo absurdo falsóque semel admisso, nihil certi erit, nisi quod Lutherus, aut quisq; hæreticorum pro suo privato spiritu & judicio statuerit. Vellem ego audire hæreticum hominem, qui extra judicem controversiarum, qui in Pontifice & œcumenico Concilio cumprimis statuitur, aliquid ex alio hæresis principio, infallibile in decisione controversiarum adferre possit, aut quis alius controversiarum fidei exitus esse possit, nisi in judice Ecclesiæ demum conquiescamus. Quam in rem antehac dedimus regulam vivam & veram, Nisanio non ignotam, lib. adversus Cabiliavium Calvinistam.

Nunc cæteris in hac ubertate præteritis, Caroli M. judicium de Romana & Apostolica sede audiamus, is in epistola & Confessione fidei suæ ad Episcopos Hispaniæ: *Apostolicæ sedi, & antiquis ab initio nascentis Ecclesiæ & Catholicis traditionibus, tota mentis intentione, tota cordis alacritate conjungor.* Ac ne de primis quinq; sæculis loqui quis obtẽdat, subjungit Carolus: *Cum his quoq; Doctoribus, & sanctæ Ecclesiæ Pastoribus veram prædico fidem.* Adhæc de eadem Elipandi hæresi in eadem epist. ad Hispan. Episcopos inquit: *De hac nova inventione, quæ novis assertionibus, & sanctæ Dei universali Ecclesiæ antiquis temporibus inauditis, ad beatissimum Apostolicæ sedis Pontificem ter quaterq; direximus Missos, scire cupientes, quid sancta Romana Ecclesia Apostolicis edocta traditionibus, de hac respondere voluisset inquisitione.* Vides, ut o-

mnes fidei controversias Carolus M. retulerit ad Romanam sedem? quod sanè non fecisset Imperator, nisi supremam & infallibilem auctoritatem in ea agnovisset. Imò Concilium Francofurtense, postquam contra Elipandi hæresin, & Iconomachos de cultu imaginum pronuntiasset suam sententiam, addit: *Reservato per omnia juris privilegio summi Pontificis, Domini ac Patris Hadriani primæ Sedis beatissimi Papæ.* Quid adhæc dices Nisani? nisi ut Carolum M. & omnes Germaniæ, & Galliæ Episcopos per ea tempora ex asse fuisse Papistas recognoscas; Quia omnes Catholici fuerunt, de alia vestra occulta justorum Ecclesia, nullum ijs somnium fuit. Si Lutherus, & cæteri ab eo seducti, ita judicium suum submisissent Romanæ sedi, nulla unquam hæresis vestra turbasset Germaniam. Hanc deinde Catholicam fidem conjunctam cum Romana Ecclesia Carolus primùm introduxit in Saxoniam Hadriano I. Pontifice; à qua vos Hadriano VI. Pontifice recessistis, uti Hadrianus ipse, natione Belga, vobis in præclaro illo diplomate suo exprobat. Demum quàm illud præclarum Caroli M. testimonium de Romana Ecclesia in epist. ad Leonem Pontificem tom. 20. Concil. Gen. *Sicut cum beatissimo prædecessore vestræ sanctæ paternitatis pactum inij, sic cum beatitudine vestra ejusdem fidei, & caritatis inviolabile fœdus statuere desidero, quatenus Apostolicæ sanctitatis vestræ, divinâ donante gratiâ Sanctorum advocatâ precibus, me ubiq; Apostolica benedictio consequatur, & sanctissima Romanæ Ecclesiæ sedes, Deo donante, nostra semper devotione defendatur; nostrum est, secundùm auxilium divinæ pietatis, Sanctam ubiq; Ecclesiam ab incursu Paganorum & Infidelium devastatione armis defendere foris, & intus Catholicæ fidei agnitione munire.* Quam hic Romanam legis à Carolo vocari Ecclesiam, eandem mox Catholicam appellat.

Nihil ad illa Nisanius, nisi quod scribat Romanam Ecclesiam tantum particularem esse Ecclesiam, quæ jam dudum à vera fide defecerit, quam in rem adducit Innocentium Pontificem lib. 2. epist. 206. hisce verbis: *Dicitur universalis Ecclesia, quæ de universis constat Ecclesijs, & græco nomine Catholica nominatur, & secundum hanc acceptionem Romana Ecclesia non est universalis, sed pars Ecclesiæ universalis.* Quantus tu hic impostor es Nisani? Recitemus integrè Innocentium ad quæstionem Patriarchæ Constantinopolitani. *Ecclesia*, inquit Innocentius, *duabus*

duabus de causis universalis nominatur, primò, quæ de universis constat Ecclesijs, quæ græco vocabulo Catholica nominatur, & secundum hanc acceptionem vocabuli, Ecclesia Romana non est universalis Ecclesia, prima videlicet & præcipua, veluti caput in corpore, quoniam in ea plenitudo potestatis existit, ad cæteras autem pars aliqua plenitudinis derivatur. Secundò dicitur universalis Ecclesia illa una, quæ sub se continet universas Ecclesias. Hoc postremum membrum, quo Romanam Ecclesiam, eo, quo supra diximus modo, contendit universalem esse, tu more hæreticorum per fraudem omisisti, perinde, ut ea, quæ præcedunt de primatu Romanæ Ecclesiæ. Et quid tota illa Apostolica epistola Innocentij aliud agit? quàm ut schismaticis Græcis primatum Petri ex ijsdem Christi & Apostolorum testimonijs, quæ à nobis adducta sunt, exponat. Sicut & altera ad Patriarcham epistola, unam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam ostendit, atque ita concludit: *Hoc autem Græcorum populus non attendens, aliam sibi confinxit Ecclesiam, si tamen, quæ præter unam est, Ecclesia sit dicenda, & ab Apostolicæ sedis unitate recessit, nec constitutionem Domini, nec Petri magisterium imitatur, ruptâ inconsutili togâ Christi.* Lege deinde Innocentij epistolam ad Constantinopolitanum Imperatorem, quâ hortatur, ut Græcam Ecclesiam cum Romana & Latina conjungat. Quâ nunc impudentiâ Innocentium nobis opponere ausus es? nisi quantũ unus mendax scribit ex alio. Nifanius ex Joan. Gerhardi.

Interim calumniari pergit Nifanius, *Romanam Ecclesiam jam dudum defecisse cum Papistis, qui titulo tantùm Catholici dicuntur, cæterùm vana simulachra, uti Judæos appellamus modo, etsi nihil Judaismi præseferant.* Quantus tu denuò Cæsarum, Regum, & Catholicorum Principum, quantus Episcoporum & Pastorum, & totius Catholici populi calumniator es, quos ex vera Christi Ecclesia nihil aliud retinere dicis, quàm Judæi ex veteri Judæorum religione. Itáne tota Catholica Ecclesia defecit, & perijt apud nos? quo sæculo primùm id factum? id enim inter vos non convenit, quo fato id factum. Nos Christi promissionibus etiam ad fatalem mundi exitum innitimur, quæ absolutæ sunt, ne unquam erret Romano-Catholica Ecclesia, tu contrarium ostende. Hic hæres, & nihil unquam ad solida Catholicorum principia reponis, præter ea, quæ quælibet ad colum anus dicere poterit. Vela si flectamus, tua Lutherana Ecclesia est illa, quæ Judæorum defectione designatur

gnatur ex illo Proph. Oseæ vaticinio c.3. *Dies multos sedebunt filij Israël sine Rege, & sine Principe, sine sacrificio & sine altari.* Aut si mavis Dan. Prophetam c.9. *Deficiet hostia & sacrificium, & usq; ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Hic miseræ, & egenæ vestræ Ecclesiæ status est, quæ sine regali Christi sacerdotio, sine Pontifice, ac sacrorum rege, sine sacerdotibus veris, & ministris, sine sacrificio religionis, & hostia immolationis, sine lege, quam fingitis impossibilem, in hodiernum diem conspicitur. Olim filij, nunc peregrini *& hospites testamentorum.* Eph.2. Hinc nunc ultra procedimus ad notas Ecclesiæ ut ex ijs planiùs recognoscas, utrúmne apud Catholicos, an apud Lutheranos, aut alias sectas vera Christi sit Ecclesia.

CAPVT IX.

De notis Ecclesiæ.

POst Ecclesiæ definitionem, quâ natura ejus & essentia exprimitur, notæ Ecclesiæ traduntur, in scriptura & symbolo Apostolico, uti & à Concilijs & Patribus, ex quibus veluti ex proprietatibus exterius se prodentibus, cognoscitur, discerniturque, quis ille visibilis cœtus sit, cui definitio convenit. Id, cum in omni re naturali à Philosophis & Theologis præstetur, tum hic maximè utile, & necessarium est, quando omnes confitentur, in sola vera Ecclesia veram fidem, veros pastores, verum sacrificium, vera sacramenta, ac salutis præsidia, veram spem vitæ æternæ inveniri. Quemadmodum à Lactantio, quem Treveris aliquando habuit Crispi Constantini Magni filij moderatorem, doctoremque sapientiæ lib. 4. cap. ult. divinarum institutionum est scriptum. *Sola Catholica Ecclesia est, quæ verum cultum retinet. Hic autem est fons veritatis, hoc est domicilium fidei, hoc templum Dei, quô, siquis non intraverit, vel à quo, siquis exierit, à spe vitæ, ac salutis æternæ alienus est. Sed tamen singuli quiq; hæreticorum cœtus se potissimùm Christianos, & suam fidem Catholicam opinantur.* Inventâ demum verâ Ecclesiâ, invenitur assistentia Spiritûs sancti, promissiones non errandi in fide, Judex controversiarum, verus

scripturæ

ſcripturæ ſenſus, & infallibilis omnium controverſiarum fidei deciſio, demum omnia gratiarum dona, quibus Chriſtus & Spiritus ſanctus Eccleſiam exornarunt, & fideles ad vitam æternam deducunt. Hinc Apoſtoli tam ſollicitè & explicatè Eccleſiæ notas poſuêre in ſymbolo: *Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam.* Addit Concilium Nicænum, & Conſtantinopolitanum notam Apoſtolicam: *Credo unam, ſanctam & Apoſtolicam Eccleſiam*, uti & Patres addidêre. In his præcipuè notis Eccleſiæ, ſe tenent Catholici.

Contra hæretici, qui ſupra Concilia, ac Patres ſapiunt, duas plerumque notas Eccleſiæ ſtatuunt, Prædicationem ſynceram verbi Dei, & ſyncerum uſum Sacramentorum; ex quibus tamen duo tantummodo retinuerunt, Baptiſmum & Cœnam, re ipſa unum baptiſmum: cœna, tantum opinione illorum ſacramentum eſt, re ipſâ, cum ſacerdotes veros non habeant, nullum eſt ſacramentum. Ita Auguſtana Confeſſio art. 7. Apologiâ de Eccleſia: *Eccleſia habet notas externas, ut agnoſci poſſit, videlicet puram Evangelij doctrinam & adminiſtrationem Sacramentorum conſentaneam Evangelio Chriſti.* Ita Brentius in conf. Wittenb. Centuriatores cent. 1. lib. 4. c. 1. ac paſſim cæteri Lutherani. Has præterea notas Eccleſiæ ſuæ eſſentiales ſtatuunt Lutherani. Brochmannus contra Speculum Brand. Diterichus inſtit. catech. de Eccl. Oſiander R. ad Analyſ. Valent. Rudolphus Francus, Joannes Faber, Gerhard. lib. 2. cont. Cath. c. 4. Quibus accedit Niſanius dum ſcribit: *Verus Eccleſiæ cœtus monſtratur, in quo vera religio purè, rectuſque Dei cultus exercetur publicè.* Imò tanquam omnibus Lutheranis ſapientior, *Lutherani* inquit, *verbum Dei unicam & perpetuam conſtituunt notam Eccleſiæ.* Reijcit deinde cæteras notas, quibus Catholici ſuam Eccleſiam demonſtrant evidenter credibilem. Tam illi certi ſunt de his duabus, aut unâ etiam notâ Niſanius, cum nihil inſulſius magni illi reformatores Eccleſiæ, & novi Theologi nobis proponere poſſint.

Ratio I. eſt. Quia nota debet eſſe propria veræ Eccleſiæ, & non communis; atqui prædicatio verbi Dei, & ſacramentorum adminiſtratio, non eſt propria, ergo. Minor conſtat; quia has notas omnes priſcæ, & novæ hujus ſæculi hæreſes ſibi vendicant, & per has ſuâ ſaltem opinione ſuam quæq; Eccleſiam monſtrat, uti Calvinus facit lib. 4. c. 1. Willetus in ſynopſi, alijque. At dicunt Lutherani illos non attigiſſe puritatem

& synceritatem Apostolicæ doctrinæ. Imò verò, inquiunt illi, purissimam apud se doctrinã reperiri. Ideo se Puritanos, & Reformatos appellant. Idem Zwingliani, Arminiani, Anabaptistæ, & Labbadæus vester, sibi vendicant. Proferant ergo Lutherani vel unum argumentum, quo hoc evincant, non tam contra Catholicos, qui has easdem notas sibi vendicare possent, quàm contra sectas hujus ævi. Imò, si largiamur hanc puritatem doctrinæ, ac notas esse apud Lutheranos, quæritur postremùm, apud quos Lutheranos sint, rigidosne an molles, utrumne apud Melanthonianã, Brentianam, Saxonicam, Anhaldinam, Flaccianam Ecclesiam? an apud eos, qui Calixtum sequuntur? Hic novum Labyrinthum ingrederis.

Ratio altera est. Nota Ecclesiæ debet esse sensu externo perceptibilis, quia symbolum est Ecclesiæ, ac proinde notior esse debet, quàm res ipsa, quam significat. At illa nota non est notior, quia est pars essentialis Ecclesiæ à vobis datæ, quam definitis esse congregationem fidelium, in qua syncerè verbum Dei prædicatur, & sacramenta administrantur, & mox hæc ipsa duo inter proprietates, & notas Ecclesiæ ponitis, quæ simul sunt differentiæ. Nonne hoc est petere principium? Nam si quis quærat, quæ sit illa Ecclesia, in qua hæc essentialia reperiantur, respondetis, esse has ipsas notas, prædicationem videlicet verbi Dei, & Sacramentorum administrationem. Hic tu Nifani, qui tantus es provocator, nos expedias. Simile est, si quis Catholicus à Lutherano petat, ubi consul habitet, ubi campana sonet, ubi sit incendium, & is respondeat consulem habitare in domo sua; campanam sonare, ubi malleus pulsat; incendium ibi esse, ubi domus conflagrat. Similia hic ludibria facitis populo. Constituamus hominem aliquem, inquit Valent. in aliquo corpore, in quo nec humana figura, nec ulla hominis operatio notetur. Possetne ex sola hac definitione: *Homo est animal rationale*, demonstrari? Nemo sanè id facere posset, nisi, aut Deus, aut Angelus sit, Quocirca per alia signa primùm Ecclesia demonstranda est, quemadmodum Catholici faciunt, nimirum per notas ab Apostolis, & Concilijs in symbolo positas. Inde nec ex sua definitione Ecclesiæ id præstant. Qua super re Valentiam de Ecclesia, Tannerum in demonst. & disp. de fide, q. 3. dub. 3. Bellar. Staplet. aliosq; Theologos consule. Hinc benè de Hæreticis Augustinus lib. 2. de peccato orig. c. 22. *Catholicam Ecclesiam multis*

multis modis cognosci, hæreticos verò nihil habere veritatis præter pollicitationem. Id vel unico argumento evincit Erbermannus. Si enim Ecclesia illorum vera est congregatio fidelium, in qua purè docetur verbum Dei, & Sacramenta administrantur, ergò vel per mille annos ante Lutherum habuit illa congregatio illas duas notas, vel non habuit; si non habuit, ergo falsum est eam fuisse veram Ecclesiam; si habuit, vel ergo ostendant nobis aliud ministerium verbi, & sacramentorum, quàm Pontificium per mille annos, vel fateantur hoc pontificium fuisse purum & legitimum ministerium. Præsertim cum Augustana conf. art.7. doceat: *Oportere semper Christianam Ecclesiam manere.*

Opponunt hic alij: Ecclesia est mater nostra; mater autem vera cognoscitur dum parit, lactat & pascit filios, hæc autem Ecclesia præstat generando per baptismum, pascendo doctrinâ, nutriendo per sacramenta. ℞. Hoc ipsum est in quæstione, quænam sit illa mater. Parit Catholica Ecclesia per baptismum, parit & hæresis per baptismum, sed non suum: cum Catholicæ Ecclesiæ sit baptismus ille, pascit per doctrinam, sed corruptam & falsam; nutrit per sacramenta, sed quæ præter baptismum aut nulla, aut inania sunt. Quare Augustinus lib.3.cont.Donat.c.9. de hæreticis: *Scripturas & sacramenta tenent ad speciem, non ad salutem, ideoq; per Ezech. c.6. fornicaria dicitur omnis hæresis.* Perdix inquit Jeremias 17. *Congregat quæ non peperit faciens divitias non cum judicio.*

Admittamus hanc matrem fornicariam ex senio Ecclesiæ parientem. Ubi illam reperiemus? Vtrumne apud vos Lutheranos, an Calvinistas, an Zwinglianos, an Puritanos in Anglia, an Arminianos in Hollandia, aut in qua demũ Lutherana secta. Hoc à Nifanio vellemus doceri ex Salomonis alicujus judicio, qui pugnantes de filio matres diremit; sed vide, ne gladio hoc facias, quod ex verbo Dei scripto requirimus.

Opponunt II. Notæ Ecclesiæ petendæ sunt ex scriptura, quæ notior est, quàm Ecclesia. At scriptura nos ad prædicationem verbi Dei, & sacramentorum administrationem tantùm remittit. Hic, ego vellem, scripturæ locum recitares, qui ad duas, & solas illas notas nos remittat. Imò Patres hoc faciunt, inquit Chrysost. hom.49. in Matth. *Qui vult cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, unde cognoscat, nisi tantummodo per scripturas.* August.166. *In scripturis didicimus Christum, in scripturis*

didicimus

didicimus Ecclesiam. Et lib. de unitate Eccles. quem nobis hic Nisanius adducit. *Quæstio inter nos versatur, ubi sit Ecclesia, quid ergo facturi sumus? an in verbis nostris eam quæsituri, an in verbis capitis sui? puto quod potius in illius verbis eam quærere debeamus* ℞. Si in scriptura solū Ecclesia quærenda, quorsum ergò Apostoli in symbolo nobis tot notas Ecclesiæ dederunt? cum ne ipsum quidem nomen Catholicum in scriptura sacra reperias. Quorsum Concilia unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam tam explicatè designarunt? quas notas Lutherus tam subdolè declinavit, quàm corruptè cæteri inverterunt, aut passim in alium sensum detorserunt.

℞. II. Si in scriptura tam clarè demonstratur Ecclesia, qua cæcitate ab ipsis Novatoribus tam diversæ, & discrepantes Ecclesiæ introductæ, & tam pertinaciter inter se digladiantur? Quare quælibet hæresis in tot sese divisit sectas? Verbo igitur respondit Bellarmin. lib. de Eccles. c. 2. Ex scriptura probari, ubi sit, non tanquam ex nota, sed quia scriptura docet, quæ sint notæ Ecclesiæ, dum docet qualis illa sit, ubi cœperit, quomodo creverit, & idipsum docet, quod Apostoli, & Concilia in symbolo per notas à se positas, Ecclesiam videlicet esse Vniversalem, quæ toto orbe fundenda sit. Hoc illud, quod Augustinus ex scriptura contendit tantoperè, docetq; lib. de Vnit. Eccles. tam fusè, Ecclesiam non in sola Africa quærendam. Vnde lib. 1. contra Parmenianum, c. 1. *Ticonius,* inquit, *omnium sanctarum paginarum vocibus circumtusus evigilavit, & vidit Ecclesiam Dei toto orbe diffusam,* quam cæci Lutherani nondum vident, maluntq; ut Donatistæ in parte Africæ, ita illi in parte Saxoniæ Ecclesiam recens natam ex cunis quærere.

III. Vrgent. Saltem scriptura notior est, quàm Ecclesia; cùm ex ea probetur Ecclesia, tanquam ignotius ex notiore. Respondet Bellarminus, Ecclesia prior est scriptura, cum ante eam fundata sit, & simpliciter notior, quàm scriptura, cùm per pastores & doctores explicetur. Ex hypothesi tamen, quando quæstio est de Ecclesia, & scriptura est recepta, clarèque loquitur, ex scriptura Ecclesia demonstratur; & contra, quando quæstio est de obscuro scripturæ loco, aut controversia fidei, & Ecclesia est recepta & nota, tum ex viva voce Ecclesiæ scriptura explanatur. Neque hic circulus est, ut fingunt hæretici, quando probatio à notis ad ignota, vel à concesso ad inconcessa procedit. Vti hac super re

Becanus

Becanus lib. 3. c. 10. & Philosophi omnes. Et quorsum auctoritas Ecclesiæ? quam audire jubemur; quorsum tot Concilia adversus hæreses? quorsum judex controversiarum? nisi ut eas hæreses, quas ex scriptura hæretici protulerunt clarè, & infallibili judicio ex verbo Dei tam scripto, quàm tradito deciderent.

CAPVT X.

Prima Ecclesiæ Nota, Vnitas.

Hanc Notam & proprietatem veræ Ecclesiæ nobis magna illa synodus Nicæna, & aliæ subsequentes in suis symbolis dederunt. Vnam videlicet, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam profitendo. Nec aliter in scriptura Ecclesia unum corpus dicitur. 1. Cor. 12. v. 13. Roman. 12. v. 5. Coloss. 3. v. 15. Ephes. 4. v. 4. *Vnum corpus & unus Spiritus.* Idcircò v. 1. subjungitur. *Vna fides, unum baptisma, unus Deus & Dominus.* 1. Cor. 10. v. 17. *Vnus panis & unum corpus multi sumus.* Ita unus Pastor & unum ovile, una sponsa, una est columba mea. Cant. 6.

Non alia Caroli M. Confessio de Ecclesia, in Epistola ad Hispaniæ Episcopos schisma meditantes, Tom. xx. Concil. Gener. *Prædicamus unam sanctam Dei Ecclesiam toto orbe diffusam, locis separatam, fide & charitate conjunctam.* Hanc ille, ut mentem suam planiùs declararet, adversus hæreticos inter cætera inquit: *Perfecta quam habemus in Christo caritas nos conjungere gaudet, non spargere; adunare, non scindere, & inconsutilem Salvatoris nostri tunicam integram servare.* Quemadmodum Christus aliquando Petro Alexandrino Episcopo scissâ veste se obtulit videndum, rogatusque ab Episcopo, quis hanc tunicam ita lacerasset? responsum est à Christo: Arius hoc fecit, Ecclesiam meam lacerando per hæresim suam. Hinc & Carol. l. 5. Capitularium Tit. 166. *Ecclesiam unum corpus profitetur*, ex adductis Apostoli locis.

Multis autem, mirisq; modis est una Ecclesia, unâ fide, & caritate, & spe vocationis, una in uno baptismo, una in uno sacerdotio, & sacrificio, una in una Sacramentorum & doctrinæ per orbem professione, una in uno visibili Ecclesiæ capite & Pastore, una in unione membrorum, cum suo capite visibili. Inde Cyprianus inquit: *Ecclesia est plebs Sacerdoti adunata, & grex Pastori suo adhærens.* Perinde ut Optatus Milev. dixit: *In una Petri cathedra unitas ab omnibus servatur.* Quâ mente Hieron. ep. ad Evag. *Nisi exsors quædam & eminens ei tribuatur potestas, tot erunt in Ecclesia schismata, quot Sacerdotes.* Nihil verò horum cum sibi Lutherana Ecclesia vendicare possit, ut inductione patet, neque veram Ecclesiam etiam sibi ex hac nota vendicare poterit. Sed his omissis, quæ in hanc rem multis afferuntur, ita cum Tannero statuimus:

Illa est vera Ecclesia, quæ non modò in unitate fidei & doctrinæ actu semper consensit ac consentit, sed quæ habet à Spiritu sancto modum etiam, & rationem accommodatissimam ad consensionem fidei & doctrinæ conservandam;

At hæc duo habet sola Ecclesia Catholica, ergò. Prima pars propositionis certa atque evidens est: Quam enim unitatem Christus exoravit à Patre, ut *omnes unum sint:* Joan. 17. quamque Fideles habuêre sub Apostolis, ut esset *cor unum & anima una*, hanc Ecclesia ab Apostolorum ævo, in consensione unius fidei, toto orbe inter tot gentes, & nationes semper conservavit. Quo nihil admirabilius ex quo Spiritus S. gentes in unitatem fidei congregavit, nec in ulla alia religione simile unquam fuit. Hanc quoq; unitatē Ecclesia habuit Caroli M. ævo, hanc ad nostra tempora retinet, abscissis semper à corpore Ecclesiæ schismaticis, & hæreticis, qui hanc unitatem dissolvere aggressi sunt. Ad hanc unitatem appellant omnes SS. Patres. Irenæus lib. 1. contra hæreses. c. 2. *Hanc fidem Ecclesia in universum mundum disseminata diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans, & similiter credit ijs, quasi unam animam, & unum cor, & consonanter prædicat, docet, & tradit, quasi unum possidens.* Rursum Irenæus: *Sicut sol in universo mundo unus, & idem est, sic & lumen fidei & prædicatio veritatis ubiq; lucet.* Cyprian. lib. de unit. Eccles. *Ecclesia una est, quomodo solis multi radij, sed lumen unum.* Eadem habet epist. 69 & toto illo libro de unit. Eccl. Idem S. Augustinus docet, qui ob id librum scripsit de unitate Ecclesiæ, haud secus quàm Cyprianus

Cyprianus. Præterea de Bapt. contr. Donatiſtas lib. 3. c. 6. *Non poteſt habere caritatem Dei, qui Eccleſiæ non diligit unitatem.* lib. 2. contra epiſt. Gaudentij. *Vnum caput eſt, & una origo, & una mater fœcunditatis ſucceſſibus copioſa.* lib. 3. cont. Petil. c. 5. *Nullus prædicans nomen Chriſti ſequendus eſt contra unitatem Chriſti.* Omitto alios Patres, aliorumque in hanc rem teſtimonia.

Altera pars propoſitionis haud minus momenti habet. Nec enim ſatis eſt actu convenire in aliqua conſenſione doctrinæ, ſeu veræ, ſeu falſæ, quando quælibet hæreſis etiam obtendere poteſt, ſemper eſſe apud ſe maximam aliquam partem populi, qui in una profeſſione conſpiret, quamvis tamen ut in toto & in omnibus conſpirent, numquam obtinebunt. Igitur ad unitatem Eccleſiæ & doctrinæ requiritur, ut habitu quoque ſit una, id eſt habeat modum, & ordinatam à Deo diſpoſitionem conſervandi unitatem doctrinæ, tanquam principium aliquod perpetuum & infallibile, hoc autem habet ſola Catholica Eccleſia in uno capite, & infallibili auctoritate Eccleſiæ, & judice controverſiarum. Hoc cumprimis valet in Concilio Oecumenico, in quo Pontifex, & Epiſcopi controverſiarum judices repræſentant totam Eccleſiam, quam ex promiſſionibus Chriſti, & Spiritus S. aſſiſtentiâ numquam, ut errare poſſit, deſerendam diximus. Quare in Concilio Hieroſolymitano dixêre Apoſtoli: *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis.* Ita Eccleſia in omni Concilio Oecumenico legitimo dicit, atque ita omnes hæreſes infallibili judicio damnatæ ſunt, & illa admirabilis Eccleſiæ unitas per tot gentes, & nationes ad hunc diem conſervata eſt, quemadmodum poſtremò etiam in Concilio Tridentino omnes hujus ſæculi hæreſes damnatæ ſunt, & Eccleſiæ unitas ex illis fluctibus Germaniæ in tuto collocata eſt.

Nihil horum in ulla unquam hæreſi, cumprimis noſtræ ætatis, quando apud hæreticos omnes non alius judex, quàm ſcriptura ſacra, in qua quilibet ſibi judex eſt, ut quiſque à privato Spiritu agitur ac fidei articulos ſibi pro ingenio fabricat. Hinc primò tot hæreſes in mundo ab ipſo etiam Apoſtolorum ævo, hinc deinde quælibet hæreſis in tot partes ſciſſa fuit. Hæreſis Simonis Magi, ut Irenæus ſcribit lib. 1. c. 21. diviſa fuit in Menandrianos, Baſilidianos, Saturnianos: Valentiniana hæreſis ut idem Irenæus lib. 1. c. 5. ita mox diſcerpta, ut vix duo, aut tres reperirentur, qui in dogmatibus conſentirent Donatiſtarum. hæreſim Au-

 guſtinus:

gustinus refert lib. 1. de baptismo c. 6. in minutissima frusta concisam. Marcionitæ teste Epiphanio lib. 1. Tom. 3. in Appellianos, & Severianos se diviserunt. Montanistæ in tres sectas diversi abiêre, teste eodem Epiphanio lib. 2. Messaliani in Martyrianos, Sathanianos, Enthusiastas se partiti sunt, teste Epiphanio hæresi 80. & Theodoreto lib. 4. de fabulis hæreticorum. Ariani singulis ferè annis immutarunt fidem. Inde Hilarius: *Annua, menstruaq; apud eos fides.* Principes tamen sectæ inter eos tres, Acicianæ, Macedonianæ, Eunomianæ. Singula accuratius deprehendet, qui Irenæum, Damascenum, Augustinum, & Theodoretum legerit de hæresibus suorum temporum.

Nostra ut propius contingam, eandem confusionem & divisionem exhibent, quo constaret eodem spiritu vertiginis agi, easdemque notas suarum hæresum prodere. Hussitæ, ut Cochleus scribit, in tres potissimum sectas mox dilacerati, Lutherani vix nati in Anabaptistas, Confessionistas & Sacramentarios sese diviserunt. Singulæ rursum sectæ in alias atque alias sectas divisæ sunt. Lutherani in rigidos & molles in Saxonicos & Brentianos, quos Saxonici 17. errorum reos condemnant. Alia rursum divisio apud illos in Antinomos & Vbiquistas, in Melanthonianos, Anhaltinos, Calixtinos: & quæ non apud illos religionis ruptura? uti Prateolus, alijque recensent, & scripta illorum, quibus se oppugnant, satis evincunt; & quid liber ille concordiæ nisi seminarium discordiæ? Ne quid de cæremoniarum discrepantia referam, quot provinciæ & urbes, tot dissoni ritus & formæ Ecclesiarum præscriptæ.

Sacramentarij in Carolostadianos, Zwinglianos, Oecolampadianos, Zwenckfeldianos, & Calvinistas divisi. Calvinistæ rursum in Hollandia in Arminianos & Gomoristas, tanquam in molles & rigidos Calvinistas. Quantum laboratum in conciliabulo illo Dordrechtano, ut hæ sectæ convenirent rursum in unam! Frustra id actum, manent templis, ministris, & cœtibus hodiedum discreti. Ex Calvinistarum schola celebres Seruetus, & Valentinus: horum discipuli Blandrata, Soncinus, Alziatus, Franciscus David, alijque. Ex illa ministrorum colluvie Trinitarij, Nestoriani, Ariani novi, quot non sectis Transylvaniam, Vngariam, & Poloniam implevêre? quâ super re legas præfationem Bellarm. in controv. 2. de Christo. Anabaptistæ in tot sectas divisi, quot nulla ferè hæresis peperit, quot provinciæ & urbes, tot sectarum monstra apud Anabaptistas.

Anglia

Anglia non minus fœta sectarum multitudine, postquam Lutheri & Calvini Evangelium in id regnum penetravit, de quibus extat inter cæteros Honorij Reggij liber de statu Ecclesiæ Britannicæ. *Nulla,* inquit ille in vestibulo libri, *ab orbe condito provincia tam parvo spacio, tam monstrosas hæreses protulit atq; hæc; Episcoporum tempora intra* LX. *annos, non nisi quatuor sectas protulerunt, Puritanos, Brovvnistas, Familistas, & Anabaptistas: At nunc ab his retrò annis innumeræ sectæ pullulant, & quotidie diffunduntur.* Principes eorum Protestantes, qui Episcopos suos habent, multósque Catholicorum ritus ex liturgia sua Lutheranorum in modum retinent in Ecclesijs suis, propriusque præ cæteris ad Catholicos accedunt, sed conjugati apud eos Episcopi. Invitatus nuper legatus Regis Lusitaniæ ab hujusmodi Episcopo Angliæ ad convivium, rogatúsque altero die à Rege Britanniæ, quid vidisset? respondit: vidi Episcopos & Episcopas, Episcopunculos & Episcopunculas; quemadmodum in domo Lutheri Monacham & Monachum, Monachunculos & Monachunculas vidisses, & in domo Nisanij Episcopum & Episcopam cum sua prole. In quæ tempora incidimus, ut hæc portenta Ecclesiæ aspiciamus? Puritani in Anglia Calvinistæ, in Presbyterianos, Independentes & Erastianos divisi. Independentes rursum in alias & alias sectas divulsi. Pari fœtu Anabaptistæ in Anglia multiplicati in Quærentes, Antinomos, Quackerianos, aliasque sine numero sectas. Ita brevi universa Anglia primum 40. deinde 60. post octoginta hæreses, doctrinâ, ministris & cœtibus diversas, intra viscera regni conspexit. Non Africa unquam tot monstra, quot una Lutheri hæresis fœcunda & portentosa omnium hæresum mater per Europam peperit. D. Polycarpus Christi discipulus cum ævo suo nascentes hæreses, & unitatem Christianæ religionis turbantes videret, *O Deus,* exclamat, *in quæ tempora reservatus sum!*

Verùm unde tot & tam innumerabiles hæreses ab uno statim sæculo, quas nemo hactenus Regum & Principum in concordiam redigere potuit? nisi quia principium redeundi ad concordiam & unitatem non habent, auctoritatem videlicet Ecclesiæ, vivum controversiarum judicem & supremum, Vicariumq; Christi caput non agnoscunt. Quod jam dudum Cyprianus lib. 1. epist. 3. est questus: *Non aliunde hæreses obortæ sunt, aut natæ sunt schismata, quàm inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur*

peratur, nec unus in Ecclesia ad tempus judex vice Christi cogitatur. Inde ut Hieron. in cap. 16. Ezech. *Semper errantium fluctuant pedes, nec sunt solida vestigia, quæ contra veritatem sunt. sed huc illucq; discurrunt & circumferuntur omni vento doctrinæ.* Verbum quidem illi Dei ac scripturam appellant, in eoque nobis judicem quisque magno promissor hiatu ostendit; verùm ut Tertullianus lib. præscript. de priscis hæreticis: *Mentior,* inquit, *variant inter se dum unusquisque pro suo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio composuit quæ tradidit.* Vt jam verbum Dei non sit aliud apud illos quàm privatus spiritus, & privatum de sensu scripturæ judicium. Illud interim perpetuum in Ecclesia Catholica miraculum, posse tot gentes & nationes moribus, linguis & ingenijs diversas, per tot ab Apostolis sæcula toto terrarum orbe in unitate fidei contineri, quam hæretici ne in una quidem provincia & ex uno sæculo præstare potuerunt, quin in mille sectas discordes abirent. Ingens miraculum, quia unum ex auctoritate unius Ecclesiæ consulitur & auditur oraculum. Hic meta, hic limes, hic termini omnium controversiarum, quocunque tandem se obvolvant & revolvant hæretici.

Carolum M. hanc unitatem in auctoritate Catholicæ Ecclesiæ & Pontifice totius Ecclesiæ capite supra omnes Reges & Cæsares coluisse tam certum est, ut supervacaneum sit probare, quando omnia quæ in fidei controversijs aut publicè, aut privatim agebantur, continuò ad Romanum Pontificem retulit. Quod vel ex solo Concilio Francofurtensi manifestum: Nam cum per id tempus totus occidens se in una fide possideret, eamque Elipandus & Felix Orgelitanus Hispaniæ Episcopi novâ hæresi de adoptivo Christo Filio turbarent, illico Adrianus Pontifex Italiæ Episcopos convocavit, damnataque est hæresis illa in Romano Concilio, inde mox Galliæ & Germaniæ & Britanniæ Episcopi convocati, unâ conspiratione hanc eandem hæresin condemnarunt. Vt constat ex epist. Hadriani Papæ, libello Episcoporum Italiæ & synodica epistola Galliarum & Germaniæ Episcoporum, postremùm ex ipsius Caroli M. aurea illa epistola ad Hispaniæ Episcopos, in qua ad tres superiores se revocat. Tanta tum consensio fuit, ne vel ulla, & unica hæresi illa de adoptivo filio, quæ speculativa magis quàm practica erat, unitas Ecclesiæ turbaretur. Quid facturum fuisse dices, si Lutherus cum illa

illa hæresium turba se obtulisset, quando ob unicum illum errorem tot Concilia & Episcopi convocati sunt.

In eodem Concilio Francofurtensi præsente & approbante Carolo M. acta Concilij Nicæni II. in causa imaginum, cultuque earum confirmata sunt, simulque unitas inter Ecclesiam occidentalem & orientalem mirificè stabilita est. Quàm falsa autem Nisanius tam de filio adoptivo, quàm de cultu imaginum ex hoc Concilio contra Catholicos producat, parte quartà ostendetur. Rem quam exposui, paucis complectar Cypriani oraculo lib.1.epist.48. *Deus unus est, & Christus unus, & Ecclesia una, & Cathedra una supra Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut sacerdotium novum fieri, præter unum altare, & unum sacerdotium non potest, quisquis alibi collegerit, spargit, adulterum est, impium est, sacrilegum est, quodcunque humano furore instituitur, ut dispositio divina violetur.*

CAPVT XI.

II. Nota, Sanctitas Ecclesiæ.

ALteram hanc Notam ac proprietatem Ecclesiæ Apostoli in symbolo, *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam,* & cætera Concilia œcumenica nobis tradunt, quâ notâ congregatio fidelium ab omni secta Paganorum, Philosophorum, Judæorum, Turcarum & Hæreticorum discernitur. Quemadmodum hæc sanctitas in scriptura promissa Ose.c.2.Isa.61.Ephes.c.5. *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret.* 1.Pet.2. *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta.*

Nec aliter Carolus M. in confessione fidei ad Episcopos Hispaniæ: *Prædicamus unam sanctam Dei Ecclesiam.* Ita quoque Patres in Concilio Francofurtensi can. 1. *Hanc hæresin funditus à sancta Ecclesia eradicandam statuerunt.* Prolixum cætera Caroli Magni testimonia adducere.

Multis

Multis rursum modis Ecclesia Sancta creditur. I. à Conditore & capite Ecclesiæ eodemque auctore & fonte omnis sanctitatis, qui est Christus, Ephes. 1. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam*, Coloss. 1. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium.* Ex quo conficitur solam Ecclesiam Catholicam esse sanctam, quia capiti suo per influxum & assistentiam Spiritus sancti inseparabiliter inhæret, ne in fide & decretis morum errare possit. Hæretici cum à capite & corpore Ecclesiæ præcisi sint, hoc influxu destituuntur. Inde Joan. 15. Christus: *Ego sum vitis vera, vos palmites. Si quis in me non manserit, mittetur foras, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent.* Eò S. Augustinus Hæreticos dixit: *Sarmenta à vite præcisa.* Imò idem Augustinus: *Aut in vite, aut in igne.*

II. Sancta est Ecclesia non modò ob influxum per fidem, sed & per caritatem, & cætera charismatum dona, de quibus Apost. ad Cor. 12. 13. 14. Ephes. c. 4. Hæc similiter apud Hæreticos esse non possunt postquam rami ab arbore præcisi, rivi arescentes à fonte abrupti, membra à corpore amputata esse cœperunt, ut idem August. lib. de unit. Eccles. Cyprianus de unit. Eccles. ac cæteri Patres docent.

III. Sancta est ex sanctitate finis, eò quòd Ecclesia sit congregatio Fidelium, consecrata à Deo ad cultum divinum, ac veri Numinis, quem sola habet Catholica Ecclesia per ministros veros, per sacrificium religionis, per adorationem, orationem & laudem Dei. Vel inde S. Augustinus lib. de unit. Eccles. scripsit, extra Ecclesiam neminem salvari, quod *in sola Ecclesia Catholica immoletur hostia redemptionis*, quæ in nulla horum temporum hæresi offertur, ex quo Lutherus sacrificium Missæ, quod unicum & proprium est religionis Christianæ sacrificium, sustulit. Sed his alijsque omissis, quod nec sacramenta vera præter Baptismum, nec veros sacerdotes, nec veram doctrinam ex verbo Dei, cæteraq; sanctitatis instrumenta & præsidia habeant quæ multis alij prosequuntur. Hinc ex tota Ecclesia vestra nullus Sanctus adhuc propositus, nec à Nisanio ullum præter Beatum Lutherum, Beatum Chemnitium, & Beatum Joannem Gerhardi nominari lego. Sane si Lutherus Beatus, ac Sanctus, tot animarum pereuntium & hæreseôn auctor, quem Hæresiarcham, quem Apostatam monachum, quem Sacrilegum & Concubinarium Sacerdotem Beatorum numero non adscripseris?

IV. Ec-

IV. Ecclesia Catholica Sancta est, professione fidei, quæ nihil continet falsum ex doctrina fidei, nihil ex doctrina morum impium, nihil injustum, nihil dissolvens legem Christi, quæq; præterea continet consilia Christi ad summam vitæ perfectionem & sanctitatem perducentia.

Nihil horum in secta Paganorum, Philosophorum, Mahometanorum, Judæorum post Christi adventum, nihil in ulla antiqua aut nova sæculi nostri hæresi, uti multis demonstrat Bellarm. lib. 4. de Eccles. notis c. 12. longâque inductione probat, quàm falsa, quàm absurda, quàm impia singulæ horum sectæ docuerint. Sed his prætermissis, exploremus Lutheri professionem fidei & doctrinam, an non cum priscis hæreticis conspiret in falsitate & laxitate legis Christianæ & disciplinæ? Id ex quatuor aut quinq; principijs suæ religionis expendamus.

Docet enim I. Solâ fide justificari homines. II. Legem Christi esse impossibilem. III. Bona opera non esse necessaria, nec conducere ad salutem, imò omnia bona opera Christianorum esse sordes & inquinamenta. IV. Non esse in homine Christiano liberum arbitrium. His principijs Lutheranorum positis, quod erit flagitium quod innoxiè & liberè quis perpetrare non possit? Eò impietatis nec Judæi unquam, nec Mahometani, nec gentilium Philosophi progressi, ut hæc singula simul docerent. Non hic contendam, quàm falsa sint hæc dogmata, quod ab innumeris scriptoribus & innumeris libris jam præstitum est. Id solùm exploremus, an Carolus M. quicquam horum docuerit.

Non solam fidem justificare, sed bona opera requiri ad salutem, docet Carolus lib. 6. Capitul. tit. 160. *Primum* inquit *fundamentum Christianæ religionis fides Catholica est, & hæc fides tum fructuosa est; si bonis operibus exornetur, sine his enim nemo potest placere Deo.* Eadẽ habet lib. 7. Capitul. tit. 303. eadem in Constitut. in synodo Mogunt. can. 10. eadem reperiuntur can. 18. in professione fidei ad Hispaniæ Episcopos: *Credimus omnes homines resurrecturos esse, & singulos secundùm bona opera judicari.* Liberum arbitrium Carolus in professione fidei ad Hispaniæ Episcopos docet: *Credimus veram remissionem peccatorum in eadem sancta Ecclesia, sive per baptismum, sive per pœnitentiam divinâ donante gratiâ & bonâ voluntate hominis cooperante.* Legem servari posse ac deberi, cùm alijs in legibus, tum in Capitulari Interrogationis, anno imperij XI. edito, quo jubet quærere & docere: *Quod ille in Deum non benè cre-*

dat, qui præcepta ejus impunè se contemnere putat. Tom. 20. Conc. interrog. 8. Et quare Carolus M. tot leges in Capitul. libris Clero & populo præscribit? cur in synodis tot leges ab eo latæ ad disciplinam Ecclesiæ? si ne ipsa quidem præcepta Dei servari possint. Vides Nisani, quàm religiosè Catholicus sit Carolus M. & non Lutheranus in præcipuis & fundamentalibus Catholicæ doctrinæ principijs, neq; unquam laxam illam & impiam Lutheri viam ingressus sit?

Quid nunc de consilijs Christi dicemus? quid de instituto Monachorum, & religiosorum hominum? quod in consilijs Evangelicis nimirum paupertatis, obedientiæ & castitatis consistit. Tot cœnobia Carolus fundavit & dotavit, quæ Lutherus primùm in Saxonia & Germania laicis in prædam dedit. Tot legibus præmunivit, quas Lutherus primùm laxavit, ipse dux & profugus cum Moniali. Tot Carolus M. & Cæsares consequentes viros sanctos ex cœnobijs evocarunt ad docendas barbaras gentes, tot Episcopos & Præsules Ecclesiæ ex Monachis delegerunt, quos omnes sacrilegæ vitæ condemnat Lutherus. Lege Caroli res gestas, lege Synodos, Capitularium leges & vitas Sanctorum. Aut totus orbis cum Carolo erravit, aut Lutherus deliravit, quod verissimum est. *Ex cellulis Monachorum,* exclamat Hieronym. *damnatur orbis terrarum!* Sed nec in cellula quidem sua permansit Lutherus, & tamen illius monachi judicio damnatur orbis terrarum.

V. Ecclesia Sancta proponitur ex Sanctorum multitudine, qui ex cultu Catholicæ religionis publico & sanctitatis fama omni sæculo clari fuerunt. Nihil ego hic de quinq; primis sæculis referam, ea quia incorrupta agnoscunt, Episcopos, Patres, Sacerdotes, & Viros sanctos ex ijs permittunt: Neq; post quinq; illa sæcula ad Carolum M. quod hæretici negant, abrupta est sanctorum multitudo & fulgor in Ecclesia Catholica. Quot enim per Italiam, Galliam, Hispaniam, Britanniam, Belgium, Germaniam ad Carolum M. Pontifices, Episcopi, Abbates, Sacerdotes, Monachi & religiosi sanctitatis memoria celebres? Quot Martyres, Virgines, justi pijq; homines? si Ecclesiastica historia & vitæ Sanctorum pervolvantur. Florentissima erat Caroli M. ætas Viris sanctis & doctis per Galliam, Britanniam & Belgicam utramq;, ex quibus illi admirandi sanctitate & Apostolici viri, per quos Frisia & Saxonia ad Christi fidem perducta. Quales enim Willibrordus, Suibertus, & duodecim illi Apostolici

ſtolici viri ex Anglica ſubmiſſi, interq; hos Bonifacius Germaniæ Apoſtolus, Wulfframnus, Burchardus, Sturmio, Wigbertus? Quales illi Epiſcopi, quos Carolus M. Saxoniæ primùm impoſuit, Wiho Oſnabrugenſis, Willehadus Bremenſis, Ludgerus Monaſterienſis, Hildegrimus Halberſtadienſis, Hathumarus Paderbornenſis, Hercumbertus Mindenſis, Suibertus Verdenſis Epiſcopus? quos aut miraculis claros, aut famâ ſanctitatis notos poſteritas coluit. Quales qui Ludovico Pio ac deinde per Saxoniam in ſingulis Epiſcopatibus memorantur religione & pietate celebres? Vt Anſcharius, Rembertus, Nortbertus, alijque (præter innumeros Sacerdotes, & Religioſos) viri ſanctitate conſpicui. De quibus illud Divi Auguſtini lib. 2. in Julianum cap. 31. dixeris: *Iſti ſunt Epiſcopi & Paſtores docti, graves, ſancti, veritatis acerrimi propugnatores, qui Catholicam fidem cum lacte ſuxerunt, in cibo ſumpſerunt, cujus lac, & cibum parvis magnisq; miniſtraverunt.* Hi illi de quibus Hebr. 13. *Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei: quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem.* Horum ſanè religionem & vitam ſi quis conferat cum Luthero, & apoſtatis ſacerdotibus ac monachis, quorum operâ Lutherus Saxoniam pervertit, tantum intelliget diſcrimen, quantum eſt inter tenebras & lucem. Et mirum vos Prædicantes, ſiquidem res geſtas eorum legeritis, audere vos per ſummam impudentiam, aut poſſe per mentiendi malitiam perſuadere populo, ab his ſanctis Epiſcopis non aliam, quàm corruptam, impiam, & Antichriſti doctrinam in Saxoniam illatam eſſe, quorum doctrinam & vitam, dum barbaros Saxones & Friſones docerent ſignis & virtutibus illuſtres, admiratæ ſunt barbaræ gentes, eorumque ſanctitatem veneratæ ſunt, quam hæretici rident & calumniantur.

Sed in promptu hujus rei cauſa eſt. Epiſcopi illi & Apoſtolici viri cælibes & caſti vixerunt, portentumque fuiſſet vidêre Epiſcopum conjugatum: hæreticorum miniſtri nihil prius habent, quàm ut mariti ſint, & uxor à latere hæreat, ſarcina novi Evangelij. Illis vita in afflictatione corporis, in jejunio, in vigilijs & precibus diurnis acta: Prædicantum vita carnalis eſt, qualis fuit omnium priſcorum hæreticorum. Illi Catholico ritu inuncti Sacerdotes, conſecrati Epiſcopi, venerati Pontificem caput Eccleſiæ, profecti Romam ad limina Apoſtolorum ad impetrandam poteſtatem docendi gentes. Illi Sacramentum Confirmationis

tionis populo impertiêre, obtulêre quotidianum Sacrificium, absolverunt pœnitentes à peccatis injunctâ satisfactione, unxerunt oleo sacro morituros, administrârunt Sacramenta ritu Catholico, quo etiamnum administrantur: orârunt pro vivis & defunctis, coluerunt Sanctos, collegerunt Clerum, condiderunt collegia Sacerdotum, fundârunt cœnobia Monachorum & Virginum Deo consecratarum. Verbo, docuerunt legem Christianam, qualem nos ad hanc diem traditam conservamus, uti singula demonstrabimus. Hæc quia contraria sunt novo Lutheri Evang. lio & operibus eorũ, hinc ut Lutherus habeatur beatus, omnes à Gregorio M. Pontifices Romani illis Antichristi sunt: Vt ministri illorum habeantur pij & sancti; omnes Episcopi, & Sacerdotes, & Monachi persuadentur impij & sacrilegi idololatræ: Vt populi illorum prædicentur justi, omnes Catholici vocantur Papistæ, & omnibus superstitionum & errorum tenebris involuti.

Vnicum hoc nobis Catholicis solatium, quod nondum hæretici à vobis proclamemur. Vis autem scire Nifani, quid de hæreticis formalibus, qui cum pertinacia tuentur errorem, pronuntiet S. Augustinus? lib. 4. contra Donatistas c. 8. *Constituamus*, inquit, *aliquem castum, continentem, non avarum, non idolis servientem, hospitalem, indigentibus ministrantem, non cujusquam inimicum, non contentiosum, patientem, quietum, nullum æmulantem, nulli invidentem, sobrium, frugalem, sed hæreticum: Nulli utiq; dubium est, propter hoc solum quod hæreticus sit, regnum Dei non possessurum.* Ponamus Martyrem etiam in hæresi aliqua, non ideo justus & salvus erit, quando teste Augustino conc. 2. in psal. *Martyres non pœna, sed causa facit.* Et Cyprianus lib. de unit. Eccles. palàm asserit: *Ardeant licet flammis & ignibus traditi, vel bestijs objecti animas suas ponant; non erit illa fidei corona, sed perfidiæ: occidi talis potest, coronari non potest.*

CAPVT XII.

CAPVT XII.

III. Nota, Catholicum nomen.

GLoriosissima & evidentissima hæc Nota est, ab Apostolis & Concilijs in Symbolis consignata, & tam certa, quàm ipsa Symbola, tametsi Catholicum nomen in nullis Canonicis libris legatur. Ob hanc causam toto orbe terrarum, ab Apostolis ad Lutherum, non aliter pueri, juvenes, viri ac senes recitârunt, quàm, *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam*; donec Lutherus tandem in catechismo suo inverteret, doceretq; *Credo Sanctam Christianam Ecclesiam*: Adeò illud nomen Catholicũ illi novo Evangelio obstabat. Augustana Confessio art. 7. similiter conceptis verbis: *Oportet semper S. Christianã Ecclesiam manere.* Manifesta corruptela Symboli: Omnis quidem Catholicus est Christianus; sed non omnis Christianus est Catholicus. Puduit post ipsos Lutheranos ejus fraudis. Hinc primò in Smalcaldicis articulis utrumq; conjunxerunt, credendam videlicet *Ecclesiam Catholicam Christianam.* Deinde, ut Diedericus in catech. inst. rediêre ad Catholicos, &, *Credo Ecclesiam Sanctam Catholicam*, præscripserunt recitandum. Demum Morphei illi, more quorundam priscorum hæreticorum, etiam nomen Catholicum sibi proprium arrogarunt, idq; tam Lutherani, quàm Calvinistæ. Quemadmodum Joannes Gerhardi Lutheranus Tomos suos inscripsit Confessionem Catholicam, & Chamierius Calvinista, Panstratiam Catholicam. Nisanius Lutheranus supra omnes Thraso, nomen Catholicum, inquit, de jure & merito nobis debetur. Interim in catechismo Lutheri, quem pueris instillant passim manet *Christiana Ecclesia*, eraso Catholico nomine. Idem tamen Nisanius fatetur Carolum M. eam, in qua vixit, Ecclesiam, Catholicam appellasse. Ita sanè est: Id enim nomen in Synodis sub eo habitis, & Capitularium libris identidem reperias: exsertè ad Hispaniæ Episcopos post Symbolum fidei suæ subjungit: *Hæc est fides Catholica.*

At priusquam ex hoc Catholico nomine Notam in eo expressam reddamus; duo imprimis observanda monet Suarez lib. defens. Catholicæ. I. Nomen Catholicum tam nobis Ecclesiam, quàm fidem Catholicam significare. Quare sicut Apostoli & Concilium Nicænum docent: *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam*; ita Athanasius in suo Symbolo: *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterq; crediderit, salvus esse non poterit.* Ratio est, quòd inseparabili nexu inter se conjuncta sint fides Catholica, & Ecclesia Catholica.

Alterum est in Catholico nomine observandum, id nomen ab Apostolis, dictante Spiritu sancto tam signatè positum esse in Symbolo Apostolico, Nicæno & Constantinopolitano, ut eo distinguerentur Catholici ab hæreticis. Nam in actis Apostolorum c. 11. Christi & Apostolorum discipuli, omnisque Fidelium turba primùm Antiochiæ cognominati sunt Christiani, quo nomine satis discernebantur à Judæis & Paganis. Verùm quia inter ipsos Christianos futuri erant hæretici, ut toties monuerunt Apostoli in suis scriptis; ideò singulari Dei providentia additum est in Symbolo nomen *Catholicum* ad Catholicos ab hæreticis discernendos. Igitur,

Ibi est vera Christi Ecclesia, ubi nomen Catholicum inter omnes religiones semper obtinuit;
Atqui inter solos Catholicos semper id obtinuit: ergò
Apud solos Catholicos est vera Christi Ecclesia.

Hæc consentiens omnium Patrum doctrina, hoc illorum argumentum ex nota nominis deductum adversus hæreticos. Pacianus Episcopus epist. 1. contra Parmen. *Si fortè ingressus populosam urbem Marcionitas, Novatianos & cæteros ejusmodi comperissem, qui se Christianos vocarent, quo cognomine Congregationem meæ plebis agnoscerem, nisi Catholica diceretur?* Hinc postea concludit: *Christianus mihi nomen est, Catholicus verò cognomen; illud me nuncupat, illud ostendit; hoc probor, inde significor.* Addit idem vetus scriptor: *Certè non ab homine mutuatum, quod per sæcula tanta non cecidit, Catholicum istud, non Marcionem, nec Apellem, nec Montanum, nec hæreticos sonat auctores.* Augustin. lib. cont. epist. Fundam. c. 4. *Ipsum Catholicæ Ecclesiæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses, sic illa Ecclesia sola obtinuit, ut cùm omnes hæretici, Ca-*

ci, Catholici dici velint; quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam convenitur? nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Cyrill. Hierosl. Catech. 18. *Si iveris in aliquam urbem, non petas, ubi sit Ecclesia, vel domus Dei, nam etiam hæretici dicunt se habere domum Dei & Ecclesiam; sed petas ubi sit Catholica Ecclesia. Id enim nomen proprium est hujus sanctæ Ecclesiæ Matris omnium nostrûm.* Ita Hilarius can. 10. in Matth. cæterique Patres, quos longum est referre. Igitur cum Augustino concludimus lib. de vera relig. c. 7. *Tenenda est nobis Christiana religio, & ejus Ecclesiæ communicatio, quæ Catholica est, & Catholica nominatur, non solùm à suis, verùm etiam ab omnibus inimicis; velint enim nolint, ipsi quoq; hæretici & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud, quàm Catholicam vocant, non enim possunt intelligi, nisi eam hoc nomine discernant, quo ab universo mundo nuncupatur.*

Vide nunc Nifani, an non ubique in Germania, Hollandia, Anglia, Polonia, Vngaria, ubi Catholici inter diversos hæreticos mixti vivunt, & colunt religionem suam, hâc nominis Catholici notâ monstrentur & discernantur ab alijs sectis?

Hinc nunc alterum consequens est, quod æquè vos convincit. Nam cùm solis Catholicis nomen Catholicum proprium sit, & hæreditarium nobis ad hæc tempora permanserit; necesse semper fuit, cæteros extra hanc Catholicam Ecclesiam hæreticos, nomen suæ sectæ vel ab auctoribus & hæresiarchis suis sumere. Ita Ariani ab Ario, Novatiani à Novato, Donatistæ à Donato, Nestoriani à Nestorio, Hussitæ ab Hussio, Lutherani à Luthero, Calvinistæ à Calvino, Zwingliani à Zwinglio, Arminiani & Gomaristæ ab Arminio & Gomaro nomen suum præferunt. Vel certè aliunde aliud nomen illis inditum, quemadmodum Gnostici, Ophitæ, Encratitæ, Cathari, Iconomachi, Confessionistæ, Vbiquistæ, Reformati, Puritani, Anabaptistæ, Protestantes, Presbyteriani, Independentes, Remonstrantes, Conformistæ, & quæ non monstra nominum & sectarum? Id nunc Patrum consensu rursùs clarum est. Chrysost. Hom. 33. in Act. Apost. *Illi habent quosdam, à quibus appellantur; prout enim hæresiarcha nomen, ita & secta vocatur: Nobis autem nullus vir nomen dedit.* Pergit Chrysost. *Nunquid scindimur ab Ecclesia? num hæresiarchas habemus? num ab hominibus cognomen habemus?*

bemus? nunquid nobis dux quidam est, sicut illi Marcion, illi Manichæus, huic Arius? Justin. Martyr in Triph. *Isti sunt distincti cognominibus denominati à quibusdam viris, ut quisq; auctor alicujus novæ doctrinæ: ex ijs alij vocantur Marcionistæ, alij Valentiniani, alij Basilidiani, alij Saturniani, alij alio vocabulo.* Irenæus lib. 1. c. 20. *Habent vocabula à Principe impijssimæ sententiæ Simone Simoniani.* Lactant. lib. 4. instit. c. 30. *Cum Marcionistæ aut Ariani nominantur, Christiani esse desierunt, & externa vocabula induerunt.* Hieron. cont. Luciferanos: *Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christiani, non à Domino, IESV Christo, sed à quôq; alio nuncupari; ut Marcionitas, Valentinianos, scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam.* Optatus Milevitanus lib. contr. Parmen. *Cum ante ipsius superbiam omnes in Christo crederent, Christiani vocarentur, ausus est populum cum Deo dividere, & qui illum secuti sunt jam non Christiani vocarentur, sed Donatistæ.* Athanasius orat. 2. contra Arianos: *qui aliunde fidei suæ originem deducunt, meritò auctorum suorum cognomina præseferunt. Ita explosus est Marcion inventor hæreseos, ita Valentinus, Basilides, Manichæus, Arius.* Imò inquit: *Qui hæreticos sequuntur, tametsi mille successus habeant, omnes tamen nomen ejus, qui prius hæresin invenit, referunt.* Multis hæc ibi Athanasius, & prolixius aliquanto no[...] quòd scenam nostri temporis repræsentent.

Nunc Nifanium ex hac hæreticorum colluvie audiamus: *Nomen Catholicæ Ecclesiæ de jure & merito nostræ competit Ecclesiæ*, quam Lutheranam intelligit. Quæso quo jure, hæreditatis & possessionis? an significationis per nomen Catholicum ab Apostolis traditæ? Neutrum certè; Non possessionis, id enim si obtenditis, debetis ante Lutherum per mille annos demonstrare nobis aliquem cœtum hominum, aut possessorem aliquem, præter Pontificios in Romana & Catholica Ecclesia, qui id nomen Catholicum sibi vendicarit. Sanè ut cœtus ille fictitius est ex Prædicantum cerebro: ita fictitium jus, perinde ut supra ostendimus, nullam posse à vobis per mille annos ad Lutherum usque Ecclesiam monstrari, in qua Evangelium vestrum novum publicè in Catholico aliquo cœtu, sic dicto, diversoque à Catholicis, quos Papistas & Pontificios appellatis, prædicatum sit: quando per mille illos annos, non nisi una Catholica Ecclesia, eaque visibilis sic appellata est.

Caroli Magni si hîc desideres testimonia, adsunt illa copiosè, is licet

licet *Christianam* subinde *Ecclesiam* scribat, in qua erat, ubique tamen *Catholicam* vocat, in Synodis & Capitularium libris; ut tu ipse agnoscis ex lib. 1. Capitularium. *Primò omnium admonemus, ut fides Catholica ab Episcopis & Presbyteris diligenter legatur.* Inde epistola ad Hispaniæ Episcopos post fidei suæ professionem subjungit: *Hæc est fides Catholica:* Nec alij Ecclesiæ id attribuere potuit, quàm quæ tunc una erat Catholica in toto Occidentis imperio, de qua in eadem epistola ad Hispaniæ Episcopos: *Prædicamus unam, Sanctam Dei Ecclesiam, toto orbe diffusam.* Certò illa nec Lutherana, nec Calviniana fuit, serò tandem nata & avulsa cum alijs per hæresin ab Ecclesia Catholica. Eadem hæc Universalis Ecclesia mansit ad Lutherum, donec ab hæresi primùm turbata abrupta, tantùm in partibus quibusdam fuit.

Adhæc, si de jure vestrum est nomen Catholicum, quare Lutherus erasit è Symbolo? quare ab Augustana Confessione Confessionistæ dici vultis? nec unquam obtendistis in imperij Comitijs Catholicum nomen vobis deberi? Secundò, qui exierunt è Catholica Ecclesia illis nomen illud non debetur: At vos Lutherani exijstis ex Catholica Ecclesia, juxta illud Joan. epist. 1. c. 4. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis.* Ergò. Quis enim unquam sanæ mentis dixit, Catholicos cum Pontificia Ecclesia, ut vos eam appellatis, exijsse è Catholica & Vniversali Ecclesia? hæreticorum id proprium est, ita antiquæ hæreses, ita novæ cum Luthero exierunt. Inde August. in psal. 106. *à multitudine unitatis omnes hæreses exierunt, sicut paulò ante commemoravi dictum. Ex nobis exierunt sed non fuerunt ex nobis.* Rursum in psal. 56. *Qualem insaniam patiantur hæretici, quæso ut attendatis: Illi præcisi à compagine Ecclesiæ Christi, & partem tenentes, & totum amittentes nolunt communicare orbi terrarum, quo diffusa est gloria Christi.* Quo nunc jure Catholicum nomen parti, & præciso membro conveniet, quod toti & sano solùm corpori debetur? Somnias Nisani. Tertiò, lege omnia Imperij & Comitiorum acta, & videbis id nomen Catholicum Catholicis relinqui; Et ratio est, quam S. Aug. dat de vera rel. c. 7. *Non enim possunt intelligi, nisi Catholicā Ecclesiā hoc nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur.* Tres religiones tantùm admissæ in Imperio, Catholica, Lutherana, & Calviniana. Catholici suo hæreditario nomine appellantur Catholici; Lutherani Augustanæ Confessionis consortes & Protestantes; Calvinistæ verò

Reformati: quando hæc molliora nomina vobis magis placent, ne tam absurdè & invidiosè ab hæresiarchis suis nominarentur Lutherani & Calvinistæ. Quanquam æthiopem citiùs lavabis, quàm Lutheranum nomen expungas ex omnibus Scriptorum libris,& hominum totius orbis appellatione. Catholicum nomen Catholicis manebit, dum orbis stabit. Quartò, quomodo ostendes id nomen vobis potiùs *de jure & merito* deberi, quàm Calvinistis, Zwinglianis, Puritanis, alijsque sectis? Idem illi jus tam obstinatè, quàm falsò obtendunt. Quintò, quod *meritum* vestræ Ecclesiæ, nisi quòd per hæresin turbata sint omnia, sacra & profana in Ecclesia Christi? Ideò in Concilio Tridentino damnati estis inter hæreticos, omnisque doctrina vestra, quantùm à Catholicis dissidet, proscripta est.

Sed inquis: *Præstaret Protestantes ab hac nuncupandi liberalitate abstinere, quâ Catholici appellantur, quòd ex eo præscriptionem faciant Catholici, qui Romanenses, Papistæ & Papicolæ nominari deberent.* Itáne tu ille Dictator in Imperio es, paucorum prædicantum Superintendens,& textorum prædicans? Omnes Imperij Ordines id nomen Catholicum Cæsari & nobis attribuunt,& tu Cæsari & Principibus præscribis? mirum te non vocari ab ijs ad Comitia Imperij, ut sapientiam tuam audiant. Et qui illi Protestantes, à quibus illud exigis? jam hoc ipso nomine arguis vos non esse Catholicos sed hæreticos,& quinâ, inquam, illi Protestantes? Etiam in Anglia princeps ac potens Protestantium nomine secta est, ut disces ex Florimundo & Honorio Reggio, alijsque Scriptoribus Anglis. Estne hoc nomen vestrum ita proprium, ut ab alijs vos discernat? nisi Protestantes Lutherani, aut Confessionis Augustanæ dici malitis,& more hæreticorum alia nova in Ecclesiam sectæ vestræ nomina invehere.

Demùm tanquam ex pectore sapientiæ tuæ pronuntias: *Discriminis loco rectius nuncupantur Romano-Catholici, Papistæ, Pontificij.* Hoc tuum ex tripode est oraculum, hoc judicium tuum, quo te ipsum condemnas: admittis enim inter hæc nomina nos Catholicos dici; Catholicorum verò Ecclesia una est, ut supra ostendimus ex Symbolo Nicæno & Constantinopolitano: ergò extra eam non alia est Ecclesia vel Lutherana, vel Calviniana, vel Zwingliana, vel Puritana, cui hoc nomen competere possit: nam ubi una tantùm est Ecclesia Catholica, non sunt duæ, vel

vel tres, aut quatuor Ecclesiæ Catholicæ; sed omnes illæ extra unam veram Catholicam Ecclesiam, hæreticorum sint Ecclesiæ, necesse est. Vides igitur, ut te excludis è numero Catholicorum, neque Lutheranis tuis nomen Catholici vendicari possit?

Quòd Papistas nos & Pontificios vocari vis, non id oppidò abnuant Catholici, quando Chrysostomus Hom. 33. in Act. Apost. *Quòd si nos agnominationem cujusdam sortimur, sed non ab hæresum auctoribus, sed ab his, qui præsunt nobis, & gubernant Ecclesiam*, quales sunt Pontifices Romani & Papæ Vniversales; num id adeò inconveniens? modò non ab homine aliquo particulari id nomen trahatur, sicut hæretici appellantur vel ab Ario, vel Nestorio, vel Luthero, vel Calvino. Imò Bellarminus inquit, non vocari nos Papistas, nisi à Lutheranis vel hæreticis; non autem ita vocamur in Græcia, Asia, Africa, Indijs, Italia, Hispania, Gallia. Neque nomen istud Papistæ invenies in ullis Capitularium Caroli M. libris, neque in Synodis Carolinis, neque ullo eorum temporum Scriptore: Vos autem ubique Lutherani, sicut cæteri hæretici, à suis hæresiarchis appellamini. Denique, etsi id nomen in Catholico sensu admittatur, non tamen in hæretico vestro sensu, qui eo Papisticam & Pontificiam Ecclesiam distinguitis à Christiana & Catholica Ecclesia, ipsumque Antichristi regnum per illas voces denotatis. Igitur quando tu nos Romanenses, Romanistas, Papistas, Papæos, Papicolas vocas, prodis hæresis tuæ serpentinum virus tibi à Luthero infusum: Nec his calumnijs magis commovemur, quàm quòd olim Berengariani, fratres tui, *Pompificem & Pulpificem* appellarint Pontificem; aut Waldenses Ecclesiam *purpuratam meretricem*; aut Wicleffistæ *Synagogam Sathanæ*. Hæc arma vestra, hic furor vester, Ecclesiam & Ecclesiæ Rectorem criminari. Semen Chanaan, Prædicantis filius, quid aliud à puero in paterna domo discere poteras, quàm odium Catholicæ Religionis? cætera quæ hic garris de Papistarum nomine, non digna censeo calamo.

Postremùm intorques: prisci hæretici etiam sibi nomen Catholici arrogarunt, ut ex Lactantio lib. 4. Institut. c. 20. adducis, *suam Ecclesiam Catholicam putant.* ℞. Faciunt hoc, quod vos facitis, qui falsò id nomen sibi vendicant ex falsa Ecclesia sua. Ideò benè Tertullianus de his hæreticis: *Faciunt favos & vespæ, faciunt Ecclesias & Marcionistæ.* Intelligitne Tertullianus per Marcionistas Catholicos, an hæreticos?

tu ipse judica: hæreticos sanè. Vos illæ vespæ, crabrones, & degeneres, qui adulterinum mel stipant; apum favi sunt in Ecclesia Catholica, ubi Respublica ordinata est sub uno sacrorum Rege & capite, qualem nec vespæ, nec fuci, nec crabrones habent.

Alteram partem propositionis: *Nec jure significationis*, apud vos esse Catholicum nomen, ostendam nunc ex proprietatibus Catholico nomine significatis.

CAPVT XIII.

IV. Nota, Vniversitas per Catholicum nomen significata.

PRæter ipsum Catholicum nomen, quo communi appellatione atque orbis testimonio ab hæreticis distinguimur, tres cumprimis Catholico nomine Ecclesiæ proprietates continentur, quibus vera Christi Ecclesia à falsis hæreticorum Ecclesijs discernitur, ut non tam nudo nomine Catholico, quàm significato hujus nominis Catholici ab hæreticis dignoscantur. Quemadmodum id Vincentius Lerinensis vetustus inter Patres Scriptor in aureo illo libello c.3. exponit: *In ipsa*, inquit, *Catholica Ecclesia magnoperè curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, & quod ab omnibus creditum est. Hoc enim est verè, proprieque Catholicum, quod ipsa vis nominis ratioq; declarat:* Seu ut idem planiùs explicat: quod habet *Vniversitatem*, *Antiquitatem, & Consensionem.* Prima igitur Catholico nomine consignata proprietas, est Ecclesiæ *Vniversitas.* Quod vel ipsum græcum nomen sonat, ὅλος totus apud Græcos, unde καθολικὸν universale. Ita præter cæteros Patres S. Augustinus lib 3. contra Gaudentium Donatistam c.1. *Hinc enim græco vocabulo*, inquit, *Catholica nominatur; quod enim græcè ὅλον dicitur, latinè totum & universale interpretatur. Per totum ergo sive*

sive secundum totum est καθ'ὅλον, id est Ecclesia, quæ toto orbe diffunditur; quemadmodum statim cum ipsis Apostolis toto orbe diffundi cœpit. Quapropter Apostolus ad Romanos c. 1. *Fides vestra annuntiatur in universo mundo.* Vti id à Prophetis prædictum, & Apostolis denuntiatum; Isai. c. 54. de Christo vaticinatus: *Semen tuum gentes hæreditabit.* Psal. 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Malachiæ 1. *Ab ortu solis usq; ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Matt. 24. *Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio.* Ideò Matth. & Marc. cap. ultimo, Apostoli per totum mundum missi, jussique prædicare; uti & Luc. 24. habes. Et quæ non in hanc rem suppetunt testimonia V. & N. Testamenti?

II. Hæc proprietas clarissimè omnium Patrum testimonijs est asserta, cumprimis D. Augustini contra Donatistas, qui Ecclesiam in una Africæ parte remansisse docebant, ut Lutherani in una Germania post mille annos resuscitatam volunt. Igitur lib. 2. contra Epist. Gaudentij c. 2. & suo & Cypriani testimonio, inquit: *Attende, quam Ecclesiam ille dixerit Catholicam, Ecclesia, inquit, Domini luce perfusa per totum orbem radios suos diffundit, ramos suos copia ubertatis in universam terram extendit. Quid igitur vos ipsos fallitis, & alios fallere mendaciis impudentibus vultis? Si hujus Martyris* (Cypriani) *vestra Ecclesia Catholica est, ostendite illam per totum orbem terrarum radios porrigere.* Lib. deinde de unit. Eccl. Epist. 48. Lib. 2. contra Petilian. De Genes. ad literam c. 1. De agone Christi c. 29. Lib. 4. de Symb. c. 10. Epist. 170. *Ipsa est Ecclesia Catholica & unde* καθολικὴ *græcè appellatur, quod per totum orbem diffunditur.* Id quia Augustinus innumeris testimonijs evicit, *Ticonius,* ut ipse refert lib. 1. contra Parmen. c. 1. *omnibus Sanctarum paginarum vocibus circumtusus evigilavit, & vidit Ecclesiam Dei toto orbe diffusam, atque ex Donatista factus est Catholicus.* Optatus Milevit. lib. 2. contra Donatistas: *Vbi ergo erit proprietas Catholici nominis, quod sit rationalis, & ubiq; diffusa?* Lib. 1. cont. Parmen. *Novissima sententia eorum Episcoporum Eunomij & Olympij talis legitur, ut dicerent illam esse Catholicam, quæ esset in toto orbe terrarum diffusa.* Chrysost. in illud psalmi: De regionibus

nibus congregavit eos : à solis ortu & occasu, ab Aquilone & mari. *Hoc à Judæis ad hunc modum factum non accepimus, ipse verò gentilem Ecclesiam in omnibus orbis partibus tam Orientalibus, quàm Occiduis, tam Australibus, quàm Septentrionalibus vocavit & congregavit.* Idem Ambrosius docet in psal. 39. Lactantius lib. contra Judæos. Hieronymus contra Luciferianos: *Si Ecclesiam per totum orbem diffusam non habet Christus, aut si in Sardinia tantùm habet, nimium pauper factus est.* Quin Irenæus jam suo ævo enarrat Ecclesias lib. 1. adversus hæreses: *Neque hæ, quæ sunt in Germania fundatæ Ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt; neque hæ, quæ in Iberis sunt, neque hæ, quæ in Celtis, neque hæ, quæ in Oriente, neque hæ, quæ in Ægypto, neque hæ, quæ in Libya, neque hæ, quæ in medio mundi sunt constitutæ.* At quænam hæ Ecclesiæ tum in Germania, nisi quæ Tungris, Treviri, Coloniæ, & Moguntiæ erant? quas ab Apostolorum discipulis fundatas & Christi fidem edoctas scimus.

III. Statum hunc, ut toto orbe funderetur sub Constantino M. perfectius consecuta est Ecclesia, cùm pace redditâ publicè templa erigerentur, cœtus convocarentur, & Evangelium liberè doceretur. Auctior hic status Gregorio M. Pontifice, ut constat ex epistolis ejus ad Episcopos Orientis, Africæ, Hispaniæ, Galliæ, Siciliæ, Angliæ, cumprimísque ad Saxones nostros Transmarinos, qui ab Augustino Monacho alijsque ab eo missis Apostolicis viris, primò Christi fidem amplexi, ut vel eò Gregorius M. Angliæ Apostolus nominetur. Ex his Transmarinis Anglis & Saxonibus prodière deinde D. Willibrordus, Suibertus, Bonifacius, alijque Apostolici Sacerdotes, qui Evangelium in Frisiam & Saxoniam intulerunt. Eadem communicatio Catholicarum Ecclesiarum cum Romana & Catholica ad Lutherum fuit, manetque ad nostra usque tempora, uti id ex cæterorum Pontificum literis & diplomatibus, ad omnes Episcopos, Reges & Principes totius orbis missis, constare potest. Quemadmodum id Baronius & historia Ecclesiastica commonstrat: ut cæcus sit, qui extra Romanam & Catholicam Ecclesiam ullibi aliam Ecclesiam quæsierit, nisi hæreticam aliquam nominare & appellare velit. Eò major eorum dementia, qui cum Nisanio ad occultam & commentitiam illam sanctorum suorum congregationem nos remittunt, quæ Lutheranam religionem, uti ipsi modò colunt, interea professa sit, quam sanè in nullo Caci antro uspiam terrarum reperies.

Carolum

Carolum M. quem tu in partes Lutheranas trahis, hîc etiam adeamus, utrúmne aliam, quàm Catholicam aut Pontificiam, ut dicitis, Ecclesiam agnoverit? Et certè ille epistola ad Hispaniæ Episcopos: *Prædicamus unam sanctam Dei Ecclesiam toto orbe diffusam, locis separatam, fide & caritate conjunctam. Vnam dicit*, extra quam nec aliam, nec latentem illam vestram agnovit. *Toto orbe diffusam* dicit, *sed fide & caritate conjunctam*. Non alia ergò fides, quam Catholica. Nihil frequentiùs reperies in Capitularium libris, in Synodis ab eo habitis, & omnibus ejus monumentis, quàm Catholicam, Romanam, & Apostolicam Ecclesiam. Et quam aliam religionem coleret Carolus M. præter Catholicam, quam à Regibus Francorum & majoribus suis acceperat? Hinc legis in præfatione ad legem Salicam: *Deo favente Rex Francorum Clodovæus florens & pulcher, & inclytus, primus recepit Catholicum Baptismum*, à S. Remigio videlicet, Rhemensi Episcopo, anno 499. Rursus idem præfationis auctor: *Gens Francorum inclyta, auctore Deo condita, fortis in armis, profundaq; in consilio, firma in pacis fœdere, corporeâ nobilis columnâ, candore & formâ egregiâ, audax, velox & aspera, ad Catholicam fidem nuper conversa, immunis ab omni hæresi.* Admirabilis sanè Dei providentia in hanc Francorum gentem, quæ ex omnibus barbaris gentibus Imperium discerpentibus electa, ut languentibus & desciscentibus Orientalibus Imperatoribus, columna esset per Occidentem Catholicæ Ecclesiæ. Vel eò Gregorius M. ad Childebertum Francorum Regem lib. 4. epist. 5. *Quanto cæteros homines regia dignitas antecedit; tanto cæterarum gentium regna, regni vestri culmen excellit. Esse autem Regem, quia sunt & alij, non mirum est; sed esse Catholicum; quod alij non merentur, hoc satis est.* Quæ deinde cæterorum Pontificum hac super re elogia sint, Pelagij, Stephani, Gregorij II. & III. Zachariæ I. leges ex eorum epistolis in Tomis Conciliorum recitatis. Inter hos Paulus I. epistolâ ad Francos: *Verè enim elevatum est nomen gentis vestræ super multas generationum nationes, & regnum Francorum vibrans emicat in conspectu Domini, quod talibus benignissimis Catholicæ & Apostolicæ sanctæ Dei Ecclesiæ liberatoribus præornatur regibus.* Inde de Pipino Caroli M. patre: *Novus quippe Moyses, novusque David in omnibus operibus suis effectus est Christianissimus, & à Deo perfectus filius, & spiritualis Compater Dominus Pipinus, Dei nutu victoriosissimus Rex, per quem exaltata*

alta Dei Ecclesia triumphat, & fides Catholica ab hæreticorum telo illibata consistit. Tom.17. Concil. Gener. Ita Stephan. Pontifex eo nomine III. Pipinum vocat *Christianissimum Regem.* Epistolâ verò ad Carolum & Carolomannum fratres, Pipini filios, addit: *Vestra præclara Francorum gens, quæ super omnes gentes enitet.* Quantùm verò Reges Francorum præstiterint pro Ecclesia Romana & Catholica fide, Carolus cumprimis Martellus, Caroli M. avus, & Pipinus Rex, ac demùm ipse Carolus M. quæque deinde Adriani & Leonis Pontificum de Carolo M. extent elogia, supervacaneum est hoc loco enarrare. Sanè post Constantinum M. & Theodosium non facilè Regem aut Cæsarem inde posteritas memorabit, qui Romano Pontifici conjunctior vixerit, aut pro Ecclesia Catholica inter barbaras gentes propaganda illustriora perpetrarit. Quæ nobis eò gratiora esse debent, quod gens Francica primam originem duxerit ex Westfalia & Saxonia nostra, (ut lib.3. Annal. Westfaliæ commonstravimus) in eamque Carolus M. proscripto idolorum cultu primùm Catholicam Religionem triginta annorum bellis invexerit, in nullo discordem ab ijs, quæ modò Catholici tenent, ac docent, quod frustra calumniator hic persuadere contendit. Nunc prius ea, quæ hæretici, ac Nifanius adversus hanc Catholici nominis proprietatem opponunt, paucis expediamus.

Dicunt I. Orbis Christianus ac Catholica Ecclesia pars modica est totius mundi, ergò non potest Catholica nominari, neq; hanc proprietatem nominis sibi vendicare. Probant; quia extra Romanam Ecclesiam sunt Pagani, Turcæ, Judæi, Hæretici, Schismatici, qui mediam orbis partem occupant. Inter hos Nifanius: *Si Catholicum nomen ab Vniversitate locorum valeat, tum Mahometismo magis proprium erit, quando Christiani habitatæ terræ partem non nisi sextam occupant, Mahometani verò quintam,* quod auctorum testimonijs frustra contendit. Respondet Suarez lib. defens. Cath. fid. atque alij: Nomen Catholicum non esse impositum, ut distinguat à Paganismo, Mahometismo, & Judaismo, sed ab hæreticorum sectis. Hinc vi hujus nominis non est necesse, ut amplitudo Ecclesiæ hos simul superet, sufficit enim, ut suo modo sit diffusa per orbem, & excedat quamcunque sectam hæreticorum. Suo, inquam, modo: Primum jure & potestate; quemadmodum Christus dixit Mar. ult. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium*

omni

omni creaturæ. 2. Actu, quando post eorum prædicationem magis, & magis increvit. Quare Augustinus lib. 2. contra Petilianum Donatistam: *Ecce unde Catholica vocatur, quæ ex parvo lapide secundùm prophetiam Danielis crevit, & implevit universam terram.* Inde Cyprianus & Augustinus lib. 3. contra Gaudentium c. 1. *Ramos ejus extendi per orbem*, qui cum annis omnes latiùs se exporrigunt, nec sol utrumque hemisphærium simul illustrat: ita Catholica Ecclesia semper latiùs se fundit.

Dicunt II. Ariana hæresis latiùs diffusa fuit, quàm Catholica & Romana Ecclesia, ergò nec quamcunque sectam superat. Testem sistunt Hieronymum lib. cont. Lucif. *Tunc Usiæ nomen abolitum est, tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata est; ingemuit totus orbis, & Arianum se esse miratus est.* Idem visus est velle Hilarius ac cumprimis Nazianzenus Orat. 25. quærit: *Ubi sunt, qui paupertatem nobis exprobrant? qui Ecclesiam multitudine definiunt? ac parvum gregem aspernantur?* ℞. Primò. Ecclesia ut constat ex Scriptura, & historia Ecclesiastica, habet non modò felicitatis, sed persecutionis tempora, quibus contrahitur. Hoc illud Augustini epist. 18. *Ipsa est, quæ aliquando obscuratur, & tanquam obnubilatur multitudine scandalorum: Sed tunc etiam in suis firmissimis eminet.* Ac tale tunc tempus erat, de quo scripsit Hilarius, tale de quo Hieronymus, & Nazianzenus; quanquam ut ipse Augustinus scribit, Episcopi intellectâ Hæreticorum fraude mox se ad Nicænæ Synodi veritatem receperint. Quò factum, ut Ecclesia Catholica de suppressa Ariana hæresi haud multo post triumpharit. Quippe minis & dolis illecti Episcopi Catholici, qui Seleuciæ convenerant, coacti sunt subscribere fraudulentæ formæ fidei, quâ Christum Patri primò per omnia similem, suppressâ voce substantiæ & consubstantialis, pòst exsertâ hæresi suâ, Patri similem dixerunt.

℞. 2. Multo verisimilius est Arianos Episcopos nunquam superasse numero Catholicos: Nam etsi in Concilio Ariminensi major pars Episcoporum decepta fuerit ab Arianis, fraude tamen mox intellectâ damnarunt Arianam hæresin, imò nec animo quidem hæretico hic error admissus fuit, uti Hieronymus & Augustinus significant, & planè Ambrosius lib. 3. de fide cap. ult. scribit. Deinde licet major fortè pars hæreticorum fuerit in Oriente, non tamen in Occidente ac toto orbe,

quando Basilius Epist. ad Cathol. *State in fide, ipsum orbem inspicite & videte, quam modica sit portio quæ hoc morbo laborat, reliqua vero Ecclesia, quæ ab orbis finibus usque ad fines Evangelium recepit, sanam & rectam hanc doctrinam sectatur.* Hoc modo Athanasius Ægypti Episcopus hortatur, idque exemplo Occidentalium Episcoporum, qui Arianam hæresin nunquam receperant, quod evidens est ex Synodica Athanasij epistola ad Jovinianum Imp. apud Theodoretum lib. 4. c. 3. *Huic*, inquit, *omnes ubiq; Ecclesiæ assensæ sunt, ut Hispaniæ, Britanniæ, Galliæ, Italiæ, & totius orbis.* Quin mox subdit: *Orientis denique Ecclesia exceptis paucis, qui sectæ favent Arianæ, nam istarum omnium re ipsa exploratæ cognitam habemus sententiam.* Tandem concludit Athanasius, ex paucis illis *non posse fieri præjudicium orbi terræ universo.* Quapropter & Hilarius beatos vocat Galliæ & Britanniæ Episcopos, quòd in Apostolica fide perstiterint. Nazianzenus verò exiguum illum gregem Catholicorum visus est indicare in sua tantummodo civitate, in qua plures fortè Ariani quàm Catholici reperti sunt. Nec Hieronymus aliud dixit, quam quòd nomen consubstantialitatis & substantiæ in Nicæna Synodo stabilitum, passi essent Episcopi omitti in formula fidei. Universim ex his conficitur, nunquam hæresim aliquam numero superasse aut exæquasse Catholicos. Id enim in nulla hæresi unquam speciem habuit; quod tamen Ariana hæresis maximè Arianorum Imperatorum potentia subnixa obtendere debuisset. Vide hac super re Suarez lib. defens. Cath. & Bellarm. lib. 3. de Eccles. c. 16. Baronium ad an. Chr. 358. & 359.

Utrúmne omnes hæreses simul sumptæ aliquando & hoc cumprimis ævo Catholicis numero prævaluerint, non hic agitur. Superarint licet, non hoc præjudicat Catholico nomini, ex quo contendimus nullam unquam peculiarem sectam hæreticorum superasse Catholicos numero. Interim August. lib 13. cont. Faustum c. 16. parabola illa paleæ & grani tritici, id quod hic quæritur, expressit: *Agnoscenda est pariter illa, quam Dominus præcipuè commendat in ingenti atque innumerabili multitudine per orbem diffusa, quæ paucitas granorum in comparatione multitudinis palearum paucitas dicitur, per se ipsam tantam massam frumenti facit, ut omnes probos & reprobos vestros, quos pariter veritas reprobat, incomparabili multitudine superet.* Quo illud Optati Milevitani Episcopi referas lib. 2. contra Parmenionem: *Quantum vult, consumat edacitas*

vultu-

vulturum, *major est numerus columbarum*, semperque plures oves quàm lupi.

Dicunt tertiò hæretici, uti & Nisanius: Catholici nominis proprietas non solum ex amplitudine locorum & multitudine hominum æstimari debet, sed etiam ex parte materiæ, & dogmatum ad veram fidem pertinentium. Ita Donatistæ olim argumentabantur, teste Augustino: *Catholicum*, ajebant, *nomen non solum oportet ex totius orbis communicatione interpretari, sed etiam ex observatione præceptorum Divinorum & Sacramentorum omnium.* Eodem modo Nisanius cum hæreticis inquit: nomen Catholicum oportet æstimare ex sincero verbo Dei & Sacramentorum administratione, quæ solùm apud se incorrupta volunt. Verùm quàm hoc frivolum & insulsum sit argumentum, jam supra ostendi: Tum quod verbum Dei, & Sacramentorum administratio non sint Notæ Ecclesiæ, tum quòd omnes hæretici ex eo sibi nomen Catholicum & Catholicam Ecclesiam vendicent; & si quid hæc argumentatio conficit, apud nos valere debet, penes quos manet hæreditaria Catholici nominis possessio & veritas. Huc facit illud Augustini in psal. 57. *In ventre Catholicæ Ecclesiæ manet veritas*, *quæ non in angulo, sed ubique tota est.* Sed audiamus vestram hîc argumentationem, quæ sic formatur:

Ibi est Catholici nominis proprietas, ubi sincerè verbum Dei prædicatur, & Sacramenta administrantur;
Sed apud Lutheranos sincerè verbum Dei prædicatur, & Sacramenta administrantur: Ergo
Apud Lutheranos est Catholici nominis proprietas.

Verùm utraque propositio falsa est. Major, quia prima Catholici nominis proprietas est Universitas, & diffundi per totum orbem. Minor itidem falsa est, ex falsa hypothesi. Quid nunc conclusio nisi falsum importabit? Vide nunc: verbum Dei duplex est, Scriptum & Traditum, utramque enim normam ponit Lerinensis & Patres, neutrum apud vos est. Non traditum, quod reijcitis; non Scriptum, quia nec Canonem, nec versionem, nec verum sensum Scripturæ habetis, ut infra ostendam. Sed his missis; Duo hîc tantummodo quæro: Primò quo jure, quo merito, quo oraculo, quâ divinâ revelatione, quo privilegio vobis purum & sincerum verbum Dei vendicetis, ut non eodem jure & modo sibi Cal-

vinistæ, Puritani, Protestantes in Anglia, Arminiani, Zwingliani, cæterique vendicent? Causam Catholicorum hic seponamus. Hic semel unum argumentum profer, quo non cæteræ etiam sectæ sibi Catholicam Ecclesiam vendicare possint. Ego ut tibi postremùm respondeam, dicam id quod S. Augustinus lib.3. de Bapt. cap. 19. Donatistis respondit: eos *Sacramenta & Scripturam tenère ad speciem, non ad salutem.* Quemadmodum & vos tenetis simul ad fraudem & imposturam populi, quando ut idem Augustinus dicit: *Ad imaginem phantasmatum vestrorum convertitis*, & pervertitis *omnia Sacramenta & verba Librorum sanctorum.*

Quæro secundò, quare Lutherus id nomen Catholicam eraserit è Symbolo, & loco ejus posuerit Christianam? ita enim recitare docuit suos: *Credo sanctam Christianam Ecclesiam.* Respondes, Christianum & Catholicum quo ad rem esse unum, ideoq; in articulo Smalcaldico XII. utrumque poni: *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam sive Christianam.* Sed hæc nova impostura est, quando omnis Catholicus est Christianus, sed non omnis Christianus est Catholicus: passim enim hæretici, qui baptizati sunt & Christum profitentur, Christiani vocantur; nisi Patres etiam aliquot audire libet, qui hæreticos ne quidem Christianos patiuntur dici. Ita neutrum vobis nomen competit: Sed ad rem magis: *Catholicum* nomen significat Ecclesiam toto orbe diffusam; quod non importat nomen Christianum, ideo tam signatè ab Apostolis & Conciliis positum est in Symbolo, ut supra ex consensu Patrum est relatum.

Interim Nisanius ita concludit: *Lutherana Ecclesia illa est, quam omnes verè credentes per omnium temporum intervalla, ubicunq; locorum sint, amplectuntur, amplexi sunt, & pariter ad finem mundi amplectentur.* Itáne hoc solis Lutheranis convenit? Thrasonicum dictum, & multis fallaciis plenum. Id tantùm benè dicis: *Ubicunq; locorum sint*, non enim audes dicere, Lutheranam Ecclesiam per totum orbem diffusam. Eâ enim universitate Catholicum nomen nobis soli vendicamus; nam in Italia, Gallia, Hispania, Lusitania, Belgio Catholico, Anglia, Græcia, India, monstri instar esset videre Lutheranum. Hoc ipso ergo quod Ecclesiam vestram per totum orbem nondum diffusam agnoscis, Catholicum nomen tibi ipsi derogas. An autem vestra hæresis, aut aliqua alia ex hisce sæculis demum nata ad finem mundi duratura sit, de hac re tu nullũ vaticiniũ unquã proferes. Sed, ut Pseudoepiscopus es, ita vereor,

nobis

nobis hîc Pseudopropheta sis. De Catholica verò Ecclesia id certum est ex Daniele, c.9. Act.5. Matth. 24. & 28. Ephes.4. Joan. 14. Et verò quomodo eadem hæresis vestra ad finem mundi durabit constans, quæ Augustanam Confessionem octies aut novies jam mutavit, & in tot sectas divisa est? Citiùs omnia Westfaliæ horologia convenient, quàm vestra Lutherana fides. Cæterùm de Ecclesiæ duratione, vide Bellarm. lib.3. de Eccles. c.6. Refert enim jam à tempore Apostolorum CC. hæresum numerum, quarum paucæ tantùm ex Arianis, Nestorianis & Eutychianis reliquiæ supersunt, cæteræ evanuêre; tametsi multæ ex his multos Episcopos, multas Ecclesias, multos Imperatores & Reges patronos habuerint, innumerabiles etiam libros scripserint, qui cum ipsis hæreticis interiêre. Idem vestræ hæresi verisimilius fatum imminet. Quare ex consilio D. Hieronymi adversus Luciferianos: *In ea Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata, usq; ad diem hanc perdurat,* quam Catholicum nomen nobis hic monstrat.

CAPUT XIV.

Nota V. Antiquitas Ecclesiæ.

QUemadmodum Novitas nota est hæresis, inde enim ab αἱρέω hæresis, quod nova sibi dogmata eligat; ita *Antiquitas* Nota est Catholicæ Ecclesiæ, & proprietas Catholico nomine significata. Vti id supra Vincentius Lerinensis tradidit: *Antiquitatem deinde,* inquit, *sequemur, si ab his nullatenus recedamus sensibus, quos sanctos Majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est.*

Constat id primùm ex Scriptura, quæ idipsum in veteri Lege præscripsit. Jerem. 6. *State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona.* Proverb. 22. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui.* Ecclesiast. c.8. *Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt à Patribus.* Deuter. 32. *Memento dierum anti-*

quorum, & cogita generationes singulas: interroga patrem tuum, & annunciabit tibi; majores tuos, & dicent tibi. Idem in nova Lege habes. Rom. 1. Galat. 1. 1. Timoth. 6. 2. ad Timoth. 4. 2. Petri 3. 1 Joan. 2. Judæ v. 18. Quibus præter Scripturam verbum traditum & à majoribus acceptum commendatur, ne ex Scriptura sola nobis omnia promittant hæretici, quando in lege naturæ & prima illa fidelium Ecclesia, antequàm Moyses primò verbum Dei scriberet, per bis mille annos solo verbo tradito, colloquijs divinis, & inspiratione regebatur.

II. Id evidens est ex Concilijs: ac primò Oecumenico Niceno Concilio, cui Constantinus M. Imperator præsens interfuit, in quo primùm inter Patres acturos contra Arij hæresin convênit: *Ne quid ab eo quod traditum esset, innovaretur, sed in omnibus servaretur Antiquitas.* Hinc illa formula in omnibus: *Ad istum modum credit Ecclesia Catholica,* tanquam non tam suo, quàm antiquorum Patrum consensu hæc definirentur. Quâ super re Sozomenus lib. 1. c. 18. Idac. c. 16. Baron. & Spond. ad annum 325. Ad hunc modum Concilia Oecumenica cum Tridentino simul se ad Traditionem Patrum ac Majorum, in omnibus referunt. Longum foret ire per singula. Ac licet ex omnium Catholicarum Ecclesiarum antiquitate hæc petantur, tum ex nulla certiùs quàm ex Romana & Apostolica sede asseruntur, in qua perpetua Pontificum successio & Petri auctoritas eminet, ideoque in Sede Apostolica fidelissimam semper custodem omnium Traditionum agnovêre Patres, ad eamque provocarunt. Quemadmodum etiam Concilium Francofurtense ad Apostolicam hanc auctoritatem statim Canone 1. se refert, & ipse Carolus M. ut pòst referam, in omnibus fidei controversijs se suosque ad Apostolicam Sedem remittit.

III. Id planum est ex Patribus hæresi novitatem exprobrantibus. Tertullianus lib. 1. de præscript. *Qui estis vos, unde, & quando venistis? ubi tam diu latuistis?* Optatus Milevit. l. b. 2. contra Parmenionem: *Vestræ Cathedræ originem ostendite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vendicare.* Hilarius lib. 6. de Trinit. *Tardè mihi hos piissimos doctores ætas nunc hujus sæculi protulit, sero hos habuit fides, quam tu erudisti, magistros, inauditis ego his omnibus, credidi.* Hieron. ad Pam. & Occan. *Quisquis es assertor novorum dogmatum quæso te, ut parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apostolico ore laudata est, cur post quadringentos annos*

nos docere nos niteris, quod ante nescivimus? usque in hanc diem sine vestra doctrina Christianus mundus non fuit? Itáne etiam post mille annos à Gregorio M. aut Carolo M. sine Lutheri aut Calvini doctrina Christianus mundus non fuit? ô dementiam hæresis vestræ! Imò idem Hieron. contra Luciferianos: *Ex hoc ipso, quòd posterius instituti sint, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus pronunciavit.* At non unus Apostolus Petrus Epist. 2. c. 2. *Fuerunt verò & Pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, &c. Et multi sequentur eorum luxurias:* (Qualis illa carnalis Lutheri vita fuit) sed & cæteri Apostoli: Matth. c. 24. Paul. ad Tim. 1. c. 14. 2. ad Timoth. c. 3. Judas in Epistola, id pronuntiarunt. Ita hæreses semper posteriores antiquitate Ecclesiæ: nempè ut triticum priùs seminari docuit Christus, cui diabolus illa hæresum superseminat Zizania. Cæteris in hanc rem prætermissis, præclarè Gelasius Papa ad Episcopos Dardaniæ: *Apud nos inconvulsis radicibus vivit Antiquitas, cui decreta Patrum sanxêre reverentiam.* Et quid aliud Patres in Concilio Francofurtensi egerunt? quàm ut Elipandi hæresin ex Scriptura & SS. Patrum testimonijs refellerent, in erudita illa Synodica epistola ad Præsules Hispaniæ, quâ plus sapientiæ ac doctrinæ continetur, quàm ex omni vestra hæresi extundi possit. Ac legenti mihi epistolam illam Apostolicam, nihil magis mirari subijt, quàm ejus ætatis Theologiæ scientiam & hæreticorum insectationem, quòd à Patrum & Majorum via deflecterent. Vestræ hæreses illis Episcopis & Patribus monstra fuissent, præsertim si Decreta quoque morum & Canones pro disciplina Ecclesiæ perlegas; ac tametsi Conringius, qui acta Conciliorum Gener. non viderit, ea abnuat: Legis in ea Hierarchiam Ecclesiæ & institutum Clericorum, Monachorum & Monialium, & veterum Patrum & Conciliorum statuta.

IV. Idem Caroli M. judicium, eadem doctrina ipsius, cùm in alijs scriptis, tum in professione fidei ad Hispaniæ Episcopos: *Apostolicæ Sedi & antiquis ab initio nascentis & Catholicis traditionibus totâ mentis intentione, totâ cordis alacritate me conjungo.* Rursum in eadem professione religionis suæ: *Hoc ad salutem animæ meæ sufficere credens, quod sacratissimæ Evangelicæ veritatis pandit historia, quod Apostolica in suis epistolis confirmat auctoritas, quod eximij sacræ Scripturæ tractatores & præcipui Christianæ fidei Doctores ad perpetuam posteris scriptum reliquerunt*

querunt

querunt memoriam. Cum his quoque Doctoribus & sancta Ecclesiæ Pastoribus veram prædico fidem, quos in præsenti tempore ille nobis dedit luminaria, qui dixit : Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi; Viden? quantum venerandæ *Antiquitati* & Sedi Apostolicæ detulerit Carolus M. Hæc si Lutherus & Lutherani ex Caroli præscripto servassent, nunquam hæresis Germaniam lacerasset. Viden, ut præsentes etiam Episcopos, Pastores & Doctores audiat, & sequatur in omnibus Carolus? Illi sanè, qui tum Caroli ævo vixerunt & docuerunt jam ab octingentis annis, tam antiqui sunt Patres & Doctores, quàm à trecentis fuêre illi, quos magna illa Nicæna Synodus profitetur sequi se; & cùm Carolus usque ad consummationem sæculi futuros scribat, alia certè illi fides fuit, quàm vobis Lutheranis, qui per mille annos à Gregorio M. Ecclesiam defecisse docetis. Revolve nunc vitam istorum Archiepiscoporum, Episcoporum & Sacerdotum, qui cum Carolo vixerunt per Italiam, Galliam, Germaniam, Belgium, Britanniam, Hispaniam, excepto Elipando & Felice Vrgelitano Episcopis. Recole primos illos Episcopos & Doctores gentium, quos Carolus Martellus, & Pipinus, Carolomannus avus, pater, ac patruus induxere in Frisiam, Hassiam & Thuringiam. Recognosce quos Carolus M. debellatæ imposuerit Saxoniæ: intelliges sanè non alio cultu Religionem Catholicam invexisse in has regiones, quàm Catholici ad hunc diem retinent. Aut omnes Scriptores, diplomata, ac monumenta nos fallunt, aut Nisanius cum suis Novatoribus. Sed quid hæc contendimus, cum tu ultrà etiam mendacia tua porrigas, & scribas : jam per ducentos annos ante Carolum M. à sæculo videlicet V. ad VIII. illam pontificiam Ecclesiam errasse, ut Carolum M. ijsdem erroribus cum Episcopis, Sacerdotibus ac Monachis involvas, & Lutherum desertorem ac furiosum apostatam his omnibus sapientiorem plebi persuadeas. Nos Apostolum audire malumus ad Hebr. c. 13. *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei : quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.* Inde cum Tertulliano sentimus : *Ego meum Evangelium dico verum, Marcion suum : quis nos determinabit? nisi temporis ratio ei præscribens auctoritatem, quod antiquius reperiatur?*

V. Vt cognoscas quantum Carolus Magnus detulerit *Antiquitati*, perlege omnes Synodos eo præsente, aut approbante habitas, pervolve

volve Capitularium libros, Constitutiones Ecclesiasticas, ac Sacros Canones, & reperies in omnibus, quæ ad disciplinam Cleri, & populi tot legibus præscripta sunt, Carolum M. referre se ad antiquorum Conciliorum & Pontificum Romanorum decreta. Quare ferè in omnibus citantur Concilia, & Pontifices, ex quorum decretis sua desumpserit Carolus; ut antiquæ in omnibus Ecclesiæ sua conformaret. Et Nifanius per summam impudentiam ausus in hæc verba scribere: *Non astrinxit Carolus Saxones ad humanas constitutiones & traditiones, ad hujus vel illius Pontificis Decreta, sed ad scripturam Canonicam.* Nihil quidem Carolus contra Scripturam docuit, & multas leges ex Scriptura deduxit: Nihilo tamen minus innumera antiquorum Conciliorum, & Pontificum decreta, ad Cleri, Monachorum, & populi mores introduxit, præscripsitque auctoritate Episcoporum, quæ legi Christi non adversantur, sed illustrant. Hæc enim potestas ferendi Leges, ut ratio temporum, & vitia hominum, & res ipsa poscebat, semper penès Ecclesiam fuit; haud secus, quàm apud Reges & politicos Principes. Tu multa calumniaris, & in primis elementis adhuc hæres. Multa de Carolo M. scribis, & nunquam legisti Synodos, & Constitutiones Caroli; aut certè fallacissimus mortalium es. Legistine tot Leges, quibus Cleri, & Monachorum vita formatur? Quæ verò scriptura apud vos de Clero, de Monachis & Monialibus, qui hæc vitæ instituta damnatis? Legistine Caroli M. Capitulare pro partibus Saxoniæ? quod *Ferdinandus* Episcopus noster primùm ex Bibliotheca Vaticana vulgavit, & Conringius etiam vester in lucem dedit Lib. de orig. juris Germ. In eo Lex II. sic habet: *Si quis in Ecclesiam per violentiam intraverit, & in ea per vim & furtum aliquid abstulerit, morte moriatur.* Lex III. sic habet: *si quis sanctum Quadragesimale jejunium pro despectu Christianitatis contempserit, & carnem comederit, morte moriatur.* His adde cæteras leges, cumprimis de impijs paganorum ritibus abolendis. Estne quadragesimale jejunium in Libris sacris præscriptum Christianis? quod vos Lutherani sustulistis. Tædet cum hoc insulso Prædicante tempus fallere. Quod noctu somniant apud uxores, manè purum est Evangelium apud plebem.

Tandem aliquid ad rem Nifanius: *Papistæ*, inquit, *Antiquitatem & successionem perpetuo in ore habent, eamque unicam & perpetuam constituunt notam, Lutherani verò ad hujus controversiæ decisionem non*

possunt adigi. Quid hic agis Nisani ? rursum forum declinas, & convictum te fateris. Quid enim dicis ? non possunt adigi. Quare ergò Concilia, & SS. Patres, & Carolus M. appellant ad hanc Ecclesiæ Notam? ut jam planè ostendimus tibi. Non possunt adigi, scio: nolunt, debebas dicere; quia novitas hæresis vestræ Nota est, quæ antiquitati opponitur. Itáne desperata hic causa vestra ? attamen tu ad verbum Dei etiam rursum appellas, ad illud mantellum imposturarum vestrarum, quod jam toties reteximus, & dissolvimus.

Imò Tertullianum imploras patronum, Lib. de Præscript. *Etsi confinxerint*, inquit ille de hæreticis, *quos exhibeant, ab Apostolis in Episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces, nihil promovebunt*, & rationem dat: quia *doctrina eorum cum Apostolica comparata diversitatem & contradictionem pronunciabit.* Hæc enim illa *consanguinitas doctrinæ*, si nimirum *in eadem fide conspirantes sint.* ℞. Hæretici illi primùm appellabant ad Episcopos suos, in quo melior eorum fuit causa quàm vestra: quia nec Lutherus Episcopus fuit, nec ullus Catholicus Episcopus cum Luthero defecit adjutor hæresis vestræ. Ita ubique impingis, nec doctrina vestra conspirat cum Apostolica doctrina. In speciem quidem appellatis ad eam, sicut Calvinistæ, & omnes hæretici faciunt. Sed hîc idem dolus redit, quem ex verbo Dei prætexitis. Dicis, vos non teneri ad quæstionem de antiquitate Ecclesiæ vestræ, & tamen hic recurris ad doctrinam Apostolicam ex Tertulliano, quæ vera est antiquitas. Quantum ergò ad Tertullianum: permittit primis illis hæreticis successionem, quòd Episcopos haberent à Catholicis ordinatos; ideò provocat ad doctrinam consanguineam & Apostolicam, quam prætendere illos posse negat. Sed hâc super re infra de successione. Scio, prima quinque sæcula vobis in speciem vendicatis. Inde quia per mille annos abrupta est Ecclesia vestra ad Lutherum usque, refugitis ad antiquitates appellare. At Catholici ad antiquitatem continuam, & nunquam interruptam provocant, quam tu in Carolo M. etiam abrumpis, ut persuadeas populo nunquam sinceram fidem ante Lutherum importatam esse in Saxoniam, sed à gentilismo ad Papismum transiisse pari superstitionis, & idololatriæ cultu. Quæ hîc insania vestra? quæ impostura? haud alia quàm priscorum hæreticorum, de quibus Patres supra relati, quos inter Nazianzen. orat. 2. ad Cledonium: *Si ante triginta annos fides incepit,*

incepit, cùm quadringenti ferè sint anni, ex quo manifestatus est Christus, certè Evangelium nostrum tanto tempore inane fuit, inanis & fides nostra. Quanto nunc vos Lutherani nobiscum injuriosiùs agitis, qui per mille annos à Gregorio M. ad Lutherum úsque, Evangelium nostrum inane, & fidem Catholicorum toto orbe inanem facitis. Sed nunc de ipsa consanguinitate & consensione doctrinæ cum Apostolica doctrina, ad quam ex Tertulliano provocas, ac deinde de ipsa Apostolica Ecclesia, quænam illa sit, ordine agamus.

CAPVT XV.

Nota VI. Recta constitutio et consensio Ecclesiæ Catholicæ.

CONsensionem, Ecclesiæ Notam, ex Catholico nomine idem tradit Vincentius Lerinensis, ut supra dictum, & hanc simul regulam præscribit: *Si in ipsa vetustate omnium, vel certè penè omnium Sacerdotum pariter ac Magistrorum definitiones, sententiasque sequamur.* Sed priusquam de *Consensione* referam, hujus fons, quæ est *Ordinatio* & constitutio Ecclesiæ, præmittenda, quam hoc argumento exponit Tannerus:

> Illa est vera Christi Ecclesia, quæ sola est rectè ordinata;
> At sola Catholica Ecclesia est rectè ordinata, nulla verò hæreticorum Synagoga: Ergò: &c.

Major apertè asserirur in Scriptura: Ecclesia enim Cant. 6. est *castrorum acies ordinata*, quemadmodum & Carolus M. profitetur in epistola ad Hispaniæ Episcopos: *Vnde*, inquit, in *Cantico Canticorum dicitur: Terribilis ut castrorum acies ordinata, constipati exercitus ordinantur, & unanimis bellatorum fortitudo, sanctæ Matris Ecclesiæ aërijs potestatibus, & ignitis malignæ perfidiæ spiculis impenetrabilis est.* Ecclesia Matth. 5.

Civitas est *supra montem posita* Matth.25. *Regnum.* 1.Corinth.3. *Templum Dei.* Hebr.3.*Domus Dei* Roman.12.Eph.4.1.Corinth.12.*Corpus.* Multa in corpore membra, sub uno visibili capite cohærentia, & à se mutuò in officijs dependentia. Demum omnia membra sub uno invisibili capite Christo, qui visibilem sui vicarium reliquit, & per influxum & gratiam omnia membra regit. Quemadmodum Apostol. Ephes.4. *Qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri.* Hinc illa admirabilis Hierarchia Ecclesiæ, quæ constat Episcopis, Presbyteris & ministris Ecclesiæ, sub uno capite, de qua Tridentinum Sess. 13. cap.6. Inde regale Christi Sacerdotium multò ordinatius, quàm regnum sacerdotale in veteri Ecclesia, tantoque perfectius, quantum res ipsa typis, veritas figuris, atque umbris illis præstare debet. Non in ulla unquam hæresi, hæc *Ordinatio*, atque Hierarchia fuit: Inde omnes hæreses in tot hæreses statim divisæ, ut supra relatum est, neque unquam esse potest illa doctrinæ *Consensio*, ob supremum è cœlo capitis influxum, ubi contra Ordinationem Dei novum Ecclesiæ regimen humanâ auctoritate instituitur. Hoc denuò illud Cypriani Lib.1.epist.48. *Vnus Deus est, & Christus unus, & Ecclesia una, & Cathedra una supra Petrum Domini voce fundata: aliud altare constitui, aut Sacerdotium novum fieri, præter unum altare, & unum Sacerdotium non potest. Id enim adulterum, impium, & sacrilegum,* dicit, *quodcunque humano furore instituitur, ut dispositio divina violetur.*

II. Ex hac Dei Ordinatione deducitur illa *Consensio*, quam Episcopi habent cum suo Capite & Vicario Christi. Inde Cyprianus provocat contra hæreticos & schismaticos *ad Petri Cathedram, & Ecclesiam principalem: unde unitas Sacerdotalis exorta est.* Idem cæteri Patres faciunt, ut supra relatum de Romana Ecclesia. Deinde ex hac Dei Ordinatione deducitur, quam *Consensionem* habere debeant oves ad Pastores & Episcopum suum, *Spiritus* enim *S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Act.20. Hanc verò *Consensionem*, postquam Lutherana hæresis primùm in Germania intervertit, ac sacram simul illam potestatem Episcoporum, Jurisdictionemque transtulit ad politicos Principes, ac Magistratus civiles, illicò inde nata est religionum diversitas, & libertas quamlibet docendi hæresin, dummodo patronum habeat in politico Principe,

Principe, ac Magistratu. Inde per Germaniam Lutherani, Calvinistæ, Zwingliani, & singuli deinde in alias atq; alias sectas divisi. Nec mirũ, ita in reprobum sensum tradi, postquã turbata est divina illa Ordinatio, & abruptus est divinus influxus à capite in membra: & quis Nisanium prohibebit novas hæreses procudere, & docere plebem suam? dummodo consentientem habeat Magistratum suum, aut politicum Principem reformatæ religionis, à quo fatetur sibi pastorale munus in Comitatu Ravensburgensi commissum, libello adversus Labadæum. Sed quid epist. 69. Cyprianus? *Scire debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo: & si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non potest esse.* Ita Scriptura, Concilia, & Patres, quos longum hic referre. At verò à Caroli M. ævo, Hervordia, Bilfeldia, & magna pars Comitatus Ravensburgensis, non alium Episcopum habuit, quàm Paderbornensem: uti ex Monumentis *Ferdinandi* Principis & Episcopi nostri disces.

III. Ex hac Dei ordinatione deducitur illa Catholicæ Ecclesiæ *Consensio* cum doctrina Apostolica, ne quid novum aut hæreticum ullibi in Ecclesia Catholica doceatur: Nam quia *Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, publica illa docendi potestas ab Episcopis communicari debet: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Joan. 20. *Quomodo verò prædicabunt nisi mittantur?* Rom. 10. Quâ verò potestate mittuntur Sacerdotes ad docendum, eandem agnoscere debent in docendo: ut eorum judicio omnia submittant, ne quid contra Apostolicam doctrinam tradant populo. Et si qua hæresis irrepserit, primùm ad judicium Episcoporum refertur, inde ad Sedem Apostolicam, ac supremum controversiarum Judicem. Hinc illa toto orbe Catholico tanta *Consensio* doctrinæ; quo principio, privilegio, & dono veritatis, quia hæretici se spoliant, dum extra Catholicam Ecclesiam abeunt, hinc illa inter eos confusio doctrinæ, & hæresum multitudo. Contrà nihil unquam Episcopis magis curæ fuit, quàm ne quid contra Apostolorum & Patrum doctrinam admitteretur, uti ex omnibus Concilijs Oecumenicis, & Provincialibus evidens est, ad eum modum quo Lerinensis præscripsit.

IV. Nihil quoque Carolo M. sollicitius fuit, quàm ne qua hæresis *Consensionem* Catholicæ Ecclesiæ turbaret. Ita enim in Confessione fidei ad Hispaniæ Episcopos scribit: *Hanc fidem Orthodoxam, & ab A-*

postolicis traditam Doctoribus, & ab Universali servatam Ecclesia; nos pro virium nostrarum portione ubique in omnibus servare, & prædicare profitemur: quia non est alia aliqua salus nisi in illa, quam pacificâ ab initio salutis nostræ unanimitate semper servavit Ecclesia. Rursum in eadem Apostolica epistola Carolus: *Sequamur sanctorum Patrum venerabilia in caritate præcepta, decet enim ut omnium Christianorum una sit fides, & unus animus, sicut est unum ovile, & unus Pastor: Quæ verò extra Ecclesiastici ovilis septa inveniuntur, lupinâ rabie devorabuntur.* Et quæ in hanc rem multis præscribit: Addendo etiam, ut *inconsutilem Christi tunicam integram* servare meminerint. Ad hunc modum ad omnia Romanorum Pontificum, & sanctorum Patrum decreta se in Synodis, & præscriptis morum legibus revocat. Hunc in modum Concilium Francofurtense, præsente Carolo M. in Synodica epistola ad Præsules Hispaniæ, Elipandi hæreses rejecit; quòd libellus ejus adversaretur Patrum doctrinæ. *Cur*, inquiunt, *nobis non sufficiant, quæ in sanctorum Patrum dictis inveniuntur, & universali Catholicæ sanctionis consuetudine confirmantur, dicente Scriptura: terminos patrum tuorum non transgrediaris. Nunquid sagaciores sumus ad inveniendam viam veritatis, quàm Apostolici Doctores?* Pervolve vel unicum Capitulare Aquisgranense ex Synodo anni Christi 687. in quo modò ex Nicæno Concilio, modò ex Antiocheno, modò ex Sardicensi, modò ex Chalcedonensi, modò ex Ancyrano, modò ex alijs Concilijs decreta ad disciplinam Cleri, & populi transumuntur. Idem in alijs Synodis servatum. Adeò extra antiquorum Patrum, & Conciliorum sententiam nihil decerni voluit, quò ostenditur, quam *Consensionem* habere oporteat Ecclesiam omnis ætatis cum antiquis Patribus & Concilijs.

V. Vt Catholici demonstrent doctrinam suæ Religionis ex *Consensione* Patrum totius Apostolicæ Ecclesiæ, Theologi & Scriptores controversiarum ad singula dogmata sua confirmanda adducunt testimonia Patrum, ex omnibus à Christo sæculis ad nostram ætatem. Quam in rem multi Scriptores, quos inter Jodocus Coccius, Gualterius, alijque, singulares Tomos collegêre, totique in eo sunt, ut doctrinam Catholicam ex Patrum sententijs confirment. Alij etiam collectas Patrum Confessiones edidêre, id est, collegerunt ex S. Augustino, Hieronymo, Ambrosio, & Gregorio M. quatuor illis Ecclesiæ celeberrimis Doctoribus

ribus teſtimonia, & in capita per ſingula dogmata digeſſerunt, ut *conſentientem* Patrum ſententiam ſub oculos ponerent. Ad hæc reſpondet Nifanius: eas Confeſſiones peſſimâ fide eſſe congeſtas, truncataque, pro integris, & adulterina pro veris obtrudi. Verùm id non ſatis eſt dicere. Adſunt Patrum libri, producere oportebat adulterinum aliquem locum. Imò ſi veſtræ cauſæ fiditis, quare idem non tentatis, atq; ex Patribus dogmata veſtræ hæreſis hoc ordine & calculo non ſiſtitis?

At, inquit Nifanius, non poſſe unum aliquem Patrem proferri, qui omnia fidei noſtræ Catholicæ capita ex primis quinque ſæculis exhibeat. ℞. Id neceſſe non eſſe, ſufficit, ſi vel omnia ex ſingulis, vel ſingula ex majori parte Patrum ſiſtamus, uti Lerinenſis præſcripſit. Nec enim ſingulis oblata materia tractandi omnia, præſertim quæ poſteriores hæreſes moverunt. Si tamen confeſſionem S. Auguſtini pervolvas ab Hieronymo Torrenſe Theologo editam, parum deſiderabis. Sed hæreticorum noctuæ hanc lucem fugiunt.

Præclarum hac in re Theodoſij M. Imperatoris factum, & dignum poſteritate exemplum. Is ut in Synodo Conſtantinopolitanâ hæreticos eorum temporum in concordiam adduceret, conſuluit Nectarium (qui medius erat inter Gregorium Nazianzenum, & Chryſoſtomum, tum Conſtantinopolitanus Catholicorum Epiſcopus) quâ viâ id fieri poſſet, conſultumque eſt Imperatori, convocaret hæreticorum Principes, & omiſſis diſputationibus, quæ rixarum fomites eſſent, rogaret, utrúmne reciperent eos, qui ante diſſidium religionis ſacræ Scripturæ interpretes fuiſſent? ſi abnuerent; explodendos à ſuis: ſi reciperent; ex veterum Patrum ſcriptis facillimè poſſe convinci productis eorum teſtimonijs. Fecit id Imperator; ſed cùm inter ipſos hæreticos eâ ſuper re nova oriretur quæſtio, ac lis, alijs Patrum auctoritatem recipientibus, alijs detrectantibus, nihil obtinuit: Quemadmodum id Socrates Lib. 5. c. 10. Sozomenus Lib. 7. c. 11. & Baronius ad an. Chr. 383. Bellarminus Lib. 3. c. 9. Spondanus & alij tradiderunt. Ita ſanè hæretici noſtri temporis nobiſcum agunt. Modò enim, dum appellamus ad antiquos Patres, dicunt Patres fuiſſe homines erroribus obnoxios: modò dicunt Scripturam ſeſe ſequi, & ſupra Patres illuminatos eſſe: modò obſcura quædam loca obtrudunt: modò in alias fraudes converſi, veritatem eludunt. Adverſus haſce fraudes monitor eſt Cyprianus Epiſt. ad Illyriæ

Epiſcopos:

Episcopos: *Cavendum sanè,* inquit, *ne per eos, qui varias doctrinas comminiscuntur, in lubricum seducamur, ac potiùs quoties illi variantibus consilijs circumferuntur, Patrum nostrorum à nobis sententiæ sunt retinendæ.* Certa in his regula Vincentij Lerinensis: *Eorum duntaxat Patrum sententiæ conferendæ sunt, qui in fide & communione Catholica, sanctè, sapienter, constanter viventes, docentes, & permanentes, vel mori pro Christo fideliter, vel occidi pro Christo meruerunt. Quibus tamen hac lege credendum est; ut quicquid vel omnes, vel plures, unà eodemque sensu, manifestè, frequenter, perseveranter, velut quâdam consentiente sibi Magistrorum concione firmaverunt, id pro indubitato, certoque habeatur.* Rursum: *Quisquis in sensu Catholici dogmatis unum aliquid in Christo sentientes contempserit, non hominem contemnit, sed Deum.*

CAPVT XVI.

Nota VII. Ecclesiæ Apostolicæ nomen ex Successione et Doctrinâ Apostolicâ deductum.

AD Catholicum nomen Concilium Nicænum, & Constantinopolitanum non sine singulari Numinis providentia addiderunt *Apostolicum*, credendamque præscripserunt *Ecclesiam Catholicam & Apostolicam*, uti & Canoni Missæ ad initium præscribit Ecclesiam orare pro *Fidei Catholicæ, & Apostolicæ cultoribus.* Atque ita Pontifices, Concilia cætera, & SS. Patres compellant. Duo autem cumprimis eâ voce designantur: *Apostolica Successio & Doctrina,* quorum neutrum esse potest in hæreticorum Ecclesijs, ideóque hâc notâ, si quâ ullâ, convincuntur non habere veram Ecclesiam.

Ac primò apud Lutheranos non est vera *Successio Apostolica.* Quam in rem id primò etiam statuendum est, Ecclesiam non posse esse sine Pastoribus & Doctoribus. Ephes. 4. *Ipse dedit Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in ædificationem corporis Christi*; Pastores autem

res autem sunt Episcopi, Act. 20. *Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Ideò Cyprian. epist. 9. lib. 4. *Scire debes, Episcopum esse in Ecclesia, & Ecclesiam in Episcopis.* Hieron. ad Lucifer. *Ecclesia non est, quæ non habet Sacerdotes.*

Certum II. illos solos in Ecclesia habitos esse veros Episcopos, qui ab Apostolis per legitimam *Successionem & Ordinationem* ab Apostolis descenderunt, haud secus, quàm in veteri Lege nemo Pontifex, aut Sacerdos, aut Levita, nisi qui ex tribu Levi per carnalem propagationem descendisset. Hæc causa, cur omnes Patres ad hanc *Successionem* cumprimis in Sede Apostolica appellent. August. Lib. contra epist. Fundament. c. 4. *Tenet me in Ecclesia ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.* Idem in Psalm. contra partem Donati. *Numerate Sacerdotes, vel in ipsa Sede Petri, & in in ordine illo Patrum, quis, cui successerit; videte, ipsa est Petra.* Tertull. lib. de præscript. *Edant hæretici origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ab Apostolis, vel Apostolicis viris habuerit auctorem, & successorem: Hoc enim modo Romanorum Ecclesia Clementem à Petro ordinatum refert.* Optatus Milevit. Lib. 2. contra Parmen. postquam omnes Romanos Pontifices, à Petro ad Siricium sui temporis Pontificem, enumerasset: *Vos*, inquit ad Donatistas, *vestræ cathedræ originem ostendite, qui vobis vultis sanctam Dei Ecclesiam vendicare.* Similiter Epiphanius, post enumeratos ordine Romanos Pontifices: *Et ne quis*, inquit, *miretur, quòd tam exactè singula censemus, per hæc enim claritas ostenditur.* Hanc ob causam Irenæus quoque Lib. 3. c. 3. tam exactè enumerat Episcopos Romanos à Petro ad Eleutherium, additque per hanc *Successionem* confundi hæreticos. Hieronym. contra Lucif. illi Ecclesiæ adhærendum docet: *Quæ ab Apostolis fundata, usq; ad hanc diem durat.* Qualis certè in Germania Trevirensis, Coloniensis & Moguntina, quæ ab Apostolorum discipulis fundatæ. Ad hunc modum Ambrosius in 1. ad Corinth. c. 4. Origines præfat. in Pentateuch. Hilarius Lib. de Synod. *Cogitemus Sacerdotes sanctos, quid de nobis erit, qui eò rem deducimus, ut quia illi Episcopi non fuerunt, nec nos simus? Ordinati enim ab his sumus, & eorum sumus successores.*

Non hîc prætermittendus Carolus M. qui epist. ad Hispaniæ Episcopos profitetur, *se Apostolicæ Sedi totâ mentis intentione, & cordis alacritate conjungi.* Quemadmodum nullus adhuc Regum, & Imperatorum ab illo, qui Pontifices Romanos, ob reverentiam, & *Successionem* in Sede Apostolica sanctiùs coluerit. Ob id Lib. 5. Capitularium. Tit. 170. *Constat religionem Christianam per successores Apostolorum salubriter administrari.* Et tamen Nisanius jam ante Carolum M. per ducentos annos Antichristi regnum introducit ex Sede Apostolica. Contrà Carolus M. profitetur in eadem epistola: *Credimus quod Domnus Apostolicus cum sancta Romana Ecclesia, & Episcopis illis quaquaversum commorantibus sentit.* Cui nunc credam? fallaci *heterodoxo* Nisanio, an Carolo M. *Orthodoxo* Imperatori? Quem titulum sepulchro inscriptum legis apud Eginardum. Carolo M. accedit judicium Episcoporum, præsente Carolo ex Concil. Francofurtensi statim canone 1. profitentium, se conjungi *Apostolicæ auctoritati*, cum Episcopis Germaniæ, Galliæ, & Aquitaniæ, & toto Catholicæ pacis Clero.

Certum est III. ad *Successionem* veram duo reperiri. I. ut is, qui verus Episcopus haberi velit, succedat alicui Apostolo. Quomodo Clemens Petro, & Clementi cæteri Pontifices; & Polycarpus Joanni, cæterique alijs per orbem Apostolis; vel certè succedat illi, quem aliquis Apostolus fecerit Episcopum. Quomodo Ignatius successit Evodio, & Anianus Marco, quos Petrus fecerat Episcopos. Vel demùm si Episcopatus est novus, ut fiat ab eo, qui habet Apostolicam auctoritatem, qui est solus Pontifex Romanus, uti Patres in ea Ecclesia principatum constituunt. Nec tamen inde conficitur, Patriarchas, & Metropolitanos aliquando non posse novos Episcopatus erigere, quod S. Athanasium in Oriente, & S. Bonifacium in Germania fecisse constat; modò Sedis Apostolicæ auctoritate & potestate id fiat: ut de Bonifacio planum est ex epistolis Pontificum ad Bonifacium, & Legatis ab eo Romam missis. Quâ super re Othlonus in vita ejus, & Serrarius in historia Moguntina, alijque Scriptores. Ad hunc modum octo primùm Episcopatus in Saxonia à Carolo conditi, sed Pontificis auctoritate. Ob id Carolus toties Romam profectus, & coram cum Hadriano Pontifice egit, obtulitque S. Petro ad aram Episcopatum primum Osnabrugensem, ac deinde cæteros Episcopatus à se conditos. Quam in rem Carolus M. quoque

quoque apud se habuit Legatos Pontificis, eâque Pontificum auctoritate pars Episcopatuum Saxoniæ Moguntino, pars Coloniensi Metropolitano attributa, uti id planiùs in Annalibus nostris referemus. Nec aliter per Galliam, Britanniam, Germaniam, Daniam, Sueciam, Poloniam, Episcopatus instituti, aut Episcopi impositi, quàm auctoritate summi Pontificis, ut historiæ omnium temporum nos docebunt. Non aliter novi per Belgium Episcopatus à Philippo II. Hispaniarum Rege instituti, quam Pauli III. Pontificis auctoritate. Et ratio est, quòd potestas jurisdictionis Episcoporum, quâ Ecclesiam regunt, à Sede Apostolica communicetur, sine qua nemo verus Episcopus constituitur. Hic enim Hierarchiæ ordo.

Alterum in *Successione* Episcoporum est *Ordinatio*, ad quam requiritur, ut qui fit Episcopus, ordinetur à tribus Episcopis, qui & ipsi ab alijs sint ordinati, & illi ab alijs, donec ad Apostolos veniatur. Id clarum est ex Canone I. Apostolorum, quo præcipitur; ut Episcopus ordinetur à duobus vel tribus Episcopis, adsintque tres Episcopi ad consecrationem, vel duo præter principalem consecrantem. Idem in Concilio Nicæno I. Idem in Carth. 4. c. 2. præscribitur. Eò S. Clemens dixit requiri tres, aut saltem duos, & Anacletus, qui tempore S. Petri vixit, testatur Episcopum à tribus ordinari debere, quemadmodum S. Jacobus Frater Domini à Petro, Jacobo, & Joanne ordinatus fuerat. Damasus Papa Chorepiscopos abjecit, quòd à tribus Episcopis ordinati non essent, epist. 4. Ita Arelatense I. c. I. Arausicanum I. c. 21. Atque hoc illud est quod Apostolus docet, I. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij.* Vt Bellarm. Cornel. à Lapide, ac cæteri interpretes exponunt. Nec dubium facit Bellarminus, quin ordinariè tres requirantur, nisi fortè ex dispensatione cum uno ordinante assistant Abbates, qui vicem Episcoporum gerant, uti ob raritatem Episcoporum subinde fieri solet. Inauditum verò Episcopum à simplici Sacerdote ordinari.

Ex his igitur Bellarminus dicit insolubile argumentum confici hoc modo: Ecclesia vera non potest esse sine Episcopis; apud Lutheranos non sunt Episcopi: ergo apud Lutheranos non est vera Ecclesia. Major evidens est, minor itidem: ubi enim non est *Successio* cum potestate *Jurisdictionis* & *Ordinis*, ibi non sunt veri Episcopi; Neutrum apud Lutheranos

ranos est: ergò. Non potestas *Jurisdictionis* Episcopalis, quam à nullo unquam Pontifice vel Archiepiscopo accepit Lutherus; non *Ordinationis*, quia Lutherus nec à tribus Episcopis ordinatus est, nec ab uno Episcopo per dispensationem, ut ipsimet fatentur Lutherani. Eadem est ratio in Calvino, qui se Genevensem; in Zwinglio, qui se Tigurinũ; ĩn Oecolampadio, qui se Basiliensem Episcopum tulit: uti Lutherus Wittenbergensis Episcopus haberi voluit. Verè de his Cyprianus lib. de simpl. Præl. *Ij sunt, qui se ultrò apud temerarios convenas sine divina dispositione præficiunt, qui se præpositos sine ulla ordinationis lege constituunt, qui nemine Episcopatum dante Episcopi sibi nomen assumunt.*

Insolens hîc Nisanius est Scriptor adversus Catholicos. Verùm ad illud insolubile Bellarmini argumentum adeò nihil reponit, ut ne attingat quidem. Idem omnium Catholicorum de vobis est judicium, quo conficitur vestram Ecclesiam haud secùs, quàm aliorum hæreticorum miserrimo in statu versari, quæ nec Episcopos, nec Sacerdotes habeat, & quod consequens inde est, nulla præter baptismum Sacramenta: eaque, quæ à Sacerdotio pendent salutis subsidia, populo subtracta esse. Quâ nulla major fraus, & impostura excogitari potest, nec alij magis in culpa, quàm vos prædicantes, qui pro veris Christi ministris, vos falsos plebi obtruditis, & *veritatem Dei in injustitia* detinetis. Id cum ex adductis testimonijs, tum ex praxi totius Ecclesiæ Catholicæ discere poteratis: Vbi enim ante Lutherum auditum ullibi per tot sæcula, Episcopos, & Sacerdotes aliter, quàm ab Episcopis ordinari & consecrari? Ac ne Caroli M. testimonium hîc desideres, Capitularium Libro 7. Tit. 74. legis: *Si necessitas fuerit, tres Episcopi, in quocunque loco sint, Archiepiscopi præcepto, ordinare possunt Episcopum.* Neque in hac re Lege opus erat, cùm nemini, ut secùs faceret, ne in mentem quidem venire poterat; quando ex Majorum traditione, & omnium sæculorum usu, Episcopi, & Sacerdotes ab Episcopis tum ordinabantur. Recole, ut S. Willibrordus Romæ à Sergio Pontifice, Bonifacius à Gregorio Pontifice, Suibertus in Anglia, alij Apostolici viri, alibi consecrati Episcopi ab Episcopis sint. Recole omnes Episcopos, quos Carolus M. Saxoniæ imposuit, ullúmne reperies Episcopum, qui non ab Episcopis sit consecratus? Lutherus quidem Catholico ritu Sacerdos consecratus, sed Episcopus nunquam fuit: hinc abrupta est in eo, de qua agimus, *Successio*,

sio : & inanis vestra est Ecclesia sine potestate *Ordinis* & *Iurisdictionis* sacræ, misceriorque est, quàm Synagoga, quæ licet typicum sortita sacerdotium, veros tamen Pontifices, & Sacerdotum Principes, & Sacerdotes habuit. Adeò supra illos ad egena & vacua elementa redijstis.

Quid Nifanius ad hæc? *Papistæ*, inquit, *perpetuò in ore habent Successionem, eamque notam Ecclesiæ suæ constituunt: sed Lutherani, quia verbum* Dei *unicam & perpetuam constituunt Ecclesiæ suæ notam, non possunt adigi ad hanc decisionem quæstionis*: prorsus ut supra de *Antiquitatis* Nota dixit. Nempè, quia nihil respondere potuit Nifanius, rursus forum declinare maluit. Exspectabant Catholici, ut successionem Lutheri probaret, qui se & Episcopum Wittenbergensem, & instauratorem collapsæ Ecclesiæ tulit. Quid tu ad hæc Nifani? Dicis I. Non teneri vos ad Successionem vestram probandam. Quare ergò Patres omnes contra hæreticos ad eam provocant, & cumprimis ad Sedem Apostolicam, quam vos Antichristi Sedem persuadetis populo?

II. Dicis: Argumentum à *perpetua Successione* deductum, non esse *infallibile* requisitum Ecclesiæ. Dicis miser, sed minimè probas. Quin Bellarminus ex eo insolubile proponit argumentum: hoc tu dissolvere ostentator, & populo explicare debebas, quem hîc more tuo anilibus nugamentis, fallacijsque fascinas. Tolerandus esses, si quæsisses, num evidens esset illud Bellarmini signum? Certè apud eos, apud quos non est *Successio*, uti apud vos non esse ostendimus, evidens est signum, & infallibile argumentum. Aliud proinde est apud illos, apud quos *Successio* aliquamdiu locum habuit; quales prisci quidam hæretici, apud quos Episcopi, in Catholica Ecclesia ordinati erant, sed desciverant ad hæreticos. Quare Tertullianus, ut suprà relatum, contra hos ad *Doctrinam Apostolicam* appellandum censuit. Quod argumentum, præter complures Theologos tractatum reperies apud Fr. Amicum, in Disput. de Sacramento Ordinis. Eò jam miserabilior est vestra Lutherana Ecclesia, in qua nec *Successio* Apostolica Episcoporum & Sacerdotum est, nec *Apostolica Doctrina*.

Interim dicis III. Apud vos esse Apostolicam doctrinam, ideòque Apostolicam successionem. Hoc commune est dictum inter vos, quo populum decipitis. Id nunc unico argumento ostendam esse falsum.

Apud quos non est *Apostolica Successio* Episcoporum & Sacerdotum, apud eos non potest esse *Apostolica Doctrina*;

Atqui apud Lutheranos non est *Apostolica Successio* Episcoporum & Sacerdotum: ergo nec *Apostolica doctrina.*

Minor jam est probata tibi. Major de qua hîc agitur, æque certa est: quia *Doctrina Apostolica* divulgari & doceri non potest sine Pastoribus, qui sunt Episcopi, & Sacerdotes. Ideò Christus *dedit Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.* Ephes.4. *Qui vos audit, me audit.* Luc.10. v.16. Non enim in aëre pendet doctrina, nec per ventum afflatur. Hinc cùm in sola Ecclesia Catholica sit *perpetua & Apostolica Successio*, in eâdem quoque est illa *consanguinitas & perpetuitas*, & quod caput est, *infallibilitas Apostolicæ Doctrinæ:* Hæc enim uno nexu, & indissolubili vinculo inter se cohærent. Secus est apud hæreticos. Idcircò Apostolus dixit: *Circumferuntur omni vento doctrinæ.* Frustra igitur hæretici à *Successione personali*, refugiunt ad *Doctrinæ Successionem*, quæ solùm apud Catholicos est: quemadmodum Augustinus Lib. 28. contra Faustum c. 2. dixit: *Illud Evangelium est retinendum, quod non interruptâ serie temporum, Ecclesia certâ connexionis successione, usque ad tempora ista perduxit.* Sic præter cæteros Patres Origines præf. in Pentateuch. *Servetur Ecclesiastica prædicatio, per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & usque ad præsens in Ecclesijs permanens: illa sola credenda est veritas, quæ in nullo discordat ab Ecclesiastica traditione.* Ex hac traditione non modò Apostolica Doctrina, sed etiam Scriptura petenda est, ut eruditè ostendit Suarez Lib. 1. defens. Cath. c. 16. Hæc generatim à nobis ratio exposita est: cæterùm, quomodo in particulari, V.G. in sacrificio Missæ, in Sacramentis, in communione sub una specie, in cultu Sanctorum, in oratione pro defunctis, in justificatione, in merito bonorum operum, in cælibatu Sacerdotum, cæterisque à Nisanio adductis, Catholica Ecclesia conspiret cum Apostolica quinque primorum sæculorum doctrinâ, deinceps singulatim ostendetur. Nunc tantummodò Carolum. M. audi, Capitularium Lib. 5 cap. 170. *Constat religionem per successores Apostolorum salubriter administrari*: ideo eos honorandos, eosque audiendos esse mandat: ergò Caroli judicio *Successio* Episcoporum ad sua usque tempora continuata fuit. Secùs quàm Nisanius docet, jam tum Caroli ævo Pontifices in sede Antichristi consedisse.

Vnum

Vnum hîc demirari ſatis non licet. Quærimus à Lutheranis an ſint *Catholici?* Reſpondent ſe non eſſe *Romano-Catholicos*, ſed *Apoſtolico-Catholicos*, cùm tamen Apoſtolica Sedes & Fides, eadem ſit cum Romana Sede & Fide, niſi nos SS. Patres, & omnis antiquitas fallat. Adhæc omnes *Apoſtolici* viri, qui Saxoniam à gentiliſmo converterunt ad Chriſti fidem, fuerunt ſimul *Romano-Catholici*; ergò ſi *Apoſtolico-Catholici* ſint Lutherani, etiam *Romano-Catholici* eſſe debent, aut certè fateri, ſe tam à *Romanâ*, quàm *Apoſtolicâ* fide deſciviſſe ad hæreſin.

CAPVT XVII.

Nota VIII. Eccleſiæ, Gloria Miraculorum.

INter cæteras Eccleſiæ Catholicæ *Notas*, ac proprietates, quibus illa à Paganis, Judæis, Mahometanis, & hæreticis diſtinguitur, ponunt Catholici *Miracula*. Hanc notam cum multis impugnet adverſarius, tum primùm ex libris Carolinis. Verùm cùm libri illi quatuor de imaginibus ſint Pſeudo-Carolini libri, & hæreticorum fœtus, ut pòſt commonſtrabo; fruſtra hîc adverſarius ex falſa hypotheſi agit, neque enim Carolus M. tam inſanus fuit, ut negaret *Miracula* eſſe *Notam Eccleſiæ*, neq; libris illis de imaginibus *Miracula* abſolutè negari dixeris, ſed illa tantummodo, quæ pro cultu imaginum adferebantur in Concilio Nicæno II. ut citato à te, lib. 3 cap. 23. loco, clarum eſt.

Manet interim inconcuſſa veritas Catholicorum, doctrinam videlicet Catholicæ Eccleſiæ evidenter credibilem, *Gloria Miraculorum* reddi. Quare illa Fides & Religio eſt præferenda alijs, ac jure meritiſſimo amplectenda, quæ *Miraculis* obſignata, & confirmata eſt à Deo; At ſola hæc Catholica Fides, & Religio miraculis à Deo confirmata eſt: Ergo. Major eſt certa: nam ut Chryſoſtomus dixit Hom. 14. in Matth. *Miracula ſunt pignus quoddam omnipotentiæ Dei, & proprium ejus opus,* qui juxta illud pſalmi: *Facit mirabilia ſolus.* Quemadmodum de ratione *Miraculi* eſt, ut ſit *opus extraordinarium, & rarum, præter legem Dei ordina-*

ordinariam, & supra omnem virtutem causarum naturalium, juxta D. Thomam part.1.q.105.art.7.& 8.Et lib.3.contra gent.cap.101.Sumiturq; ex Augustino lib.3. de Trinit.c.4.& 5. Lib.26. contra Faustum, cap.3. Planiùs Augustinus epist. 49. q. 6. *Deus mirabilibus operibus loquitur.* Idcirco quæ per *miracula* confirmantur, credibilia sunt, tanquam à Deo data, & sigillo obsignata.

Hinc primò Christus doctrinam suam, & nostram innumeris *miraculis* confirmavit, de quibus Evangelistæ. Hinc Matth. c. 11. Christus ad discipulos S. Joannis ad se missos: *Euntes*, inquit, *renunciate Ioanni quæ audistis & vidistis, cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur.* Hinc Christus summæ obstinationis & pervicaciæ arguit Judæos, Joan. c.15.v.24. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Et cap. 14.v.12. *Propter opera ipsa credite. Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.* Pari modo Apostoli doctrinam suam innumeris *miraculis* confirmârunt, evidenterque populo credibilem fecerunt, Matth. 10. Marc. ult. *Profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.* Hebr. cap. 2.v.4. *Contestante Deo signis & portentis, & varijs virtutibus.* Corinth 2.c.12.v.12. Apostolus ipse: *Signa tamen Apostolatûs mei facta sunt super vos, in omni patientia, in signis & prodigijs, & virtutibus,* & Thess. 2. c.1.v.5. *Evangelium meum non fuit ad vos in sermone tantùm, sed & in virtute, & Spiritu S.* uti hæc ex Actis Apostolorum manifesta sunt. Rationem hujus rei inter cætera hanc Lessius reddit: Cùm enim pleraque in Religione sint supra naturam, & captum mentis humanæ, non possunt rationibus naturalibus persuaderi, sed opus est quibusdam argumentis supernaturalibus, quibus mentes hominum convincantur; quod vel maximè locum habet in conversione gentium. Quapropter & Deus Apostolicis viris miraculorum operibus tam fideliter adstitit, juxta Christi promissionem, Joan.14. *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado.*

Quocirca pòst Apostolorum tempora per Christi & Apostolorum discipulos, per Episcopos & Sacerdotes, per Apostolicos viros & Martyres, tam admiranda semper opera patrata. Ac quemadmodum *manus Domini abbreviata* non fuit, ita donum illud miraculorum nunquam cessavit in Ecclesia, maximè in conversione gentium ad Christi fidem

fidem perductarum, uti id acta Martyrum, & Apostolicorum virorum, SS. Patrum Scripta, historia Ecclesiastica, & singularum provinciarum Annales, Fastique nos docent. Quam in rem Bellarminus Lib. 4. de notis Ecclesiæ, cap. 14. per singula ab Apostolis sæcula, introducit Viros sanctos, qui *miraculis* Ecclesiam Christi illustrarint: idemque argumentum, deinde Thomas Bozius, de Signis Ecclesiæ, alijsque non minus exactè persecuti sunt.

His postremùm accedunt Patrum testimonia, qui *miracula*, quibus semper Catholica Ecclesia illustrata fuit, inter veræ Ecclesiæ *Notas* recensuerunt, quemadmodum inter cæteros S. Augustinus lib. contra epistolam Manichæi, c. 4. *Multa sunt quæ me in gremio Catholicæ Ecclesiæ justissimè teneant. Tenet consensio populorum, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata.* Ita lib. de utilit credendi, c. 17. Lib. de cura pro mortuis, docet opera mirabilia, quæ Deus per Martyres efficit, Christi fidem ædificare. Lib. 22. de civitate Dei c. 17. docet *miracula* publicanda ad Ecclesiæ ædificationem, quemadmodum id ipse scribendo fecit, tot miracula ad Reliquias S. Stephani, S. Laurentij, aliorumque SS. per Africam patrata, integris libris enarrando: ne quid hîc referam de Victore Vticensi, de Gregorio M. Beda, S. Antonino, aut ijs, qui vitam Gregorij Thaumaturgi, Antonij M. Hilarionis, Martini, Nicolai, Benedicti, Malachiæ, Bernardi, Dominici, Francisci, scripserunt: Quorum miraculorum Scriptores aut sanctos viros, aut omni fide dignos Sacerdotes fuisse constat. Quæ cum expenderet secum Richardus de S. Victore, lib. 1. de Trinit. c. 2. exclamat: *Domine si error est, quod credimus, à te decepti sumus: ijs enim signis & prodigijs confirmata sunt, quæ non nisi à te fieri potuerunt.*

Hæc autem *miracula*, quæ post tempora Apostolorum recens adferuntur, patrata esse in Ecclesia Catholica (quod in minori propositione suprà factâ, maximè probandum erat) patet evidenter: Tum quòd una tantùm visibilis Ecclesia fuerit, in qua illa visibiliter facta sunt; Tum quòd Viri sancti in hac ipsa Ecclesia Catholica fuerint, per quos Deus illa patravit; & qui ea scripserunt, non in alia quàm in Ecclesia Catholica vixerint. Quo argumento ita pressi sunt Novatores nostri, ut effugij causâ alij dicere necesse habuerint, *miracula* quidem illa in visibili Ecclesia patrata esse, verùm ex virtute invisibilis Ecclesiæ, quæ proinde

non nisi invisibilis Ecclesiæ fidem comprobarint. Puerile hoc & ridiculum prorsus: cùm illa invisibilis, & Vtopica Ecclesia nullibi sit, nisi in deliro Prædicantium cerebro. Alij contrà, quos inter Nifanius, impudentiùs garriunt, ea vel conficta esse, vel dæmonum ludibrijs tribui oportere, adeoque humanam omnem fidem è mundo nequicquam tollere nituntur. Quis verò sanæ mentis Christianus credat, S. Augustinum, qui conscripsit tot *miracula* ad Reliquias S. Stephani in Africa patrata, & à se comperta; quis S. Gregorium Nicænum, & Basilium, qui miracula Gregorij Thaumaturgi; Athanasium & Hieronymum, qui Antonij, & Hilarionis; Sulpitium Severum, qui Martini; Græcos, qui Nicolai; Gregorium M. qui divi Benedicti; Bernardum, qui Malachiæ; Bonaventuram qui sancti Francisci; cæterosque innumeros Sacerdotes, qui D. Bernardi, Dominici, aliorumque Sanctorum res gestas conscripserunt; quis, inquam credat, Viros illos sanctitate, doctrinâ, & auctoritate illustres voluisse in perniciem animæ suæ, & æternum nominis sui probrum ista confingere, & mundo imponere? Aut quis credat Episcopos ac Pontifices, qui post summam inquisitionem, & per juratos testes D. Francisci de Paula, Antonij de Padua, Francisci Xaverij, aliorumque Divorum *miracula* approbaverunt, Ecclesiam fallere voluisse, aut potuisse? quando tota Ecclesia, ex hoc simul cultu sanctorum & falsorum miraculorum, in errorem abducta fuisset. Nobis hîc satis sit, cum Regio Psalte ingeminasse illud: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Quantum verò hæc apud Nifanium valere debent, qui librum suum inscribit, Ostensionem Historico-Theologicam? Nec enim miracula hæc, quæ historicâ fide nituntur, negare potest, quin simul *Ostensionem* suam *Historicam* prædamnet.

Redeamus nunc ab his ad Caroli M. & Pipini parentis, atque avi Caroli Martelli, & proavi Pipini Majoris domûs ætatem, quorum operâ Christi religio in Frisiam, Hassiam, Thuringiam, & Saxoniam nostram est introducta: quibus non *miraculis* doctrina Apostolicorum virorum, eorumque vitæ sanctitas in conversione gentium à Deo confirmata est? Intelliget id, qui vitam S. Willibrordi ab Alcuino, Caroli M. præceptore; S. Suiberti, à D. Marcellino; Ewaldorum, à Beda; Bonifacij, ab Othlono, & D. Ludgero; qui ipsius deinde Ludgeri eâ ætate Thaumaturgi à beato Altfrido tertio Monasteriensium Episcopo; qui Willehadi

Willehadi à S. Anschario; Anscharij, à D. Remberto; aliorumque Apostolicorum Virorum ab alijs Sacerdotibus & Episcopis conscripta legerit. Omitto miracula, quæ D. Ludgerus ad sepulchrum D. Swiberti in Cæsaris insula patrata memorat. Quem Apostolicum Virum quo cultu Pipinus Rex, Caroli M. pater, ob cælestia beneficia, & miracula bello Saxonum experta veneratus sit, suprà à nobis relatum est. His accedunt miracula ac prodigia, quibus Deus Caroli M. bellum adversus Saxones, gentiumque conversionem testatus est.

Anno Christi DCCLXXII. qui primus fuit belli Saxonici annus, quo *Eresburgum castellum cœpit, & idolum Irmensul evertit. In ejus destructione, cum in eodem loco per triduum moraretur, contigit, ut propter continuam cœli serenitatem exsiccatis omnibus illius loci rivis ac fontibus, aqua ad bibendum inveniri non posset, sed ne diutius siti confectus laboraret exercitus, divinitus factum creditur, ut quadam die, cum juxta morem tempore meridiano omnes quiescerent propè montem, qui castris erat contiguus, tanta vis aquarum in concavitate cujusdam torrentis eruperit, ut exercitui cuncto sufficeret.* Ita Annales Francorum.

Anno DCCLXXIV. Saxones per absentiam Caroli Regis rebelles, *Hassorum terminos ingressi ferro, & igne omnia depopulantur, cumque eo in loco, qui nunc Frislar ab incolis nominatur, Basilicam à beato Bonifacio Martyre dedicatam incendere molirentur, atque hoc efficere casso labore conarentur, immisso sibi divinitus pavore subitaneo, turpi trepidatione confusi, domum fugiendo convertuntur* : visi etiam duo juvenes amictu candido è cælo lapsi ignem identidem extinguere. Cæteris Saxonum fugâ dilapsis, deprehensus est sacrilegus ex his morte oppressus, adhuc flantis in modum fomitem admovere. Ita rursus Annales Francorum & Fuldensium.

Anno DCCLXXVI. Saxones denuò rebelles recepto Eresburgo, Sigeburgum castrum oppugnant, ejecturi Francos Christianos. Qua in oppugnatione visus est minax gladius supra ædem sacram, & duo simul clypei igne fulminei, quo prodigio in aëre conspecto, quantùm erecti Franci, tantùm territi Saxones, conversique in fugam, multis se vulneribus conciderunt. Ita auctor in vita Caroli, qui hæc se accepisse scribit, ab ijs, qui spectarunt.

Anno Christi DCCLXXVII. Sæviunt Saxones perlati ad Rhe-

num, templum D. Swiberti subjecto igne concremant. Auctor [illegible] sacrilegij Ogellus Satrapa de Paderborna, dum coram militibus [illegible] cachinnis jactaret, vindice Dei manu punitus, è vestigio resupinus [illegible] ram corruit, fractoque collo animam evomuit: quem cùm com[illegible] nes in cœmeterio ejus loci sepelire attentant, terra sacrilegum [illegible] identidem ejecit; quare in Rhenum proijcere necesse fuit. Haud [illegible] mili pœnâ à Deo punitus Nothelinus, & Occo Satrapæ, sacrilegij [illegible] socij, alter oculis captus, alter usu linguæ, & aurium privatus. Hæc [illegible] tis D. Ludgerus in epistola ad Rixfridum Trajectensem Episcop[illegible] quo hujusmodi complura memorantur miracula ex Caroli bellis, [illegible] longum referre.

Anno Christi DCCCIV. cum famâ allatum esset ad Caro[illegible] Mantuæ in Italia, sanguinem Christi fuisse repertum, cupidus ejus [illegible] raculi veritatem cognoscere, misit ad Leonem Pontificem, ut coram [illegible] ploraret. Nimirum Carolus, etsi miracula agnosceret donum Eccle[illegible] Catholicæ, ijs tamen temerè fidem adhiberi noluit. Ita Annales [illegible] corum. At Baronius hoc miraculum ita exponit: ut velit fuisse de s[illegible] ne, qui tempore passionis è Christi corpore effluxit, non qui Be[illegible] imagine Christi à Judæis transfixa ubertim sanguine manârat. [illegible] quam illud miraculum adeò celebre fuerit, ùt cùm historia hæc in [illegible] cæno Concilio II. legeretur, non sine audientium Episcoporum l[illegible] mis audita fuerit. Quâ super re Concilium illud Act. 4. Et quâ i[illegible] dentiâ nobis persuadere vult Nisanius, Carolum M. improbasse [illegible] *cula*, quæ in Ecclesia fiunt? Quando eo præsente & spectante dum [illegible] nonizatio D. Swiberti in Cæsaris insula perageretur, Deus grande [illegible] raculum operatus. Enim verò Gocellinus puer Bartholdi Guberna[illegible] ris Sanctensis, & præfecti Imperatoris filius aquis submersus, & per [illegible] tegram noctem amissus in Rheno, rursumque altero manè extractus [illegible] aquis, positusque ante tumbam Swiberti Thaumaturgi, Divi ejus b[illegible] ficio redijt in vitam, stetitque erectus in pedes, madidis adhuc, ut er[illegible] vestibus, obstupescente ingenti, qui aderat, populo miraculi magnitu-dinem, quem ob id Carolus M. ac Leo Pontifex ad se adduci voluerunt [illegible] per Hildebaldum Archiepiscopum Coloniensem pueri resuscitati avun-culum: uti hæc mirificè scribit D. Ludgerus in epistola ad Rixfridum Trajectensem Episcopum. Ne quid hîc memorem de miraculis, quæ

ad

ad ſepulchrum S. Dionyſij in Gallia, aut Turone adS. Martini, per omnem Franciam Regum ac populi cæleſti ope experta celebrabantur, aut quæ Carolus ipſe de D. Arnulpho progenitore ſuo narrare ſolitus; quæque Paulus Diaconus ex ore Caroli M.excepta conſcripſit in Chronico Metenſium Epiſcoporum. Niſi Paulum Diaconum nobilem ac fidum hiſtoricum,& cum eo Carolum M. mendacem facere placeat. Memorant inter cætera Annales Francorum, auctorque vitæ Ludovici Pij, poſtquam eo Imperatore Oſſa beatiſſimi Martyris Sebaſtiani Româ allata ſunt in Galliam, & in Sueſſionum urbe, in Baſilica S. Medardi ſunt collocata, *tanta ſignorum & prodigiorum multitudine claruiſſe, ut à nullo mortalium eorundem aut numerus comprehendi, aut varietas verbis valeat enunciari.* Ita illi ad annum Chriſti DCCCXXVI. Omitto hîc infinita alia, ſed hæc dormiendo Prædicantes veriùs ſomniare, quàm legendo hiſtorias, ad quas nos provocant, diſcere poſſunt. Nunc quæ opponat hic Pſeudo-Epiſcopus, audiamus.

I. Objicit Bellarminum, quod is dicat ante approbationem Eccleſiæ, non conſtare, an ſit verum *Miraculum* certitudine fidei: hinc confici vult *Miracula* non poſſe eſſe Notam veræ Eccleſiæ: eſſent enim notiora quàm ſit Eccleſia, & ſimul non eſſent notiora. Eſſent notiora; quia ex *Miraculis* judicandum eſſet de veritate Eccleſiæ; & non eſſent notiora, quia ex Eccleſiæ approbatione judicandum eſt de *Miraculis*. ℞. Antiqua hæc & communis objectio eſt, ad quam ipſe Bellarminus jam dudum reſpondit. Nam ex *Miraculis* demonſtratur Eccleſia, non quoad evidentiam & certitudinem rei, ſed quoad evidentiam & certitudinem credibilitatis. Cujus ratio eſt: quòd ante approbationem Eccleſiæ non ſit certum certitudine fidei de ullo *Miraculo*, quod ſit *Miraculum*; eſt tamen tale, ut evidenter faciat rem credibilem. Neque in hoc eſt ulla vitioſa circulatio, ſicut non eſt, cùm ſit ex diverſo genere demonſtrationis: quemadmodum ex effectu demonſtratur cauſa, & ex cauſa effectus. In hunc quoque modum reſpondent alij: *Miracula* nova examinanda eſſe juxta doctrinam, & auctoritatem Eccleſiæ; quia licet viâ analyſis, fides pendeat à *Miraculis* ut motivo acceptationis, noſtra tamen fides, qui nunc ſumus in Eccleſia, non pendet ab his individuis *Miraculis*, quæ de novo fiunt in ullo genere, licet & ipſa juvare poſſint. Accedit, quòd cùm *Miracula* non eò tendant, ut rem ad quam te-

ſtandam patrantur, reddant evidenter veram, ſed tantùm evidenter credibilem, non requiritur certitudo metaphyſica de eorum veritate, ſed ſufficit certitudo moralis, quæ tanta etiam in certis *Miraculis* eſſe poteſt, ut ab homine prudente in dubium vocari non poſſit. Igitur *Miracula* aliter ſunt ſignum evidens credibilitatis, aliter objectum materiale fidei, quando ab Eccleſia vera declarantur eſſe *Miracula.*

Quid nunc agis Niſani? Objectiones citatas, & reſolutiones tranſis, multos Catholicorum Theologos conglobas, & nihil ad rem ipſam reſpondes. Si modò intelligas, tandem aliquid repone, quod ſapiat Theologiæ Licentiatum, obſtrepis ubique, ſed ſicut anſer inter olores. Quid tibi videtur, ſi canonizati Sancti redirent in vitam, & ferrent teſtimonium de aliquo dogmate fidei, nunquid id evidenter facerent credibile? & tamen quòd ijdem colantur ut Sancti, habent ab Eccleſiæ declaratione.

Objicis II. *Miraculorum gloria* non eſt Nota veræ Eccleſiæ, quia non eſt propria, cùm hæc Nota etiam in cœtu hæreticorum & infidelium reperiatur. At quænam illa miracula hæreticorum? Illa te oportebat adducere. Niſi fortè ad miracula Donatiſtarum appelles, de quibus Auguſtinus tract. 13. in Joan. Sed ea non alia fuerunt quam viſiones falſò ab illis jactatæ, quæ idem Auguſtinus non niſi fabulas appellat. Provocas deinde cum Magdenburgenſibus, & Joanne Gerhardi, ad miraculum Pauli Epiſcopi Novatiani, de quo Socrates lib. 7. hiſt. c. 17. Nam cùm ab eo impoſtor Judæus, qui jam ante ab Attico Catholico Epiſcopo erat baptizatus, rurſum peteret Baptiſmum, continuò fontis ſacri aqua exaruit, id verò miraculum, (ſi tamen vera narrat Socrates) non fuit in confirmationem fidei Novatianorum hæreticorum, ſed Catholici Baptiſmi: noluit enim Deus irrideri baptiſmum ſemel ritu Catholico ſuſceptum, & ab hæretico Epiſcopo baptizari denuò Judæum irriſorem. Ita Bellarminus, Baronius & alij. Demum ad miracula Mahometarum & Turcarum appellat Niſanius, quæ ex Septemcaſtrenſi hiſtoria, & Huttingero Saracenæ hiſtoriæ ſcriptore probari vult. O te cæcum & impium! qui à Turcis quæris miracula, quæ in illo Eccleſiæ Catholicæ fulgore, & ex totius orbis conſenſu videre non potes. Quare Damaſcenum non audis? qui lib. de centum hæreſibus teſtatur, Mahometem nullo unquam miraculo legem ſuam probare potuiſſe; quin ipſe Mahometh in Alcorano faſſus eſt, Chriſto *Miracula*, ſibi gladium eſſe datum: niſi quòd

quòd cap.64.obscurè dicat,se miraculum aliquod in Luna patrasse,seu, ut interpretes ejus exponunt,Lunam aliquando in duas partes fuisse divisam,quam Mahometh manu exceptam reparârit, & ad cœlum remiserit. Et quis hasce aniles fabulas non agnoscat? quas tamen Nisanius citiùs sibi persuaserit,quàm omnia *Miracula* Catholicæ Ecclesiæ.

At digniùs hîc Theologi nomine moveret Nisanius, si obijceret: *Miraculorum* operationem spectare ad gratias gratis datas, quæ cùm malis,tum bonis communicantur, juxta illud Christi Matth. 7. v.22. *Nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* quibus tamen dicitur: *Quia nunquam novi vos.* Ita 1.Cor.13. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam,caritatem autem non habuero,nihil mihi prodest*: Et si pravus homo potest facere verum miraculum,potest etiam deceptor esse,& falsum dicere, ergò ex veritate miraculi non colligitur veritas doctrinæ. Respondet Suarez Tract.de fid.disp.4.sect.3. Duobus modis posse fieri miraculum: Primò sine ullo respectu ad veritatem aliquam, sed vel ad sanitatem,vel utilitatem aliquam, vel simile quidpiam,& hoc modo potest Deus facere miracula per pravos homines,quamvis id rarissimè contingat: & si fiat,magis fit ex fide recipientis,quàm ex virtute operantis. Secundò fit miraculum in testimonium doctrinæ, atque ita miraculum fieri non potest in confirmationem falsitatis. Utrúmne per absolutam Dei potentiam id fieri possit? Theologi disceptant, sed hic ad rem non facit. Cæterùm Maldonatus cum ad cap.7. Matth. expenderet impiorum miracula, prophetiam deinde Balaam, & alibi Sibyllarum oracula, supra naturæ vires gentilibus concessa: Respondet,ordinarium *Miraculorum* donum esse in Ecclesia Christi; atque ita,etsi largiremur quandoque miracula facta esse apud gentiles, Mahometanos & hæreticos, nihil convincitur contra Catholicos: eò quòd ordinarium *Miraculorum* donum maneat apud Catholicam Ecclesiam. Hinc quod hîc Nisanius infert,falsissimum est,Ecclesiam videlicet Catholicam, & donum miraculorum non facere terminos convertibiles. In cæteris quæ hic desiderari possunt, te ad Maldonatum eruditissimum & sapientissimum interpretem remitto,plus ille sapientiæ habet in una pagina, quam tu in omnibus scriptis tuis, in quibus vix folium lego, sine decem mendacijs.

Objicit

Objicit III. Nifanius, miracula quæ in Papatu celebrantur, vel falsa sunt miracula, vel incerta, vel conficta pleraque. Quantum hic insanis! Enimverò in superiore objectione admittis vera miracula etiam apud hæreticos, & Saracenos facta; hic negas, & mavis certiora esse horum miracula, quàm Catholicorum. Quale non virus & odium in Catholicos diabolus vobis instillavit Prædicantibus, ut per eos hoc agat modò, quod per Pharisæos & impios Judæos egit, Christi miracula calumniantes, quod ea ope dœmonum à Christo patrata dicerent, Matth. 12. Quemadmodum Pagani etiam miracula Martyrum criminabantur, ipsosque Martyres ob id Magos & Necromanticos asserebant. Quo diaboli genio Magdenburgenses Cent. 5. Col. 101. S. Martinum Necromanticum fuisse scribunt, cùm aliter miracula ejus eludere non possent. At quam fidem miracula obtinere debeant, jam suprà dixi; nisi omnem è mundo fidem tollere placeat, atque ea certiùs explodere possit Nifanius, quam omnes Sancti viri scribere.

Interim pergis & dicis: miracula quæ olim patrata referuntur, nullam fidem nisi à sæculo barbaro & μυθολογικῷ, fabulosoque obtinent. Itáne SS. Augustinus, Gregorius Nyssenus, Basilius, Hieronymus, Athanasius, Gregorius M. Beda, Gregorius Turonensis, cæteríque Patres, qui tot miracula conscripserunt, ex fabuloso sæculo fabulosi, aut impostores sunt? Itane omnes Episcopi, Sacerdotes, historici & scriptores, à quibus res mirificè gestas Sanctorum accepimus, fallaces ac mendaces sunt auctores? Itáne Concilia, & tota Ecclesia, quæ tot Sanctorum miracula in eorundem apotheosi, & cultu comprobavit, tuo, tuorumque judicio falsa pro veris obtruserunt? Tuis scriptis credi vis, & tot Patrum & Sanctorum scriptorum judicijs credi non vis. Et qui sunt, quos in hanc rem citas auctores? Marnarius videlicet, Helmichius, Rivetus, Thomisonus, rabulæ hæreticorum, aut futiles Scriptores.

Advocas è Catholicis Patronum Melchiorem Canum, qui Lib. 11. c. 6. censeat: Multò severius à Laertio scriptas esse vitas Philosophorum, quàm à Christianis vitas Sanctorum: deinde improbari ab ipso Speculum exemplorum, & historiam, quæ Legenda inscribitur aurea; in quibus plura monstra miraculorum, quàm vera miracula legantur: ejusmodi plures esse libros, qui ne populari quidem trutinâ scripti sint.

℞. Quod

R. Quod id Canus censeat, parùm nos movet, & parùm te juvat; quando Catholici ipsi non omnia probant quæ in ejusmodi libris scribuntur: sed quæ à SS. Patribus suprà relatis, quæ ab antiquis, & probatis scriptoribus consignata sunt, uti hæc ex historia Ecclesiastica & communi fidelium judicio approbata leguntur, aut quæ Ecclesiæ judicio asserta sunt. Nam si horum fides in perscriptis *Miraculis* admitti non debet, etiam tota historia Ecclesiastica aboleri poterit: cùm omnia eâdem fide scribantur. Fide historicâ credimus fuisse Pompeium, Cæsarem, Octavium Augustum, Tiberium, Claudium, Neronem, Trajanum; cur non à Christianis historicis res gestas Christianorum, interque eas Miracula Sanctorum? Cur historici in uno fallant, & in alio non fallant, à quibus omnia eâdem fide possidemus? Et quid tua Ostensio historica facit, si historicis fides abroganda?

Quòd verò Melchior Canus fidem abroget Gregorio M. Bedæ, alijsque fide dignis historicis, heteroclitum suum judicium ostendit. Cur enim plus Cano hæc neganti, quàm magnis illis viris affirmantibus credam?

Demum ad domestica nos provocas, & quæris, cur in Ecclesia Moguntina, Coloniensi, Paderbornensi ejusmodi miracula facta non sint, nec modò fiant? Tune in Ecclesia Dei Superintendens & Episcopus esse vis? & non legisti in Ecclesiâ Tungrensi, Trajectinâ, Vltrajectinâ, Moguntinâ, Trevirensi, Coloniensi, Monasteriensi, Paderbornensi, alijsque sanctorum Episcoporum res gestas tot miraculis illustres? Integro volumine mihi opus esset ad ea enarranda, quæ passim ex fastis singularum Ecclesiarum, ex historiæ Scriptoribus, ex Surio, & actis Bolandi, alijsque monumentis pervulgata sunt. At nulla, inquis, apud Paderbornenses miracula unquam memorantur: Quasi verò in omni loco miracula patrari necesse sit, aut omnia, quæ patrata sunt, ad nos scriptis aliorum pervenerint. Interim si Paderbornensis Ecclesiæ miracula requiris, lege vitam B. Sturmionis, quem Paderborna inter Apostolicos Viros à Carolo M. introductos recenset, & apud nos Eresburgi fatali morbo correptus, Fuldam delatus est: de eo enim auctor apud Browerum in Sideribus Illustribus: *Sacra etiam virtutes per divina sancti Spiritûs Charismata fiebant ab eo quàmplurima.* Lege præterea vitam D. Meinulphi, & Meinwerci, habes ante oculos tuos non procul Bilfel-

dia celebre Widekindi Saxonum Ducis monumentum, in eo hos versus legis, Majorum testimonio inscriptos:

Omnis mundatur, hunc regem qui veneratur:
Ægros hic morbis, cœli Rex salvat & orbis.

Ne quid hîc dicam de miraculis, quæ apud vos, & passim per Westfaliam à D. Swiberto & Ludgero, duobus illis Thaumaturgis patrata sunt. Lege Translationem S. Viti, & S. Liborij ex Gallia ad nos, & quæ inde ad utriusque venerationem cælitus patrata sunt; quot istic miracula reperies! Liborij cælestem opem, quot in hunc diem experti, qui calculo laborant! Sensere & vindicem manum, qui Ossa ejus turbare sunt ausi. Quos inter Dux vobis notus, qui amisso brachio, dicere auditus: Si Divi ac Senis hujus Ossa reliquissem in quiete, brachium mihi integrum mansisset. Adeò & *inimici nostri sunt judices.* Lege vitam D. Liborij à Bolando recens editam, & illustratam. Adeone rudis, & hospes es, ut elementa patriæ historiæ tibi primùm tradenda sint? Sed hospes es, quia Danus, & ex Aquilone, (unde omne malum Prophetæ denuntiant) hæreses tuas nobis hîc spargis.

Transis postremùm ad nostra tempora, ac dicis modò nulla amplius miracula fieri, & quæ ab B. Antonio de Padua, & Francisco Xaverio, novis illis Thaumaturgis patrata memorantur, prorsus nullâ fide digna esse. Itáne tu qui Bilfeldiæ in angulo Teutonicorum montium sedes inter textores & mulierculas, omnem Europam perlustras, ut de horum Divorum miraculis aliorumque Sanctorum nobis judicium feras? Quæ ex omnibus Europæ regnis tot hominum & Magistratuum testimonijs, tot Scriptorum libris, tantâ orbis confessione & consensione memorantur? Lege quid Apostolica Sedes de utriusque Sancti miraculis in diplomate Canonizationis testetur. Quicquid humanâ industriâ & prudentiâ fieri potest, id in Apotheosi Sanctorum, & miraculis eorum explorandis, veráne an falsa sint, adhibetur: ideo Xaverij miracula Proregis Indiæ, & tot testium auctoritate confirmata fuerunt, præter ea quæ in Italia, Hispania, Gallia & Germania, hodiedum ejus Divi patrocinio patrantur, & si hujus etiam anni miracula expetis, roga Centurionem Principis nostri Warburgensem Geismar, quid cœlesti beneficio D. Antonij de Padua Coloniæ impetrarit, ipse tibi testimonia manifesti miraculi

raculi rescribet. Xaverij præterea miraculis fidem omnem abrogas, eò quòd ex remotis Indiarum regnis scribantur, de quibus tamen ipse S. Xaverius in omnibus suis Epistolis nullam mentionem faciat. Dignum profectò Prædicantis cerebro argumentum, quod helleboro magis quam responso indiget. Quis enim Sanctorum aliquando suámet miracula conscripsit? tot Sanctos legis miraculis illustres; ex his Gregorium Thaumaturgum, Nicolaum, Antonium, Martinum, Malachiam, Bernardum, Ludgerum aliosque innumeros: quis ex his sua ipsius miracula vulgavit? alia fuit Sanctorum modestia & humilitas, quibus unicum studium fuit sua occultare. Video equidem, si vobis Prædicantibus concessum esset, vel unum diabolum ex obsessi corpore eijcere, vel unum claudum equum sanare, continuò tota Germania vestris miraculis personaret.

Obijcit IV. *Miracula* non jam amplius necessaria sunt in Ecclesia, ergo frustra inter Notas Ecclesiæ ponuntur. Probat antecedens ex D. Gregorio Hom. 29. in Evang. *Signa*, inquit ille, *de quibus Marci c. 16. Christus, necessaria fuerunt in exordio Ecclesiæ, ut enim fides cresceret, miraculis fuit enutrienda: quia & nos cum arbusta plantamus, tam diu eis aquam affundimus, quousq; ea jam in terra convaluisse videamus; at si semel radicem fixerint, rigatio cessabit. Hinc est quod Paulus dicit: Linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus.* Confirmat ex pseudo-Carolinis libris, à quibus hoc testimonium Gregorij M. adversus miracula adducitur.

℞. Etsi *Miracula* modò necessaria non sint, ubi vera Christi fides plantata & roborata est, si tamen fiant in Ecclesia per ordinarium ejus donum à Christo promissum, Joan. 14. evidens atque efficax sunt signum veræ fidei: sicut Prophetiæ donum, etsi necessarium non sit amplius Ecclesiæ; id tamen quia soli Ecclesiæ Catholicæ proprium est, de quo Bellarm. hic cap. 15. ijsque communicatum, qui sanctitate vitæ claruerunt, signum est veræ fidei. Dicis: *Miracula*, fatente Bellarmino, non sunt necessaria ad existentiam Ecclesiæ, ergo non sunt inseparabilis Ecclesiæ Nota. ℞. negando sequelam: nimirum ridere & ratiocinari non est semper necessarium ad existentiam hominis, ergo non est ejus nota & proprietas, prorsus non sequitur.

Imò Maldonatus in c. 7. Matth. inquit: Cum totus orbis terrarum

vi *Miraculorum* pertractus sit ad Christi fidem, quod qui negant, ut disputat S. Augustinus adversus Gentiles, majus, miracula tollendo, miraculum faciunt. Incredibilius enim est miraculum, totum videlicet orbem terræ, & in eo tot philosophos, & sapientes viros paucis Apostolis & Apostolicis viris sine ullis miraculis credidisse, quàm ea miracula, quæ per ipsos facta narrantur. Quare & Deus in conversione gentium, Apostolicis viris tanto miraculorum dono adstitit. Qualia leges in Apostolicis viris per quos Germania, Belgium, Frisia, & Saxonia ad Christi fidem perducta est. Quæ miracula vel ideo vos reprobatis, quod ijs admissis etiam doctrinam eorum Apostolicorum virorum, à quâ per Lutheri hæresin recessistis, probare necesse esset; itáque tam falsò hic præstruitis, quàm perfidè creditis.

Sed nunc ad id, quod in hac tota quæstione præcipuum est, redeamus, & in vos ipsos reflectamus. *Donum* enim *Miraculorum,* & miracula ut supra assertum est, non ob aliud magis sunt à Deo data, quàm ad extraordinariam missionem, & novam doctrinam mundo testificandam: Ita Moyses cum extraordinariè missus, novam legem & doctrinam Hebræo populo ferret, miraculis illustratus. Exod. 4. *Non credent,* inquit, *mihi, neque audient vocem meam*; hinc Deus illi virtutem *Miraculorum* elargitus, ut capite illo pluribus exponitur: Idem est de alijs Prophetis extraordinariè missis ad reformandum populum. Similiter Christus & Apostoli, cùm abrogatâ lege veteri, novum Evangelium mundo promulgarent, tot *Miraculis* doctrinam suam testatam fecerunt. Jam verò cùm Lutherus novam suam doctrinam, quam Lutherani per mille annos in Ecclesia perijsse fatentur, proferret, eamque à nullo Pontifice, à nullo Archiepiscopo, aut Episcopo ordinariè missus promulgaret; & tot fidei dogmata Lutherus in Ecclesia Catholica nec credita unquam à Catholicis, nec audita introduceret, contradicentibus omnibus ubique Episcopis & doctoribus: quo miraculo unquam aut ipse, aut ejus ministri missionem suam extraordinariam novique sui Evangelij doctrinam testatam fecerunt? Tentavit quidem Lutherus dæmonem ex obsessæ puellæ corpore eijcere; tentavit & Nissenum juvenem in Albi submersum revocare in vitam: perinde ut Calvinus, eum qui se mortuum simularat, conductus ad hoc ut falso miraculo ab eo resuscitaretur; sed quo eventu tam ipse, quàm Lutherus miracula patrârint,

rint, pervulgata est scena. Risit hæc ipse Erasmus, quem toties nobis opponit Nisanius, in Diatribe de libero arbitrio. *Apostolis,* inquit, *quoniam excutiebant viperas, sanabant ægrotos, excitabant mortuos, ita demum creditum est, & vix creditum est illis paradoxa docentibus: nunc, cum juxta communem opinionem adferant paradoxotera, nullus illorum adhuc extitit, qui vel equum claudum sanare potuerit.* Et quod hic aliud judicium exspectes, quam SS. Patrum? Irenæus lib. 2. c. 36. *Hæretici neque cæcis dare possunt visum, neque surdis auditum, neque dæmones effugare, præter eos qui ab ipsis immittuntur.* Ita prorsus Tertullianus de priscis hæreticis: *Maximam eorum virtutem agnosco, quâ Apostolos in perversum æmulantur: illi de mortuis suscitabant, isti de vivis mortuos faciunt.* Imò Augustinus lib. 13. contra Faustum Manichæum, c. 5. *Miracula non facitis, quæ si faceretis, etiam ipsa in vobis caveremus per instruentem nos Dominum, & dicentem: Exurgent multi pseudo-Prophetæ, & facient signa & prodigia.* Sed non nisi ficta & falsa.

CAPVT XVIII.

Nota IX. Vocatio et conversio Gentium ad Ecclesiam.

HAc Nota & proprietate Catholicæ Ecclesiæ propiùs ad Carolum M. accedemus, quem scriptores etiam veteres quidam Apostolum Saxoniæ dixerunt. Sanè quod Saxonia primùm à Gentilium superstitione, & inani deorum cultu ad veri Numinis cognitionem atque ad Catholicam Ecclesiam traducta sit, post Deum Divosque haud alij magis, quàm Carolo M. Regum & Imperatorum sapientissimo & religiosissimo deberi agnoscunt, non modò historici, & scriptores, sed majores etiam nostri omnes grato in Carolum recolunt animo. Felix sanè tempus atque aureum sæculum, de quo cum S. Petro dixeris, epist. 1. c. 1. *Benedictus Deus, qui secundùm misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam*: Et c. 2. *Qui de tenebris nos vocavit*

cavit in admirabile lumen ſuum. Lumen ſcilicet, quod *ad revelationem gentium* promiſſum erat Chriſto. Hæc deinde Gentium vocatio & converſio ſignum eſt novæ ac veræ Eccleſiæ Chriſti, quâ non ſolùm à Synagoga, ſed & ab omni etiam hæreticorum congregatione diſcerneretur.

Illa enim eſt vera Chriſti Eccleſia, ad quam à tempore Chriſti & Apoſtolorum per Apoſtolicos viros facta eſt toto orbe Gentium *Converſio*;

Atqui hæc facta eſt ad Catholicam Eccleſiam:

Ergò illa eſt vera Chriſti Eccleſia.

Major Propoſitio ex Scripturis clariſſima eſt: Geneſis 49. de Meſſiâ & Chriſto: *Ipſe erit exſpectatio Gentium.* Iſaiæ cap. 54. v. 3. *Semen tuum Gentes hæreditabit.* Et c. 11. v. 10. *Ipſum Gentes deprecabuntur.* Rurſum c. 60. v. 11. *Aperientur portæ tuæ jugiter, die ac nocte non claudentur: ut afferatur ad te fortitudo Gentium.* Cap. 66. v. 20. *Adducent omnes fratres veſtros de cunctis Gentibus donum Domino.* Hæc una omnium Prophetarum vox, uti vel Paulus Apoſtolus ad Roman. c. 15. adductis eorum teſtimonijs confirmat: Matth. 8. v. 11. *Multi ab Oriente, & Occidente venient.* Cap. 24. v. 14. *Prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo orbe, in teſtimonium omnibus Gentibus.* Actor. 13. v. 46. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.* Matth. 28. v. 19. *Euntes ergo docete omnes Gentes.*

Minor haud minus evidens: quando per Apoſtolos, per Chriſti & Apoſtolorum diſcipulos, per Apoſtolicos exinde viros, Evangelium toto orbe diſſeminatum, ut ob id Eccleſia Chriſti Catholica ſit dicta, quòd per omnes orbis gentes diffunderetur, ut ſuprà Patrum teſtimonijs relatum eſt, etiam inter ſæviſſimas Tyrannorum perſecutiones. Poſtquam verò Conſtantino M. publica per imperium Romanum Chriſtianæ Religioni libertas data eſt, ab anno Chriſti 300. plenum, ut ſuprà diximus, hunc *Converſionis Gentium* conſecuta eſt ſtatum Eccleſia Catholica. Inde per ſingula ſæcula ad noſtram uſque ætatem, aliæ atq; aliæ Gentilium novarumque provinciarum ac regnorum ad Chriſti fidem converſio. Nihil hic de Treviri, Tungris, Coloniâ & Moguntiâ attinet dicere, quæ per Apoſtolorum diſcipulos ad Chriſti fidem converti

verti ceperunt, ut vel inde ab Irenæo & Tertulliano memorentur Ecclesiæ in Germania. Satis hic esse poterat pro conversione Gentium, ad historiam Ecclesiasticam in genere vel in specie ad omnium Provinciarum & regnorum monumenta, & fastos appellare: Verùm quia Nisanius ausus est pro Lutherana sua Ecclesia, ad singula sæcula provocare, tanquam per Apostolicos viros Germania ad doctrinam suæ Lutheranæ Ecclesiæ conversa sit, (quo nihil impudentius moveri poterat) necesse habui paucis per singula ire.

Ordiamur igitur à V. sæculo: Gallia licet ab Apostolorum ævo ad Christi religionem perducta sit; pòst tamen superato Rheno à Francis barbaris occupata, primusque Francorum Rex Clodovæus à S. Vedasto Atrebatensium, ac deinde à S. Remigio Rhemensi Episcopo anno Christi 499. baptizatus, simulq; Chrismate inunctus est, accessêre mox tria Francorum millia ad baptismum, post quæ tota gens Francorum fidem suscepit. Belgium quod & à Constantino M. jam magnam partem Christi religionem susceperat, ut ex Bucherij Belgio Romano alijsque scriptoribus constat, inde sensim totum Christo partum. Quam Sancti in eo labore Episcopi D. Servatius, Eligius, Audoënus, Amandus, Audomarus, Lambertus, Remaclus, Hubertus, alijque in omnibus Episcoporum sedibus Antistites? Sub id tempus Scotia & Hibernia per Palladium & Patricium Episcopos à Cælestino Papa missos, Evangelium recepit, introductique Monachi, è quorum numero Pelagius dissolutus Monachus, hæresis post auctor fuit.

VI. Sæculo, Bavari & Heruli in Germania, & Visogothæ in Hispania ad Ecclesiam aggregati. Bojos, Pelagio Papâ, Rupertus primus Salisburgensis Episcopus ad Christum adduxit. Inde Bojorum ille Apostolus, post illum ingressus S. Emmeranus Ratisbonensium Episcopus alijque Apostolici viri.

Anglia licet jam ante sub Eleutherio XII. post S. Petrum Pontifice, Christi fidem susceperat, ut Gildas retulit, sub annum tamen 596. missus Augustinus Abbas cum alijs Sacerdotibus à Gregorio M. Britanniam integrè Christo adjunxit. Horum discipulorum operâ Saxones postea nostri Transmarini ad Christi fidem attracti, haud secus quàm antea Franci, utraque gens ab origine ex nostris hisce regionibus. Sub id tempus S. Columbanus Abbas ex Hibernia cum 12. socijs in Gallias &

Burgun-

Burgundiam digressus, demum aliquamdiu apud Moguntiam versatus, Suevorum partem, quibus tum Hassi continebantur, ab idolorum cultu ad Christum convertit, innumeris miraculis clarus. *Baronius ad annum Christi 612.*

VII. Sæculo, Alemanni fidem Christi susceperunt, Franci cumprimis Orientales, D. Kiliani Hiberni Monachi operâ, quem Cono Pontifex primùm Herbipolensem Episcopum creavit, Martyrio deinde doctrinam obsignavit. Post illum D. Corbinianus Romam profectus ad Gregorium II. Pontificem, ab eóq; remissus in Germaniam, primus Frisingensium Episcopus nominatus. Sed multo id felicius sæculum fuit Frisiæ & Hollandiæ, primæq; Saxoniæ nostræ, quando sub annum 690. ex Anglia appulere D. Willibrordus & Suibertus, ac duodecim illi Apostolici viri. Omnes hi ex Saxonum & Anglorum gente olim ex his provincijs egressi, & S. Egberto auctore in Germaniam profecti, Ultrajectum venêre, exceptíque honorificè à Pipino Heristallo Majore domus Franciæ, Caroli M. proavo, Willibrordus subinde Romam profectus à Sergio Pontifice Episcopus ordinatur. Swibertus in Angliam regressus, inde Episcopus consecratus redijt. Horum doctrinâ & labore Frisia, vicinæque regiones Christi fidem edoctæ, quos inter duo Ewaldi Sacerdotes & Martyres in Westphalia. Subsecutus hos Bonifacius ex Anglia, magnus ille Germaniæ Apostolus, primò XIII annis Frisiam excoluit. Inde in Germaniam transgressus, ac tertio Romam profectus, secundâ profectione Romæ à Gregorio II. Pontifice Episcopus consecratus. Admiranda sunt, quæ docuit, scripsit, ordinavit & gessit, tam in formanda disciplina Cleri, & populi; quàm in barbararum *Gentium conversione*, è quibus tot myriades ut Serrarius scribit, baptismo abluit. Præter Episcopatus in Bavaria ordinatos, tres ab eo novi Episcopatus instituti, Herbipoli, Erfurti & Buriaburgi: Nimirum per Franconiam, Thuringiam & Hassiam, quas provincias subversis idolis ad Christi fidem integrè adduxit; Præter Fuldense cænobium, multa alia Monachorum & Monialium ab eo condita. Demum ob merita Archiepiscopus Moguntinus abdicato munere ad Frisiam redijt, & martyrio vitam & labores gloriosè clausit; solitus quotidie ferè sacrificium Missæ offerre, quod & in vita D. Willehadi, Ludgeri, Anscharij, aliorumque Episcoporum legitur. Incredibile quantum eo Episcopo & Apostolo Germaniæ,

Christi

Christi religio effloruerit, ope cumprimis Caroli Martelli, Pipini regis & Carolomanni fratris, quos Carolus M. avum, patrem & patruum habuit. Pleraque per Monachorum subsidia, quos ad *conversionem Gentium* vocavit, peragere solitus. Bonifacium subsecutus Wulframnus Episcopus, novus Frisiæ Apostolus, clarus miraculo, dum in navi Missam celebraret, & patena calicis in mare deflueret, quæ vi divinâ è fundo reddita, haud secus, quàm securis in Jordanem prolapsa Elisæi precibus è fundo est reddita, 4. Reg 6. Longum esset percensere omnes Apostolicos viros, quos ætas illa famâ sanctitatis & miraculorum gloriâ illustres tulit, D. Willibrordum cumprimis, ac Suibertum, Principes illos in munere Apostolico viros. Plena est historia Ecclesiastica, pleni libri de rebus Sanctorum gestis.

Successit VIII. sæculum Carolo M. Rege Francorum & Imperatore longè felicissimum nobis, quo Saxonia demum post triginta trium annorum bella, effusumque multorum sacerdotum sanguinem, in Widekindi persecutione, à Carolo M. est subacta, subversa idola, clausa deorum fana, proscriptus tot legibus idolorum cultus, tot millia Paganorum, & barbarorum fonte baptismatis abluta, tot Sacerdotes & Monachi introducti, Saxoniaque in decem Episcopatus divisa, totidemque impositi Episcopi & Sacerdotum Præsides. Wiho Osnabrugi, Willehadus Bremæ, Hildegrimus frater D. Ludgeri Halberstadij, Burchardus, & post eum Hathumarus Paderbornæ, Herimbertus Mindæ, Suibertus Verdæ, Ludgerus Monasterij, Guntherus Hildesij, Heridagus Hamburgi, Albertus Schyræ, omnes viri selecti à Carolo, ob doctrinam & vitæ sanctimoniam, clarique apud posteros, præter tot Pastores, Sacerdotes, Clericos, & Monachos, qui in hanc vineam primùm à Deo vocati operarij Episcoporum, horum labore & sudore tota Saxonia intra Rhenum, Visurgim, & Albim vivo adhuc Carolo ad Christi fidem perducta est, ultráque Albim per Holsatiam, & Transalbinam Saxoniam ad fines Daniæ prolata. At non aliam Carolus Religionem introduxit, quàm á Majoribus acceperat, non aliam docuêre Episcopi, & Sacerdotes, quàm vel in Anglia, vel in Francia, vel Germania cum lacte materno hauserant, vel in Clero & Monasterijs didicerant, uti per Apostolicam Episcoporum successionem ad eos devenerat.

IX. Sæculo, Dania, & Suecia à cultu idolorum ad Christum tra-

duci cœpit, Ludovico Pio Imperatore, idque Ebbonis Archiepiscopi Rhemensis operâ cœptum, qui illuc consilio Imperatoris, & Romani Pontificis auctoritate missus. Tum verò Heroldus Rex cum conjuge Moguntiæ baptizatus. Ebbonem consecutus D. Anscharius Corbejensis Monachus, & post à Gregorio quarto primus Bremensium & Aquilonarium regionum Archiepiscopus consecratus. Post eum cæteri Bremenses Episcopi, & multi Apostolici viri in ea *Gentium conversione* desudarunt. Fatentur Centuriatores, & cum his Nisanius, cœnobium Corbejense fuisse seminarium Episcoporum, & per eos, Monachosque ejus loci tot Slavonum, & Danorum, & Nortmannorum populos ad fidem Christi perductos. Sub id tempus Bohemi, Moravi, Bulgari Nicolao Pontifice conversi: Eò extant Nicolai Pontificis decreta ad Bulgaros. Submissi à Pontifice Paulus & Formosus Episcopi, viri sanctitate clari, cum Apostolicis viris. Expetiti per eundem Regem Bulgarorum Michaëlem à Ludovico Germaniæ Rege Episcopi: ut in Annalibus Francorum leges, ad annum Christi DCCCLXVII. eòque destinatus Ermenricus Episcopus cum Presbyteris & Diaconis. Quantus inter hos S. Methodius Moravorum Episcopus!

X. Sæculo, Norwegiæ Reges ad Christum accessêre, simulque Zelandiæ, & Scandiæ populi, adhæc Poloni & vastissimæ Slavorum regiones Christi sacris initiatæ sunt, ut te Polonorum scriptores docent.

XI. Sæculo, Vngari cum Rege suo Christi legem amplexi, cœpitque mirificè florere regnum illud D. Stephano eorum Rege, qui Pontifici coronam, & regnum obtulit. Conspicuus tum miraculis D. Gerhardus Episcopus Vngarorum Apostolus. Per id tempus Vinidi, Slavorum gens, varijque ex Borussia populi ad Ecclesiam Christi aggregati. Clarus post hæc tempora S. Adelbertus Pragensis Episcopus, multa ob duritiam gentis passus, ejectusque Vngaros docuit, post repositus Pontificis auctoritate, demum in Prussiam profectus, in Apostolico munere vitam martyrio clausit.

XII. Sæculo, Pomerani ad fidem conversi, per Ottonem Bambergensem Episcopum, qui post à Calixto II. Pontifice Pomeranorum Apostolus constitutus, jam ante à Boleslao Polonorum Duce invitatus, & priusquam discederet XV. Monasteria erexit, Episcopus multis miraculis clarus. Eo simul sæculo Livonia per Meinhardum Sigebergensem

Cano-

Canonicum, & à Bremensibus mercatoribus adductum, ad Christum conversa, adjutorem habuit Bertholdum Abbatem Lubecensem, qui & primi eorum populorum Episcopi consecrati. Accessit ordo Teutonicus è clarissima Germaniæ & Westfaliæ nobilitate in subsidium, totamque illam gentem togâ sagoque ad Christum adduxit, interque hos Bernardus Comes Lippiensis ex militiæ Præfecto Monachus in Mariæcampo, quod cœnobium Cistertiensium apud Monasterienses celebre est: Nec multo pòst Zelo convertendarum gentium in Livoniam profectus Selonensium Episcopus consecratur. *Mira res*, inquit Albertus Stadensis Abbas in Chronico suo: *Otto Trajectensis Episcopus Bernhardum patrem suum in Episcopum consecravit in Aldenseel, & postea pater cum eodem filio Gerhardum alium filium suum in Bremensem Episcopum consecravit.*

XIII. Sæculo, Jazigæ, cæterique Borussiæ populi ad Christianam fidem perducti: ut nihil interim memorem, quæ in hac Aquilonarium gentium conversione Ottones Magni, S. Henricus, alijque Cæsares, Reges, & Principes gloriosis suis bellis præstiterunt; ut colla barbarorum Christi jugo submitterent, & Christi Evangelium per extremas Germaniæ regiones proferrent. Vti hæc ex historia Ecclesiastica Baronij & singularũ gentium Annalibus, ex Helmoldo Presbytero, Arnoldo Lubecensi, Dithmaro, alijsque Septentrionalium regionum scriptoribus, actis Sanctorum, & innumeris auctorum libris asserta sunt. Sub id tempus magna Tartarorum pars edocta Christi religionem suscepit, ac sextus eorum Rex Catholicus visus, eaque vinea per diversi Ordinis Monachos excoli cæpit. Quâ super re Paulus Venetus, Raymundus & Rainaldus in hist. Ecclesiast.

XIV. Sæculo, Lituani, & Samogetiæ populi, cum Jagellone eorum Duce fidem Christi amplexi; eo quoque sæculo insulæ Canariæ, & multi Africani littoris populi ad Christi sacra accessêre. Eodem sæculo S. Vincentius Ferrerius Ordinis Prædicatorum convertit ad fidem Catholicam suprà viginti quinque millia partim Judæorum, partim Saracenorum, ut testatur D. Antoninus, ejus ætatis scriptor, 3. p. histor. Tit. 23. cap. 8.

XV. Sæculo, multa regna ad Austrum, atque amplissimæ Africæ regiones Bentonini, Guineæ, & Angolæ, Manicongi, Cephalæ, Ter-

tieræ, unà cum Congensi regno, ad Christi regnum accessère, tanquam Evangelium sensim ex Germania ob vitia & scelera, quæ per per id tempus irrepserant, in adversas orbis regiones migraret. Interim nunquam vocatio, & *conversio gentium* desijt in Ecclesia Catholica. Quemadmodum ab Isaia Propheta denuntiatum c.49. *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce levabo ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum. Et afferent filios tuos in ulnis, & filias tuas super humeros portabunt.* Et rursum c.43. *Ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te: Dicam Aquiloni: da; & Austro: noli prohibere: affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.* Planius c.60. de Christi Ecclesia: *Aperientur portæ tuæ jugiter: die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur.* Et quæ in hanc rem Prophetæ & Apostoli tam manifestè scripserunt. Non cessabit illa vocatio & conversio, *donec gentium plenitudo intret*; Imò *prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.* Matth.24. Has autem omnes gentes ad Romano-Catholicam religionem esse conversas, testantur Episcopi, Sacerdotes, Monachi, altaria, sacrificium Missæ, Sacramentorum administratio, templa, vasa sacrorum, vestes sacrificæ, Collegia Clericorum, Cœnobia, Monachorum instituta, cultus Sanctorum, oratio pro defunctis, obedientia erga Pontificem, cæteraque omnia, quæ Catholicæ Religionis sunt propria; ad eum prorsus modum, quo hodiedum à Catholicis observantur. Vt insanus sit cum Nisanio, qui ex his Apostolicis viris & populis, Lutheranum aliquem ante Lutherum, nobis obtrudere velit.

Sæculo demum XVI. cum Lutherus in Saxonia, & Germania per inauditas hæreses religionem, & hæc omnia primùm turbaret, utraque India Christi legem amplexa est, ostiumque Evangelij apertum est magnum. Quin ausus est scribere Thomas Bozius lib 4. c.8. de signis Eccles. plures hoc sæculo nationes accessisse ad Christi Ecclesiam, ac brevi plures homines Christo ex Gentibus partos, quàm Lutherus unquam, aut Calvinus, alijque ab Ecclesia abstraxerint: id uti ille exponat, apud eum, ac cæteros reperies. Ita verò cùm una natio se indignam facit regno Dei, transfertur Evangelium ad alias nationes, quæ fructus faciant dignos vocatione suâ. Quantum videlicet Rhenus & magna flumina ab

una

quæ ripa abradunt, unum alteri adijciunt. Idcircò obſervatum à ſcriptoribus, cum Orientale Imperium per ſchiſmata & multiplices hæreſes deficeret ab Eccleſia, Occidentale Imperium ſub Francorum Regibus, & Caroli M. progenitoribus, cumprimiſque ipſo Carolo M. Rege, ac Imperatore tantum acquiſivit in Occidente, quantum in Orientali Imperio ſubtractū eſt. Rurſus cum in Occidentali Imperio per Saxoniam & Aquilonares regiones, Germaniamque fides Catholica abijceretur per Lutheri hæreſes, Chriſtiana quoque religio ex orbe noſtro ad *inſulas longè*, ut inquit Iſaias c. 66. atque ad ultimas terras Deo vindice demigravit.

His de vocatione & *converſione Gentium*, & procurſu, Evangelij poſitis: Quæſtio inter nos eſt, an unquam hæ Gentes ab idolorum cultu, ad veram Chriſti Eccleſiam per ſinceram Apoſtolorum doctrinam converſæ ſint, ac modò in utraque India per Apoſtolicos viros, & tot Martyres convertantur? Lutherani, cæterique hæretici, qui à tempore Gregorij M. Antichriſti regnum introducunt, atque inde Eccleſiam defeciſſe docent, conſequenter dicere neceſſe habent, nunquam Evangelium Chriſti omnibus illis Gentibus, & nationibus ſincerè atque integrè traditum eſſe; &, ut Niſanius loquitur, non niſi per *fermentum, lutum, ſcoriam, faces, ac ſordes humanarum traditionum*, donec poſtremùm Lutherus deſertor, ac profugus cum Moniali Monachus, Evangelicæ doctrinæ reſtitutor, reſtaurator, & repurgator, uti Niſanius inquit, à Deo ſubmiſſus accederet. O ſæculi noſtri dementiam! Itáne paſſus eſt Deus tot gentes vocari, & eludi, atque à tenebris ad tenebras, à ſuperſtitione ad ſuperſtitionem, ab idolorum cultu, ad aliam idololatriam, à regno diaboli, ad regnum Antichriſti traduci? Itáne omnes Apoſtolici viri, omnes ad Lutherum Epiſcopi, in tot gentium ſedibus, omnes illi pro Evangelio ſuo Martyres, omnes Sacerdotes & Religioſi, omnes inde Cæſares, Reges, Principes, Nobiles, Populi, ac Majores noſtri, ſine vera Evangelij luce vixêre, & vitam in damnationum erroribus clauſêre? Non hîc rationibus pugnabo, ubi rationem hæreſis, judicium cæcitas, veritatem corruptor ſtylus, & ſenſus reprobus occupavit. Tantum id dico, quod Vincentius Lerinenſis ævo S. Auguſtini in hanc rem è Patrum numero ſcripſit, c. 33. *Si illa recipiantur, quæ vos hæretici dicitis, neceſſe eſt, ut fides beatorum Patrum, aut tota, aut magna ex parte*

 violetur.

violetur. Necesse quoque est, ut omnes omnium ætatum fideles, omnes Sancti, omnes Virgines, omnes Episcopi, & Sacerdotes, tanta Confessorum millia, tanti Martyrum exercitus, tanta populorum celebritas & multitudo, totus postremò jam penè terrarum orbis per Catholicam fidem Christi capiti incorporatus, tanto sæculorum tractu ignorasse, errasse, blasphemasse, nescisse quid crederent, pronuncietur.

Contrà, Catholicis justa est causa rogandi Lutheranos, quas illi à Lutheri Evangelio promulgato Gentes ad Ecclesiã converterint? Tot Catholici repræsentant Gentes, quarũ singulis sæculis facta est aggregatio ad Ecclesiam suam, idque per Apostolicos viros, nempè per Episcopos, Sacerdotes & Monachos, quemadmodum in hodiernum diem continuatur in utraque India: At per vestros Prædicantes Lutheranos, quæ unquam Gentes barbaræ ad Christum ullibi conversæ? Scio, jamdudum pro vobis respondit Tertullianus: *Hoc illis negotium non Ethnicos convertendi, sed nostros evertendi. Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si jacentibus elevationem operentur: Quoniam & ipsum opus eorum, non de suo proprio ædificio venit, sed veritatis destructione. Nostra suffodiunt, ut sua ædificent.* Idem alibi: *Apostoli, & Apostolici viri de mortuis vivos faciebant, isti de vivis mortuos faciunt:* Ita *Apostolos in perversum imitantur, qui se Apostolicos censeri volunt.*

CAPVT XIX.

Prædicantum, et Nisanii calumniæ adversus Carolum, et Apostolicos viros, per quos Saxonia ad Christi fidem traducta est.

REdeo ex priori capite de *Gentium conversione* ad Carolum M. ob hæreticorum obtrectationes & calumnias. Primò carpunt bellum Caroli contra Saxones, quod Religionem Christianam, quæ libera esse debet suscipienti, armis iniquè imperatam dicant, cum Reineccio in notis ad Poëtam Anonymum, idque Nisanius hortatu

hortatu Episcoporum factum criminatur. ℞. Bellum ut justum sit, non modò ex legitima auctoritate, & rectâ intentione, sed & justâ causâ, justoque modo geri debet. Nihil horum defuit Caroli bello. Causam, de qua hîc agitur, justam exponit Eginardus in vita Caroli: *Bellum*, inquit, *Saxonicum quod intermissum videbatur, repetitum: suberant & causa, quæ quotidie pacem conturbare poterant, termini videlicet nostri, & illorum penè ubique in plano contigui, præter pauca loca, in quibus vel sylvæ majores, vel montium juga interjecta, utrorumque agros certo limite disterminant, in quibus cædes, & rapinæ, & incendia vicissim fieri non cessabant.* Viden', ut Carolus ob injurias Saxonum bellum intulerit, non primò, sed à majoribus cæptum continuarit ob pacem, & fœdus toties violatum à perfida gente, uti Aimoinus, & Annales Francorum docent. Ideò nihil magis incusant, quàm perfidiam Gentis & sævitiam.

Vtrumne verò Pagani, quales hi Saxones fuerunt, jure debellari possint eo ipso solùm, quod idolorum cultores sint? alij Theologorum asserunt, alij negant. Certum interim ob has causas Paganis justè bellum inferri. I. Si fidem Christi impediant, vel blasphemijs, vel persecutionibus: Cajetanus, Tabiena, Sylvester Covarruvias, Armilla, S. Thomas 2.2.q.10.art.8. alijque. II. Si Christianorum subditos jam ad Christum conversos conentur avertere à Christiana Religione. III. Si Christianos offendant, aut subditos sibi metu, aut vi aut mendacijs à Christiana Religione suscipienda deterreant. IV. Si Christum verbis vel factis expressè, & directè per contumelias tractent. V. Si Apostolicos viros, & Doctores Evangelij, aut non ferant, aut persequantur: quia jus est Christianis ubique gentium prædicare Evangelium. Id jus ex Christi potestate datum est, transcenditque omnem humanam, & politicam potestatem, quemadmodum Christus dixit: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra, euntes ergò docete omnes gentes.* Matth 28. VI. Si res poscat ad tuendos, & conservandos fideles, qui jam ad Christum sunt conversi, aut Baptismum receperunt.

Omnes hæ causæ, si Francorum Annales, & totam Caroli historiam legas, locum habent in bello Saxonico, à Carolo illato. Id vel ex eo confirmatur: si quis recolat ex vita D. Willehadi, quot Sacerdotes Christianos in Frisia, & Francico solo barbarum in modum trucidarint Saxones, quas sacras Christianorum ædes Daventriæ, & trans Isalam

extra

extra Saxonum fines funditus ſubverterint, quot cœtus Chriſtianorum turbarint, injurioſè tractârint, mactârintque, uti ex vita D. Ludgeri c. 11. & 12. & vita D. Lebuini planum eſt. Quantâ deinde ſævitiâ per Haſſiam graſſati, cœnobia, & templa Chriſtianorum, & Monachorum injectis ignibus exuſſerint. Quantâ barbarie anno Chriſti 778. ferro, flammâque totum illum Rheni tractum à Cæſaris inſula, uſque ad Moſellæ, & Rheni confluentes evaſtârint; nulli ætati, vel ſexui parcendo, exuſtum templum D. Suiberti, mactati cives, trucidati ſacerdotes, conſtupratæ virgines Deo ſacratæ, omnia ſacra, profanaque peſſundata, uti id Annal. Franc. & D. Ludgerus, epiſtolâ ad Rixfridum Epiſcopum, alijque memorant. Quoties Rhenum transgreſſi ſpolijs & cædibus Francos, & Chriſtianos in ſuo ſolo divexârint, longum hic eſſet referre, ut nemo juſtas belli cauſas, niſi qui omnem fidem hiſtorijs abrogat, deſiderare poſſit in Carolo.

II. Sed fidem Chriſtianam, inquiunt, quæ libera eſſe debet, minis, legibus, & armis imperavit Saxonibus: vel, ut Niſanius, *magis armorum terrori, quàm puritati, aut efficaciæ fidei converſio Saxonum adſcribenda.* Quantus tu hîc cenſor, & cavillator, qui hæc ſcribis, quæ nullus ex priſcis hiſtoricis ante te ſcribere eſt auſus. Res ita ſe habet: Carolus rebelles ad obſequium regni Francici, ex pactis toties violatis, per arma adduxit, non ad fidem coëgit. Tunc inſpector cordium, ut hoc ſolus ex illa antiquitate nobis pandas, & fingas? Si tu vitam D. Swiberti, Willehadi, Ludgeri, Sturmionis, aliorumque Apoſtolicorum virorum legiſſes; intelligeres, quantum barbari Saxones noſtri tribuerint eorum doctrinæ, ſanctitati vitæ, & miraculis, quæ Deus per eos eſt operatus: & à vobis ridentur, qui in hoc ſupra barbaros impij eſtis. ℞. II. Juſto bello ſubactis Saxonibus, & paſſim liberè Chriſtianam religionem ſuſcipientibus, Carolus reliquos proſcriptâ idololatriâ ad unius Dei verum cultum latis legibus adſtringere potuit: quando idololatria eſt contra jus naturæ, & non ferenda, ob illatam Deo injuriam: tribuit enim creaturis cultum & honorem, qui ſoli Deo debetur. Ne quid dicam de homicidijs, & immolatis, per impia Saxonum ſacrificia, hominibus, cæteriſque nefandis, contra legem naturalem, ſceleribus. Hîc Carolus Vindicem, hîc Judicem & Aſſertorem honoris Dei ſe ferre potuit & debuit: quemadmodũ nullus Rex aut Magiſtratus in ſua Republica, idololatriam pati debet,

cùm

[illegible] potest. Quo in genere melior est causa Turcorum [illegible] deum, quàm Paganorum, qui multos deos colunt. [illegible] idola; cruenta ista innocentum sacrificia, & in[illegible] superstitionum, legesque eorum sacrilegas sustulit. Cæterum [illegible] quæ impia erant, accommodatisque ad Christianorum Fran[illegible], Carolus Saxones suis legibus uti permisit: uti id ex Saxo[illegible] Carolo præscriptis, ab Eginardo, & alijs satis assertum est. [illegible] in quibusdam hæreticis odium Pontificis, ut Genti[illegible] quàm [illegible] vocant, ferre malint. Id virus à Luthero [illegible] quam [illegible]ionibus suis Art. 34. hujusmodi evomuit: [illegible], *& Pontificij [illegible] multò pejores, & truculentiores ipsis Turcis.* [illegible] Lutherus [illegible] olâ ad nobilitatem Germaniæ, quâ super re [illegible] lib. 3 [illegible], c. [illegible]

III. Pergit Nisenus in suis delirijs & calumnijs: Carolus M. non Papisticam, sed Christianam Ecclesiam sibi præfixit ampliandam; & quod consequens, non Pontificiam doctrinam, sed Christianam introduxit in Saxoniam. At quæ tum alia Ecclesia, aut doctrina in Occidentis Imperio, quàm Christiana, & Catholica? Ipse te refellis, dum ex Lib. 1. Cap. adducis illud Caroli M. *Primò omnium admonemus, ut fides Catholica ab Episcopis, & Presbyteris [illegible]ter legatur omni populo.* Quæ alia Ecclesia, in qua Episcopi, & Presbyteri, quàm Catholica, & Pontificia fuit? Quæ alia doctrina, aut fides, quàm Apostolica, & per successionem Apostolicam tradita? Somnia nobis fingis. Admittis, *Corbejense Cœnobium ad Visurgim fuisse seminarium Episcoporum, & per eos Episcopos, ac [illegible], Sclavorum, Danorum, & Nortmannorum populos ad Christi fidem perductos.* [illegible] quæ Episcoporum, & Monachorum istorum alia fides esse potuit, quàm Catholica & Pontificia? Inter hos Monachos Caroli ævo D. Sturmio Fuldensis Abbas, cum suis Monachis ex Hassia evocatus à Carolo M. Eresburgi consedit, & Paderbornensem Diœcesin Christianæ fidei præceptis primùm imbuit. Hunc tu nobis cum omnibus Sacerdotibus, & Monachis, Lutheranum fuisse persuadebis? Apage cum istis nugis. Dicis Westfalos, & Saxones ad eam fidem traductos, quæ in Scriptura Prophetica, & Apostolica fundata, & ab Orthodoxis Patribus proposita, & propugnata fuerat: sed hæc ipsa est Catholica, Romana, & Pontificia fides; ut suprà vel ex ipsa Caroli M.

T confessio-

confessione fidei demonstratum est. *An à vobis verbum Dei processit? aut in vos solos pervenit?* 1. Corinth. 14. v. 36. & nunquam ad Majores nostros ante Lutherum? Somnia hæc vestra sunt, & imposturæ.

IV. Dicis, Episcopos, & Presbyteros à Carolo M. introductos, non vi potestatis Pontificiæ, sed vi Evangelij convertisso Saxones. Hic tu denuò phantasmata tua nobis obtrudis. Quare non virtute utriusque conversio Saxonum facta? *Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur?* Rom. 10. Certè Baronius ad annum Christi 690. fatetur, primos Sacerdotes, qui ex Anglia venêre in Frisiam, ante Willibrordum & Suibertum non ideo fecisse exspectatum fructum, quòd Pontificis auctoritate præmuniti non erant: eam ubi D. Willibrordus Romæ pro se, & socijs impetravit, admirabilis omnium fructus consecutus est. Sanè D. Egbertus auctor horum Apostolicorum virorum, constituit prius hac de causa Romam proficisci, sed postea à Deo revocatus ad disciplinam monasticam domi ordinandam, uti Beda hæc scripsit Lib. 3. & Marcelcellinus. Hinc Evangelium vestrum, quia legitimâ missione destitutum fuit, non alios tulit fructus, quàm errorum, & vitiorum, turbando simul Ecclesiam, & Rempublicam, sicut omnium hæresum Evangelium fecit.
II. Evangelium illud, quod est *virtus omni credenti*, quodque primi Episcopi, & Apostolici viri in Saxonia docuerunt, vel fuit verum Evangelium, vel falsum. Si verum, quomodò tot erroribus simul, ut dicitis Papisticis, obnoxium fuit? quomodo tot sordes & fæces, quomodo tantùm superstitionis & idololatriæ simul invectum fuit? donec à Luthero, si dijs placet, repurgata est Ecclesia, purumque Evangelium denuò est introductũ. Si falsum fuit Evangeliũ quod primi Episcopi, & Apostolici viri unà cum Carolo introduxerunt: Quare Caroli bellum, quod pro Evangelio illo contra barbaros Saxones gessit, tot prodigijs, & cælestibus beneficijs adjutum, & illustratum, de quibus suprà relatum est. Quibus deinde signis & virtutibus, quibus miraculis Deus testatus sit hanc Evangelij doctrinam, *Gentium conversionem*, & labores horum primorum Episcoporum, disces ex vita DD. Willibrordi, Suiberti, Willehadi, Ludgeri, aliorumque Apostolicorum virorum. Sed hæc ludibria vobis sunt, quia Evangelium vestrum nullo unquam miraculo obsignatum fuisse comprobare potestis. Nos ad Scripturam, nos ad Patrum testimonia, nos ad *conversiones* omnium *Gentium*, quæ innumeris mira-

raculis

raculis comprobatæ sunt, provocamus: fieri enim non potuit, ut falsam doctrinam, falsumque Evangelium Deus tot miraculis confirmaret. Quâ super re lege Bellarminum, Thomam Bozium, aliosque de signis Ecclesiæ: confer deinde vitam primorum Episcoporum à Carolo M. impositorum, per quos Saxoniam convertit: confer omnium Apostolicorum virorum, & Sanctorum in hoc opere Monachorum institutum vitæ, & sanctimoniam cum Luthero, & apostatis Sacerdotibus, & Monachis, per quos Saxonia novum illud Evangelium accepit: expende primorum Christianorum, & Majorum pietatem, religionem, & liberalitatem in erigendis Ecclesijs, dotandis Sacerdotibus, & altaribus, condendis Collegijs Clericorum, & Cœnobijs Monachorum, Virginumque Religiosarum, quæ vos evertitis, aut in profanos usus convertitis. Aut tum mundus insanijt, aut pòst Lutherus cum suis insanire cœpit. Hæc illa Majorum nostrorum Religio, & pietas à Carolo M. in Westfalia, & Saxonia, quæ Francorum olim fuit, quando ex his Westfaliæ regionibus, Rhenum transgressi Gallias occuparunt, & cum Clodoveo Rege, Christi fidem susceperunt. Hæc illa religio, & pietas Transmarinorum Saxonum, postquam subactâ Britanniâ Christi sacra amplexi sunt, quos exinde unà cum Francis omnium Christianorum ferventissimos, & omnium Gentium religiosissimos commendant historici & scriptores: quippe columnæ & defensores Ecclesiæ Catholicæ. Hi fructus, hæc vis, hæc efficacia Evangelij Catholici fuit. Postremùm dicitis, omnes hosce Francos & Saxones nunquam verum, sed falsum Evangelium in Papatu recepisse. Quæritur ergò apud quos interim à Clodoveo, ad Carolum M. à Gregorio M. ad Hadrianum Papam, atque inde ad Carolum V. & ad Lutherum, per mille annos verum, purumque Evangelium fuerit? Hîc aut perijsse è mundo verum, & incorruptum Evangelium fateri necesse est, (quod tamen nec ipsi audetis dicere) aut certè penès *latentem* illam paucorum justorum *Ecclesiam* remansisse. Sed hæc *occulta Ecclesia*, figmentum vestrum est, nec ullibi, nisi in Vtopia, & cerebro Prædicantum reperitur. Hîc enim per mille illos annos nominare oportet provinciam aliquam, oppidum, pagum, hîc *Prædicantem* aut Ludimagistrum saltem proferre, qui Lutheranum illud Evangelium docuerit: nec enim Evangelij prædicatio in aëre pendet, sed Sacerdotes requirit, ex quorum ore Lex & doctrina Evangelica requirenda est.

Rurſum demus vobis illam *latentem Eccleſiam:* adhuc quæſtio reſtat, an cultores illius *latentis Eccleſiæ* Lutherani, an Calviniani, an Zwingliani, an Puritani, an alterius ſectæ fuerint? Ecce quibus te laqueis induis! Verè de vobis Apoſtolus 1. ad Timoth. c. 1. ſcripſit: *Non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.*

V. Calumniatur Niſanius & dicit: *Non omnes Epiſcopi & Apoſtolici viri, à quibus tempore Caroli M. aut etiam tempore Caroli Martelli, ac Pipini Regis Friſia, Haſſia, Thuringia, Saxonia ad Chriſti fidem eſt converſa, fuerunt miſſi à Pontifice Romano.* ℞. Omnes vel immediatè, vel mediatè à Romano Pontifice miſſi fuerunt; nec Caroli M. ſed Pontificis auctoritate, & communicatâ poteſtate ſacra regendi, aut docendi munus geſſêre. Id tametſi in ſecundo libro planius dicturi ſimus, nunc paucis oſtendam in Carolo: Habuit enim in hanc rem Carolus ſapientiſſimus Rex & Imperator religioſiſſimus, legatos Pontificios apud ſe, tum Archiepiſcopos, & Epiſcopos in aula, & in caſtris. Inter legatos Pontificios memoratur Paulinus Aquilegienſis Epiſcopus lib. 1. Capitularium, ad annum Chriſti DCCLXXIX. in hæc verba: *Tempore Hadriani Papæ, & Karoli M. Imperatoris, quando Paulinus Epiſcopus tenuit vices Apoſtolicæ Sedis, in Aquis fuit.* Hîc ille Paulinus, cui Benedictus Levita ob id attribuit in præf. ad lib. 5. Capitularium, Eccleſiaſtica decreta Synodorum, ac morum. Habuit præterea Carolus M. apud ſe in aula primò Angilramum Metenſem, ac deinde Hildebaldum Colonienſem Archiepiſcopum ex Apoſtolica auctoritate, ut id conſtat ex canone LX. Concilij Francofurtenſis. Recito Synodi verba: *Dixit etiam Dominus Rex in eadem Synodo, ſe à Sede Apoſtolica, id eſt ab Hadriano Pontifice, licentiam habuiſſe, uti Angilramum Archiepiſcopum in ſuo palatio aſſiduè habuerat, ita etiam Hildebaldum Epiſcopum habere debuiſſet: quia de eodem, ſicut & de Angilramo Apoſtolicam licentiam haberet. Omnis Synodus conſenſit, & placuit eis eum in palatio eſſe debere, propter utilitates Eccleſiaſticas.* Viden' ut Carolus M. Apoſtolicâ Pontificum auctoritate habuerit apud ſe Epiſcopos, & Legatos Apoſtolicos ad moderandas res ſacras, quas ſatis intelligebat non eſſe regiæ, & politicæ poteſtatis ordinare in Eccleſia. Quam in rem addidit Concilium Francofurtenſe Carolo Alcuinum Abbatem. Ita enim ultimo Canone: *Commonuit etiam, ut Alcuinum ipſa Synodus in ſuo conſortio, ſive in orationibus recipere di-*

gnaretur

gnaretur, eò quòd esset vir in Ecclesiasticis doctrinis eruditus. Omnis namq; Synodus secundùm admonitionem Domini Regis consensit. Ecce quantæ observantiæ Carolus in Sedem Apostolicam & Episcopos? sciebat nimirum illud Apostoli in Actis Apost. c.20. *Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

Præclarum, & regiâ liberalitate dignum opus, fundatio tot Episcopatuum per Saxoniam, & Episcoporum impositio; sed nec illud sine auctoritate Apostolicæ Sedis factum. Ita enim ipse Carolus in diplomate Bremensi: *Omnem terram eorum, antiquo Romanorum more, in provinciam redigentes, & inter Episcopos certo limite disterminantes, Christo, & Apostolorum suorum Principi Petro, pro gratiarum actione obtulimus.* Et mox: *Adhæc etiam summi Pontificis, & universalis Papæ Hadriani præcepto, nec non & Moguntiacensis Episcopi Lullonis, omniumque qui adfuêre Pontificum consilio, eandem Bremensem Ecclesiam cum omnibus suis appendicijs VVillihado probabilis vitæ viro, coram Deo & Sanctis ejus commisimus.* Ad hunc modum legis in Verdensis Ecclesiæ diplomate Carolino, interque cætera subjungit Carolus: *Terminos autem ejus firmos, inconvulsos, & per omne sæculum incommutabiles Apostolicâ auctoritate, & nostræ regiæ majestatis præcepto circumscribi præcepimus.* Hîc denuò Apostolicam auctoritatem legis: ut jam Episcoporum impositionem, & Episcopatuum fundationem, Apostolicâ auctoritate assertam habeamus.

Hîc non modò Caroli M. sed omnium Francorum Regum, ac Principum mos, Ecclesiastica per Episcopos, & Apostolicos Legatos ordinare. Quam in rem habuêre Apocrisiarios suos in aula, Cognitores, & Judices rerum sacrarum, tum Episcoporum Synodos, ad ordinandas res Ecclesiæ, adferendas leges sacras, ad statuenda decreta morum. Quemadmodum id inter cæteros præclarè docet Hincmarus Archiepiscopus Remensis epistola 3. ad Episcopos Franciæ, ac cæteris illis epistolis. Quâ aliâ potestate D. Bonifacius magnus ille Germaniæ Apostolus, tam mira egit in Germania, Thuringia, & Hassia? quàm Legati Pontificis, tempore Caroli Martelli, Pipini Regis, & Carolomanni in reparanda Ecclesiæ disciplina, in constituendis novis Episcopatibus, & Episcopis imponendis, in convocandis Synodis, & ferendis Legibus sacris. Hinc Synodi Ratisbonensis, seu Augustanæ hæc inscriptio: *Incipit*

cipit Synodus cum actibus suis jussione Apostolicâ à S. Bonifacio, & Francorum Episcopis sub Carolomanno habita. Lib. 5. Capitularium, c. 2. rursum c. 3. *Item altera Synodus à supradictis Episcopis ac Principe, Apostolicâ auctoritate Kal. Martij ad Liptinas.* Innumera sunt, quæ in hanc rem adferri possent. Hæc te legere primùm oportebat, quàm tam falsa scribere, qui Historicum te & Theologum jactas. Docetis populum pro Episcopi munere, scribitis libros, provocatis Catholicos, & elementa historiæ, & Ecclesiasticæ ordinationis non capitis. Quid jam à vulgo Prædicantum exspectabimus, quorum tu rector & ductor esse vis?

Hinc jam nihil magis demirari subit, quàm audere hæreticos nostrorum temporum conditos per Saxoniam Episcopatus, impositos Episcopos, decreta fidei, & morum, cæteraque, quæ Apostolicæ sedis, aut Episcoporum sunt propria ex ordinatione divinâ, referre ad regiam, aut politicam Principum ac Magistratus auctoritatem, tanquam Ecclesia Catholica demum formanda, ac regenda ad normam Augustanæ Confessionis, quæ auctoritate septem politicorum Principum, & duarum civitatum Norimbergæ, & Reutlingæ, regulam fidei, ac morum, sine ullius Episcopi, aut Sacerdotis subscripto testimonio præscribit. Potestne quicquam absurdiùs fingi in Ecclesia? Multi inter vos multa scribunt, censent, judicant,, de Caroli M. Legibus, de Episcopis ab eo impositis, de Ordinatione Ecclesiæ per Saxoniam, qui ne principia quidem Catholicæ Ecclesiæ cognita habent. *Non oportet certè quærere apud hostes Ecclesiæ veritatem, quam facile est apud Ecclesiam sumere,* inquit Irenæus, lib. 3 c. 4. Quæ speciem aliquam habent faventis stultitiæ vestræ, ea exaggeratis, quæ manifestè Catholicam veritatem proponunt, ea omittitis, aut torquetis ad reprobum vestrum sensum. Accedit, quòd successio Apostolica Episcoporum consistat in potestate Ordinis & jurisdictionis sacræ. Neutrum Rex, aut Princeps politicus dare potest Episcopis: ideò nec Episcopus inter vos Lutheranus unquam fuit. Sapientior Carolus M. quàm, ut hæc sibi vendicaret, plus in eo scientiæ rerum sacrarum, & sapientiæ fuit, quàm in omnibus hæresium vestrarum scriptoribus & Doctoribus.

VI. Nullum inter omnes Episcopos, & Apostolicos viros ita insectatur, criminaturque Nifanius, quàm D. Bonifacium. ita enim scribit: *Quod attinet Bonifacium, habuit is quidem zelum propagandi doctrinam Catholicam*

Catholicam, ſed non ſecundùm ſcientiam. Hoc primum tuum judicium eſt de tanto viro, & Apoſtolo Germaniæ, Legato trium Pontificum de Moguntino Archiepiſcopo ſanctiſſimo, de caſtiſſimo Epiſcopo, & Sacerdote, tot Epiſcopatuum & Cœnobiorum conditore; de tot Apoſtolicorum virorum Magiſtro & nutritore; de tot gentium Doctore; qui per quinquaginta, aut ut Marcellinus 70. annos in vinea Chriſti laboravit, & tot millia barbararum Gentium in Friſia, Haſſia, Thuringia & Germania, ad Baptiſmum & Fidem Chriſti perduxit, donec poſtremùm abdicato Archiepiſcopatu Moguntino, Friſiam repeteret, & glorioſo martyrio labores Evangelicos anno ætatis 82. ſenex clauderet. Hoc inquam tuum judicium de tanto viro. Et quis tu es? ut poſt octingentos annos natus, contra omnium, qui cum Bonifacio vixêre, judicium hoc judices? Theologiæ *Licentiatum* te inſcribis, in quo ego nihil ſolidæ doctrinæ, nihil præter calumniandi *licentiam* agnoſco. Si Theologos Catholicos conſulas, ex prolegomenis Theologiæ, negant illi hæreticum poſſe eſſe Theologum. Sanè qui tua legit, nihil præter obſoleta, trita, plebeja, fallacia, & mendaciorum plena reperit, quæ per rapſodiam & calumniandi libidinem exſcribendo, nec capis, nec digeris. In Calviniſtis ſcriptoribus plus judicij, acuminis, & doctrinæ ad ſpeciem aliquam hæreſis ſuæ, in te omnia craſſa, confuſa, inſulſa, turbida & tumultuaria. Omnis ſapientia tua eſt, *non poſſe tacere:* quod de antiquis hæreticis ſcripſit Auguſtinus lib. 5. de civit. Dei, c. 27. quodque cum mulierculis commune habes.

Sed nunc audiamus, quid Doctor ille Bilfeldienſis adverſus Bonifacium, magnum Germaniæ Doctorem proferat. Primò inquit: *Bonifacius multas quidem gentes ab idolorum cultu, ad Chriſti fidem perduxit, verùm progreſſu temporis cognitum eſt, eum omni ſuâ prædicatione nihil aliud quæſiviſſe, quàm obedientiam ergà Romanam Sedem, & immodicum ſtudium evehendi Pontificis potentiam.* At quomodò tibi conſtat de illa Bonifacij mente, & conſilio? Fuiſtine Bonifacio à conſilijs, & ſecretis conſcientiæ, ut tam arcana nobis pandas? Quare non lucrum animarum, hominum ſalus, Eccleſiæ propagatio, & major Dei gloria illi propoſita? ad quos fines Pontificis auctoritatem, & obedientiam illi factam, tanquam medium à Deo ordinatum delêgit. *At Pontifici,* inquis, *juramentum fidei fecit Bonifacius,* ſedis Apoſtolicæ venerationem, Sedium

Epiſcopa-

Episcopalium, & Monasteriorum confirmationem quæsivit: Imò tum hoc fecit, quod omnes Catholicæ Ecclesiæ filij faciunt, & sola hæresis non facit. Nam quæ conjunctio cum Romana & Apostolica Ecclesia esse debeat, suprà satis audivisti, & Caroli M. & Francorum Regum exemplo satis cognoscere poteras.

II. Dicis. *Bonifacij doctrina fuit ut Pontificis auctoritatem extolleret, quod Reliquiarum venerationem, cultum Sanctorum, & orationem pro mortuis propagaret, hinc contradixisse illi Galliæ, Scotiaque Episcopos.* Quantus hîc denuò impostor es cum impostoribus! enimverò, quinam illi Episcopi, qui Bonifacio contradixerunt? Duos tantummodò recitas, Adelbertum Gallum, & Claudium Clementem Scotum: at illi hæretici fuêre, fratres tui. Id non tam Othloni, à quo vita ejus conscripta, sed ipsius Bonifacij testimonio manifestum est. Ita enim Bonifacius epistolâ ad Zachariam Pontificem: *Notum sit Paternitati vestræ, quia, postquam indigno mihi mandastis in provincia Francorum, sicut & ipsi rogaverunt, sacerdotali Concilio, & Synodali conventui praeesse, multas injurias & persecutiones passus sum, maximè à falsis Sacerdotibus, ab adulteratis Presbyteris, seu Diaconibus, & fornicarijs Clericis. Maximus tamen mihi labor fuit contra duos hæreticos pessimos, & publicos, & blasphemos contra Deum, & contra Catholicam fidem: Vnus qui dicitur Adelbertus, natione generis Gallus, alter qui dicitur Clemens genere Scotus, specie erroris diversi, sed pondere peccatorum pares.* Contra hos Bonifacius implorat Pontificis auctoritatem & auxilium. Deinde scelera Adelberti in hæc verba exponit Pontifici: *In primæva ætate hypocrita fuit; dicit quòd sibi Angelus Domini in specie hominis, de extremis finibus mundi, miræ & tamen incertæ sanctitatis reliquias attulisset, & exinde potuisset omnia, quæcunque posceret, à Deo impetrare; & tunc demum per illam simulationem, sicut Apostolus Paulus prædixit, penetravit multorum domos, & captivas duxit post se mulierculas oneratas peccatis, & multitudinem rusticorum dicentium, quòd ipse esset vir Apostolicæ sanctitatis, & signa, & prodigia multa fecisset. Deinde conduxit Episcopos indoctos, qui se contra præcepta Canonum absolutè ordinarunt. Tum demum in tantam superbiam elatus est, ut se æquipararet Apostolis Christi, & dedignabatur in alicujus honore Apostolorum, vel Martyrum Ecclesiam consecrare. Postea in proprio honore suo dedicavit Oratoria, velut veriùs dicam, sordidavit,*

fecit

fecit cruciculas & oratoriola in campis, & ad fontes, & ubicunque sibi visum fuit, & jussit ibi publicas orationes celebrare, donec multitudines populorum, spretis cæteris Episcopis, & dimissis antiquis Ecclesijs, in talibus locis conventus celebrabant dicentes: Merita sancti Adalberti adjuvabunt nos. Vngulas præterea suas, & capillos dedit ad honorandum, & portandum cum reliquijs S. Petri Principis Apostolorum. Demum quod maximum scelus, & blasphemia contra Deum esse videbatur, fecit: Venienti enim populo, & prostrato ante pedes ejus, & cupienti confiteri peccata sua, dixit: scio omnia peccata vestra, non est opus confiteri, sed dimissa sunt peccata vestra præterita, securi revertimini ad domos vestras cum pace.

Alter autem hæreticus qui dicitur Clemens, contra Catholicam fidem contendit, Canones Ecclesiarum Christi abnegat, & refutat tractatus & intellectus Sanctorum Patrum, Hieronymum, Augustinum, Gregorium recusat, Synodalia jura spernens, proprio sensu affirmat, se, post duos filios sibi in adulterio natos, sub nomine Episcopi posse esse legis Christianæ Episcopum. Et quæ præterea hujus commatis flagitia recenset de hoc monstro Bonifacius.

Horum seductorum causam, etsi jam damnata esset in Concilio Episcoporum Germanorum, & Gallorum, remisit tamen Bonifacius ad Zachariam Pontificem, misso in hanc rem Deneardo Presbytero legato. Pontifex illicò convocato Romæ Episcoporum, & Sacerdotum Concilio, triplici Sessione utrumque damnavit, uti hæc pluribus exponit Othlonus lib. 2. Serrarius lib. 3. in vit. Bonif. Baronius, & alij. Addita scelerata Adelberti oratio, ex confictis Angelorum nominibus.

Vide jam Nisani, quàm falsò Bonifacij doctrinam ab Adelberto & Clemente & Galliæ Episcopis sentias esse damnatam: quando hi ipsi duo Pseudoepiscopi primùm in Concilio Episcoporum Germanorum, uti cap. 44. in vita Bonif. refertur, deinde Romæ in Concilio Episcoporum damnati sunt, & ad carceres proscripti. Ede nunc cæteros Episcopos, à quibus affirmas doctrinam Bonifacij damnatam. Imò, recense potius Synodos ab ipso Bonifacio pro Legati Apostolici munere, Carolomanno cumprimis Caroli M. patruo, & Pipino Caroli M. patre adjuvantibus, ad disciplinam Ecclesiasticam per Germaniam, & Belgium restaurandam, celebratas; quarum decreta cæteri postea Episcopi, & Carolus M. inter sua decreta & leges recepit, ut toties in Synodorum actis reperies.

ries. Quâ nunc fronte audes Nifani his fallacijs circumducere plebem, & nobis tam falsa, pro veris obtrudere in publicis scriptis tuis? nisi quia *frontem hæreticorum non esse frontem*, dixit Augustinus?

III. Dicis, Doctrinam Bonifacij esse reprobatam in *Concilio Augustæ in Vindelicis* coacto: *Ibi enim apertè*, ut inquis, *ostenderunt voce & scriptis Episcopi se à Bonifacio dissentire.* Nihil denuò impudentiùs, nihil falsiùs scribere poteras. Quæso te, quod hic Concilium appellas, à quo hoc factum sit? Tria Concilia quæ Germanica vocantur, à Bonifacio habita sunt. Primum Augustæ Vindelicorum, seu Ratisbonæ ad Danubium, ut Serrarius docet, celebratum est anno Christi 742. auctoritate S. Bonifacij Apostolicæ Sedis Legati, tempore Zachariæ Papæ, sub Carolomanno Majore domus, & Caroli M. patruo. Præclari in eo Canones constituti Episcoporum consensu, extantque in actis Concil. General. quos si Lutherani reciperent, ut tum tota Germania recepit, & post etiam Carolus M. servari jussit, hæretici non essent. Alterum Germanicum Concilium anno 742. congregatum est Liphtinæ seu Liptinæ, unde Liptinense dicitur in Gallia Belgica, haud procul Valencenis, (de quo Sirmundus in notis ad Concilium) idque auctoritate rursum S. Bonifacij Apostolicæ Sedis Legati, sub Carolomanno est habitum, in quo prioris Concilij Canones confirmati, & alij quidam additi ad Cleri populique disciplinam. Tertium Concilium Germanicum anno Christi 745. est celebratum, & ut Serrarius censet, Moguntiæ, auctoritate S. Bonifacij Romanæ Sedis Legati, tempore Zachariæ Papæ, in quo Adelbertus, & Clemens hæretici, de quibus supra relatum est, damnati sunt, & Gervilio Moguntinus Episcopus ob crimen homicidij exauctoratus, atque ipse Bonifacius factus est primus Archiepiscopus Moguntinus.

In quo nunc Concilio Nifani dissenserunt Episcopi voce & scriptis à Bonifacio? nullam hujus rei querelam, nullam ullius Episcopi oppositionem lego in his Conciliorum actis. Contrà Episcopi D. Bonifacium Apostolicæ Sedis Legatum, ut Præsulem suum coluerunt; imò ab eo tanquam ab oraculo verba & decreta acceperunt, nec aliter Carolomannus, Pipinus Rex, & Carolus M. Bonifacium venerati sunt. Vnde nunc tibi illa scribendi & calumniandi audacia, nisi ex malesano Prædicãtum cerebro? Multos haud dubiè adversarios habuit Bonifacius ex improbæ

probæ vitæ sacerdotibus, dum collapsam Cleri, populique disciplinam restauraret, ut ipse cum Pontifice queritur. Sed in his summa Bonifacij constantia, sanctitas, & gloria eminuit. Criminaris præterea Pipinum à Bonifacio inunctum esse Regem Francorum. Sed quâ auctoritate, quâ justitiæ causâ id factum sit, exponunt Francici scriptores, neque hic locus est eam rem disceptandi. Scimus, quæ hæreticorũ, ad quos nos remittis, hîc malevola censura sit, ad Pontificis auctoritatem labefactandam: sed ea quæ hîc adferunt, jam à centum scriptoribus Catholicis refutata sunt.

IV. Vt omne demum hæreticum virus uno verbo eijcias, scribis *D. Bonifacium esse ementitum Germaniæ Apostolum & Dromionem*, cum Magdeburgensibus. Hoc tuum judicium est contra orbis Catholici judicium, quo te impudentissimum, & falsissimum Prædicantem hæresis tuæ denuò prodis. Haud sum nescius, qui ante te, ex hæresi hujus sæculi cum Philippo Melanchthone, Gomaro, Centuriatoribus Magdeburgensibus, Plessio, Spangebergio, alijsque Bonifacium scriptis & calumnijs insectati sint: Sed te primùm legere oportebat notationem LIII. Serrarij viri doctissimi, quâ exponit, & quærit, an Bonifacius Germaniæ Apostolus appellari possit? Deinde legere te oportebat Pontificum, Sanctorum virorum, & scriptorum testimonia, & elogia, quibus D. Bonifacium exornant, ea notatione LVII. reperies apud Serrarium: Quos inter reperies tuæ sectæ viros, multò æquius de S. Bonifacio judicasse. Quibus accedunt Carolus Martellus Caroli M. avus, Pipinus Rex, & pater Caroli M. Carolomannus patruus, qui Bonifacium haud aliter, quàm virum è cælo submissum exceperunt, juveruntque ad formandam Cleri & populi disciplinam. Nec aliter Carolus M. veneratus est mortuum, sanctissimasque leges Conciliorum, ab eo præscriptas confirmavit, & inter leges suas retulit, ut passim in Synodis & Capitularibus Caroli leges: si statuta cumprimis Concilij Germaniæ & Liptinensis, Tom. 6. Concil. postremæ editionis Parisiensis, conferas cum Capitularibus Caroli M. Inde mihi judicium Caroli M. de Bonifacio, supra omnia hæreticorum esse debet: uti judicium Carolomanni patrui, & Pipini Regis, ac patris. Accedit D. Ludgerus Episcopus, à quo D. Bonifacij labores pro Ecclesia, res mirificè gestæ, & vita Apostolica conscripta est, quæ satis esse debet adversus omnes hæreticorum calumnias. Is *virum à Deo electum,*

castum sacerdotem, & sanctum Episcopum, ac Martyrem ubique appellat, *cujus famâ sapientiæ & sanctitatis totum Franciæ regnum dum viveret, repletum sit*, & si hæc deessent, satis discipuli, quos reliquit viros sanctissimos, testantur magistrum suum virum sanctissimum fuisse; nec aliter orbis Catholicus ante Lutherum de Bonifacio judicavit, quem posteri exinde coluerunt inter Sanctos, dictis, factis, scriptis & miraculis clarum.

Quò mihi mirum est, posse nunc eò insaniam hominum progredi, ut qui sæculo nostro inter hæreticos vivunt hirci libidinis, ab his castissimos illos, & sanctissimos Episcopos, tot calumnijs traduci apud plebem. Quod si Lutheri ævo, Bonifacius cum omnibus Episcopis redijsset in vitam, quid dicturum fuisse opinamur, qui in primo Concilio Germanico Augustæ Vindelicorum habito, ad quod appellas, Can. VI. ita sanxit: *Statuimus similiter, ut quisquis servorum Dei, vel Ancillarum Christi in crimen fornicationis lapsus fuerit, in carcere pœnitentiam faciat in pane & aqua. Si autem Clericus, vel Monachus in hoc peccatum inciderit, post tertiam verberationem in carcerem missus vertente anno ibi pœnitentiam agat.* Quale obsecro de Luthero judicium protulissent, si vidissent Monachum cum Moniali publicum, & sacrilegum matrimonium contrahere, & per inauditam doctrinam omnibus Monachis, & Monialibus hanc sacrilegæ vitæ libertatem facere? Non mirum provocare te ad Adelbertum Gallum, & Clementem Scotum hæreticos à Bonifacio damnatos, quos Lutheri, & Lutheranæ doctrinæ patronos habes. Nobis cum Bonifacio, & sanctis illis Episcopis stare placet. Postremò Bonifacium carpis, quod scripserit Carolum M. *longâ torsione, & verendâ morte obijsse.* Quantum hîc inscitiam tuam in historia prodis, scripsit id Bonifacius ad Ethibaldum, Merciorum in Anglia Regem, non de Carolo M. sed de Carolo Martello, Caroli M. avo. Et quæso te, quomodo id Bonifacius de Carolo M. scribere potuit, cum Bonifacius anno Christi 755. obierit; Carolus M. verò anno 814. excesserit è vita, & jam ante Carolum Bonifacius anno Christi 755. martyrio affectus sit, ut nihil illi de Caroli M. obitu constare potuerit, qui ne Carolum quidem Regem vidit, licet baptizatum quidam Carolum velint à Bonifacio: quâ super re Serrarius. Frustra igitur in hanc rem tam multa congeris, ut Bonifacium errare probes, nisi ut tuum crassum errorem palàm facias, qui te Theologum & historicum venditas. Cæterum quod ad Caroli Martelli mortem attinet, lege Baronium aliosq; scriptores. VI.

VI. Criminaris S. Kilianum, Suibertum, & Columbanum, aliosq; ex ætate illa Apostolicos viros: Kilianum dicis ideò ex Anglia primùm Romam profectum ad Pontificem, non ut potestatem docendi inter barbaras Franconiæ gentes impetraret, sed ne Pelagianæ hæresis, quæ in Anglia, ex qua venerat, serpebat, suspectus haberetur. Manifesta rursum calumnia: Vnde enim hoc tibi constat, nisi ex figmentis hæreticorum, ut tam audacter hæc scribas? profer vel unum testem qui hoc de Kiliano referat. D. Suibertum sine Pontificis auctoritate scribis docuisse Westphalos, & Saxones Evangelium, eò quòd in Anglia ordinatus Episcopus, statim redux auspicatus sit munus Apostolicum, secùs quàm Willibrordus, qui Romam profectus id à Sergio Papa impetrarit: at satis erat Willibrordum id pro se, & socijs suis impetrasse, nec enim opus erat, duodecim illos Apostolicos viros simul Romam proficisci, quod per unum, ac ducem suum fieri poterat. Columbanum similiter introducis, quod sine Pontificis auctoritate munus Apostolicum aggressus sit: At ille non ad docendas barbaras gentes, sed Monasticum vitæ institutum in Gallias proferendum venit. Hinc impetrato loco monasterium condendi, viginti annis Eremiticam vitam coluit, ut Jonas ejus vitæ scriptor refert. Eadem S. Galli cum XII. socijs causa, qui Monasticam vitam professus. Si quos ab idolorum cultu converterunt ad Christianam Religionem, id vicinorum Episcoporum facultate fieri poterat, qui Monachorum operam, ad convertendas gentes implorarunt: quemadmodum Saxones, Sclavi, & Dani magnam partem à Corbejensibus ad Visurgim Monachis ad Christi fidem adducti sunt: Inde in præmium laboris, illis tota Rugia insula cessit. Omnia semper ordinatè in Ecclesia sunt gesta, ex Episcoporum vicinorum potestate, & moderatione. Nec unquam apud Catholicos illa anarchia & ataxia fuit, quam hæresis vestra primùm induxit.

VII. Calumniatur Nisanius, Apostolicos nostrorum temporum viros, & Sacerdotes, quos non tam lucri animarum causâ, quàm auri, & opum cupidine in remotissima Indiarum regna proficisci scribit. Itáne tu sutorum & textorum *Prædicans*, & Religiosorum censor, alter nobis *Diogenes Cynicus* es natus, ut omnium mortalium facta carpas? Itáne de his Apostolicis viris judicas, qui per summam rerum humanarum contemptionem, maria navigant, Indias petunt, ad extremos labores, ad

 quotidia-

quotidiana vitæ pericula, & in ipſam denique mortem per martyria ſe offerunt? Sed Acoſta, inquit, memorat, *Hiſpanos mercatores, quos inter etiam Sacerdotes, toto Oceano aurum quærere.* Quid tum poſtea? *Vitia erunt, dum homines*, inquit Cerealis apud Tacitum. Eſtne veſtrum Evangelium ſine vitijs propagatum? Scis quid Lutherus ſcribat in Poſtilla Jenæ impreſſa, Con. 12. *Mundus ex hac doctrina quotidie redditur deterior: jam homines ſinguli ſeptenis diabolis obſidentur, cum antea in Papatu unico tantum diabolo obſeſſi fuiſſent. Diabolus jam catervatim in homines ingreditur.* Pergit Lutherus: *Sunt enim homines magis vindictæ cupidi, magis avari, magis ab omni miſericordia remoti, multoque deteriores quam in Papatu.* Lege quæ Smidelinus veſter, concione ſuper 21. cap. Lucæ, de fructibus Evangelij veſtri: quæ Andreas Muſculus Lib. de noviſſimo die, alijque ex veſtris ſcribunt. Lege quæ Theophilus Prædicans, in *Voce Excubitoria*, de Prædicantum vitijs & corruptelis verbi Dei ſcribat: liber hîc Germanico idiomate editus Francofurti, anno 1661. approbatuſque eſt à veſtris. Lege quæ Eraſmus epiſtola ad Vulturium: *Profer mihi*, inquit, *quem iſtud Lutheri Evangelium ex comeſſatore ſobrium, ex feroci manſuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico fecerit verecundum; ego tibi multos oſtendam qui ſe ipſis facti ſunt deteriores.* Finis quis eſſe bonus Luthero poterat, cui non aliud medium, quàm ut Principes bonorum Eccleſiaſticorum ſpolio, Sacerdotes & Monachos, concubinis in uxores permiſſis, populum libertate vitæ caperet, & d[illegible]iperet omnes. Demùm ad *Jeſuitas* tranſis, & mirum, ſi hos prætermittere poſſes. *Sanè*, inquis, *ex Indorum converſione parum laudis acceſſit Jeſuitarum cœtui.* Quæ hujus rei cauſa? *Jeſuitæ*, inquis, *non Religionis, ſed regionis ampliandæ ſtudio Indias petunt.* Teſtem adducis Sotelum & Scioppium: Enimverò hi tanti Jeſuitarum amici fuere, quanti vos hæretici eſtis. Laudem, quam dicis modicam acceſſiſſe *Jeſuitis*, illi ab hominibus non requirunt, uti nec à vobis exſpectare poſſunt. Fructum, & majorem Dei gloriam ſi deſideres, teſtabuntur tot Pontificum litteræ, tot ſcriptorum libri, tot Gentium ad Chriſti fidem acceſſiones, tot Sacerdotum labores, tot Martyrum laureæ, tantus Evangelij in vaſtiſſimis Chinarum regnis progreſſus, tot hominum myriades, quæ vel in uno Chinæ regno ad Chriſti ſacra tranſierunt. Innumeri ex omnibus Religioſorum familijs Sacerdotes, in utramq; Indiam

tot

tot annis transcribuntur: solum vós Prædicantes, qui Apostolicam fidem, & Ecclesiam vobis vendicatis, nemo hactenus conspexit, jam à centum annis cum Apostolicis viris ad has Gentes in nova Christi vinea convertendas, maria transijsse.

Causam hujus rei dedimus. *Gentium conversio* proprietas est, & donum Catholicæ Ecclesiæ; hæreticorum est pervertere Christianos. *Perdix fovet quod non peperit.* Jerem. 17. v. 12. Hoc dolo, Augustinus Lib. de Pastoribus c. 12. docet, ab hæreticis congregari Christianos, quos non pepererunt: ideo legit, *perdix congregat quæ non peperit.* Nondum in India & nova ista Ecclesia, opulenta sacerdotia, quæ in spolium rapiatis, ut in Saxonia fecistis. Nondum in India utrâque illa Sacerdotum, & Monachorum vitia adoleverunt, ex quibus Hæresiarchæ, & Apostatæ nascantur, quemadmodum in Saxonia factum est. Multis præterea vinculis vos Prædicantes innexi estis, ut per mare, ad remotas Gentes vobis proficisci cum Apostolicis viris concessum non sit. Carnale Evangelium habetis, quod ab uxorum sinu & amplexu vos avelli non sinit: liberi vobis sunt, & familia, ut extra focum alibi filios spirituales, & familiam Christi quærere non vacet. Lucrum & delicias quæritis, quas inter barbaras gentes non reperitis. Quæso te, isti Apostolici viri, Kilianus, Columbanus, Gallus, Willibrordus, Suibertus, Ewaldi, Bonifacius, Burchardus, Wigbertus, alijque innumeri, qui ex Anglia per mare transvecti in has regiones, primùm gentibus Evangelium annunciarunt, habueruntne uxores, & filios? traxeruntne secum istam familiam, quâ vos Prædicantes onerati estis? Legistine ullum ex his Episcopum, Sacerdotem, aut Monachum uxoratum, qualis Lutherus vester fuit, vir super omnes Sanctos illos & Apostolicos viros? Evangelici vultis appellari, qui & Legem Evangelij abijcitis, & consilia Evangelica contemnitis. Vbi enim illud Evangelicum apud vos? Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Rursus: *Si vis perfectus esse, vade; vende quæ habes, & da pauperibus.* Matth. 10. *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Apostolici vultis haberi, at ubi Apostoli consilium? 1. ad Corinth. 7. *Bonum est homini mulierem non tangere. Volo omnes vos esse sicut meipsum. Solutus es ab uxore? noli quærere*

quærere uxorem. Reliquum est, ut & qui habent uxores, tanquam non habentes sint. De Virginibus præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis. Puto autem quòd & ego Spiritum Dei habeam. Hæc si in ullo Christiano valere debent, maximè in Apostolico viro, qui cæteris exemplum perfectionis proponitur. Tales nunc Apostolici viri apud nos, quos omnium Ordinum familiæ in Indiam transmittunt, ex quibus singulæ tot Martyres censent.

Transeamus ad Carolum M. Primos ille Episcopos imposuit Saxoniæ Wihonem, Willehadum, Hildegrimum, Ludgerum, Hercumbertum, Suibertum, Guntherum. Paderbornensem Ecclesiam commisit Burchardo Episcopo, Fuldam Sturmioni Abbati: Vterque Bonifacij discipuli erant. Præterea alij Præsules, Presbyteri, & Monachi evocati in hanc vineam Christi, omnes Apostolici viri, & famâ sanctitatis clari. Vllusne legitur ex his cum uxore, & liberis venisse in Saxoniam, & ad gentium conversionem? Inde ad Lutherum omnes Saxoniæ Episcopi idem castæ vitæ institutum tenuêre; nulli unquam conjugium permissum, quando fornicationis crimen, non minus quàm sacrilegi adulterij, in Clericis & Monachis, tot legibus semper, & pœnis est punitum: solus Lutherus Episcopis, Sacerdotibus, & Monachis primùm liberas fecit uxores. Nec per alios ferè quàm apostatas Sacerdotes, Clericos & Monachos Evangelium suum promulgavit. Id tam insolens erat Catholicis, quàm inauditum per Occidentis Imperium ab ipso Apostolorum ævo. Quin, quòd ipsi Lutherani sacrilegum illud cum Moniali Catharina Bornæa connubium improbarent in Luthero. Vide nunc, quàm dispares sint Apostolici viri, & Sacerdotes apud Catholicos, per quos Evangelium Christi per Saxoniam introductum, & deinde ad Lutheri tempora conservatum est.

Contrà recense omnes hæresiarchas à Simone Mago, ad Lutherum: & reperies omnes mulierum amoribus, & libidinibus implexos vixisse, nullum ex his castæ vitæ reperies præter Photinum, quem Hieronymus in Chronico scribit multa continentiæ bona corrupisse hæresi suâ: cæteri mulierosi, lascivi, spurci, ex propria hæresis notâ semper cogniti, quemadmodum Apostoli denunciaverant futuros, & Patres nobis descripserunt. Rursum à Luthero & Calvino percense cæteros novarum hæresum

hæresum auctores, in Saxonia, Germania, Gallia, Anglia, Hollandia, Frisia, videbisque Lutheri vestigijs inhæsisse, ac nullum ex his ad exemplum primorum Episcoporum continentem ab uxoribus vitam egisse, ne quid de nefandis illorum libidinibus proferam. Non hîc cœlibatum ex Scriptura, Concilijs, Patribus, & rationibus contendo, solùm ad exemplum Apostolicorum virorum, & majorum appello: quando vos Lutherani vobis Apostolicam Ecclesiam, fidem, doctrinam, & Apostolicos viros vendicatis, tantisque calumnijs perstringitis Episcopos, & Apostolicos viros, quos aut Carolus Martellus, aut Pipinus Rex pater, & Carolomannus patruus Caroli M. tanto studio, tantâ liberalitate & veneratione, ad convertendas gentes introduxerunt in Hollandiam, Frisiam, Hassiam, Thuringiam & Germaniam; aut quos Carolus M. primùm Saxoniæ imposuit, quosque exinde Ludovicus Pius filius, cæterique Imperatores, Reges, ac Principes pari religionis cultu secuti & venerati sunt. Hîc ne unus Lutherus cum vobis errasse videatur, totus orbis Christianus vobis delirasse & insanijsse videri debet. *Vos tam pauci,* (scribit Carolus M. ad Elipandum hæreticum, ex Divi Augustini dicto) *unde putatis vos aliquid veriùs invenire potuisse, quàm quod Sancta, Universalis, toto orbe diffusa tenet Ecclesia?* Pari Spiritu Patres Concilij Francofurtensis, in epistola Synodica ad eosdem: *Quare purissimos Catholicæ fidei fontes hæretico pede turbare non timetis? Vnum nobis sufficit; quod Vniversali Catholicæ Ecclesiæ consuetudine confirmatur. Terminos Patrum tuorum non transgrediaris: per viam regiam ad limpidissimum Catholicæ puritatis fontem redite*; Ubi castissimæ vitæ reperietis Episcopos, & Sacerdotes, qui majoribus vestris primùm verbum Dei tradiderunt.

X CAPVT XX.

CAPVT XX.

D. Bonifacius ex Apostolico per Germaniam munere, Missione, et Reformatione, oppositus Martino Luthero.

NUllum ex omnibus Apostolicis per Germaniam viris, & sanctissimis Episcopis, Novatores acerbiùs insectantur calumnijs, quàm D. Bonifacium, quos inter, ut paulò antè audivimus, Nisanius noster. Contrà Lutherani suum Martinum Lutherum, Germaniæ Apostolum, virum à Deo missum, & Reformatorem Ecclesiæ dicunt & in cælum attollunt, tanquam ille verus tandem Germaniæ Apostolus, qui Bonifacij, & aliorum Apostolicorum virorum errores, ad Apostolicæ doctrinæ formam & integritatem redegerit. Hi duo ergò paucis inter se comparandi.

I. Ex Apostolico munere: Nam inter cætera elogia virtutum, & honorũ, laborumq; titulos, *Bonifacius Apostolus Germaniæ* appellatur, quod *nomen* tanto viro tribui, ferre non possunt Novatores. Verùm cùm id primò ac propriè competat illis, qui *immediatè & extraordinariè à Deo missi sunt*, qualis Joannes Baptista, Apostoli duodecim, ac D. Paulus Doctor Gentium: tum metaphoricè etiam illis attributũ est, qui *mediatè & ordinariè missi*, idem ex munere Apostolico, & *Gentium conversione* gesserc: quemadmodum *Andronicus* & *Junias*, Roman. 16. *Silas* & *Judas*, Act. 15. *Barnabas*, Act. 13. *Epaphroditus*, Philip. 2. *Apostoli* dicuntur: imò S. *Augustinus* à S. Gregorio M. in Angliam missus, *Angliæ Apostolus* vocatus, quòd gentem illam, magnam partem ad Christi fidem converterit. Hunc in modum *D. Bonifacius Germaniæ Apostolus* est dictus: tum quòd per 70. circiter annos, quibus in Germania versatus, *Frisios*, *Hassos*, *Thuringos*, *Saxones* magnam partem ab idolorum cultu, ad Christi Religionem perduxerit, Spiritu Apostolico, labore indefesso, & fructu prorsus admirabili: tum quòd post *D. VVillibrordum* & *Suibertum* cæterosque Apostolicos viros, eâ tempestate in conversione barba-

barbararum gentium *plus omnibus laborasse*, videri possit, quemadmodum id Apostolus Paulus de se dixit, ideóque per antonomasiam, *Apostolus* est dictus: id quod de *Bonifacio* admiranda ejus opera testantur, quæ sub Carolo Martello, Caroli M. avo, Carolomanno ejus patruo, & Pipino Rege ac patre Caroli M. in hoc munere gessit, & tot myriades animarum, quas Christo lucratus est, testantur: uti hæc à tribus Pontificibus commendata, & à *S. VVilibaldo, Ludgero, Othlono, Ruthardo, Serario*, atque alijs conscripta sunt, tantique hunc virum fecit Carolus M. ut quæ *Bonifacius* in Synodis, ad reformationem Cleri, & populi ordinaverat, Carolus inter Leges suas receperit, tanti postea eum fecit Germania, ut (in Divorum numerum relatum) inter sanctissimos Episcopos, & Apostolicos viros coluerit.

Jam verò quid in *Luthero*, ex quo Apostolicum nomen mereatur? qui ad nullas unquam barbaras gentes convertendas profectus, nullas Christo peperit. Solùm id egit, quod negocium fuit omnium hæreticorum & *hæresiarcharum*: de quo certissimè Tertullian. lib. de præscriptionibus: *Hoc illis negocium non Ethnicos convertendi, sed nostros evertendi. Nostra suffodiunt, ut sua ædificent, ita fit, ut ruinas faciliùs operentur stantium ædificiorum, quàm exstructiones jacentium ruinarum.* Enimverò quo tempore Lutherus cœpit novam suam doctrinam vulgare, is per *Saxoniam* corrupti Cleri, populique status erat, atque ita tum omnia ad hęresin composita, pronaque erant, ut non nisi Dux, auctorque & propellentis in lapsum manus deesset: igitur ædificium vitijs suis procumbens, quod erigi, fulcirique debebat, Lutherus in ruinam impulit, populúmque *Saxonicum*, quem Carolus M. per Apostolicos viros & primos Episcopos primùm ab idolorum cultu, ad Christi fidem perduxit, ipse primus in hæresin detraxit.

II. *D. Bonifacius* non modò Germaniæ Apostolus, sed & Reformator Cleri, populique, postquam uterque per longa superiorum temporum bella Francica corruptus, in multis provincijs desciverat à veteri Ecclesiæ disciplina: idque munus habuit per ordinariam *Missionem*, & *Auctoritatem Apostolicam*, à tribus Romanis Pontificibus. Nam primò Romam profectus à *Gregorio* II. prædicandi ubique per Germaniam Evangelij potestate donatus, *Bavariam* excoluit, atque exinde *Thuringiam, Frisiam, Hassiam*, ab idolorum cultu ad Christi fidem con-

vertit. Iterùm Romam profectus ab eodem *Gregorio* II. Romæ Episcopus consecratus, in *Germaniam* remittitur ad prædicandi munus, in quo Apostolico munere à *Gregorio* III. Pontifice confirmatus, & incertæ Sedis Episcopus factus, exercendi ubique ea, quæ veri Episcopi sunt, potestatem accepit. Inde tertiùm Romam profectus à *Gregorio* III. *Legatus Apostolicus* remittitur in *Germaniam*, ad Cleri, populique mores corrigendos: Quâ potestate *Bavariam* in quatuor diœceses divisit: tres exinde Synodos in hanc rem habuit, primam *Ratisbonæ*, seu ut alij, Augustæ Vindelicorum, alteram *Liptinis* in Belgio, tertiam *Moguntiæ*, ubi ab eodem Pontifice *Archiepiscopus Moguntinus* constitutus. Confirmatus exinde in eodem *Legati Apostolici* munere, à *Zacharia* Pontifice, à quo etiam potestatem obtinuit constituendi tres novos Episcopatus. Quorum primũ *Herbipoli* condidit, imposito *S. Burchardo* primo ejus loci Episcopo, alterum *Buriaburgi* in Hassia, tertium *Erfurti* in Thuringia cœpit. Ne quid hîc memorem de *Fuldensi* Cœnobio, & seminario tot Apostolicorum virorum, alijsque Cœnobijs, Sacerdotum congregationibus, & Ecclesijs, ubique per *Frisiam*, *Hassiam*, *Thuringiam* & *Saxoniæ* fines erectis: Quæ omnia egit hortante, & adjuvante virum Sanctum Carolo Martello, Carolomanno, & Pipino Rege, Caroli M. videlicet avo, patruo & patre. Admiranda prorsus sunt, quæ docuit, ordinavit, & gessit pro Christi Religione in *Germania*, aut plantandâ, aut confirmandâ; ut tam verè, etiam *Pater Germaniæ*, quàm *Apostolus* appelletur. Quæ hic longum memorare, tantùm verbo ostendere volui, quâ *auctoritate Apostolicâ*, ad exemplar omnium Apostolicorum virorum, quâ potestate *Missionis* Apostolici viri, & *Reformatoris* Ecclesiæ munus susceperit, & Sanctissimè gesserit; uti fidem suam Romæ per juramentum *Gregorio* II. Pontifici, & *Romanæ Catholicæq; Ecclesiæ* obligavit: quam fidei Professionem leges apud Serrarium, lib. 3. in vita *Bonifacij*, cap. 19.

Nunc ad *Lutherum* redeamus, videamusque, quâ *auctoritate* & *potestate missionis*, sibi *Reformatoris* munus sumpserit. *Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur?* Rom. 10. *Qui non intrat per ostium in ovile, sed ascendit aliunde, hic fur est, & latro.* Joan. 10. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Heb. 5. Et quæ hujusmodi sunt, quibus & Christus ipse, Joan. 7. & Apostoli *Missionem* suam probarunt.

barunt. Jam verò *Lutherus*, vel *ordinariè* & *mediatè* est missus, quemadmodum S. *Bonifacius*, alijque Apostolici viri, ad prædicandum, & reformandam Ecclesiam sunt missi; vel *extraordinariè* & *immediatè* à Deo, uti Prophetæ & Apostoli: Neutrum obtendere possunt. Non *ordinariè*, quia cùm privatus sacerdos & monachus esset *Lutherus*, debebat illam potestatem habere, à superiore Potestate, vel Pontificis, vel Archiepiscopi, vel Episcopi: At hi omnes contradixerunt *Luthero*, ejusque doctrinam & *reformationem* damnarunt; perinde ut ab Universa Ecclesia in Concilio Tridentino Oecumenico factum est, judicio Pontificis & omnium Episcoporum. Enimverò *Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* Act. 20. non monachos, eosque desertores Ordinis sui, & sacrilego cum moniali toro copulatos.

Non *immediatè* etiam, atque *extraordinariè* missus est *Lutherus*. Nam ejusmodi *missio* signis & miraculis probanda est, ut suprà retulimus, de *Nota Miraculorum*. Deinde oportet ostendere, quo tempore, quo loco, Deus hoc illi ministerium imposuerit, quibus verbis, & mandatis: utrumne visibili modo, an per visionem internam. Hæc enim uti Joannes in Apocalypsi docet, ita cæteri Prophetæ *extraordinariè* missi se explicant: Isaias, c. 1. & 6. Jeremias, c. 1. 2. 3. Daniel. c. 2. & 9. & alij passim. Quod si *spiritu interno* Lutherum velint impulsum ad reformandam Ecclesiam, idem *Calvinus*, idem *Zvvinglius*, idem cæteri omnes hæresiarchæ in Germania, & Anglia pro se contendent; nec aliud probabunt, quam illud Jerem. 23. & Cypriani, lib. 1. Epist. 7. *Seducunt populum meum in mendacijs, & in erroribus suis.* Demum ostendere debent, quæ fidei dogmata, quas morum corruptelas, *Lutherus* à Deo reformandas acceperit. Horum nihil unquam præstiterunt adhuc Lutherani, ut vel *ordinariam*, vel *extraordinariam* ejus *missionem* probarent. Hæretici, ut Augustinus expertus monet, valde insolentes, & verbosi sunt in oppugnandis Catholicis, in suis autem probandis, & defendendis ubique tam frigidi, quàm veritatis præsidio destituti. Nullam rem magis urgent Catholici, quàm ut *missionem Lutheri* sui probent Lutherani, jam à centum annis hoc exspectatum, & nihil præter inania verba, & tergiversationes præstitum.

Verùm seponamus hîc causam Catholicorum, & quæramus: quo argumento Lutherani nobis probabunt *Lutherum* veriùs esse *missum*,

ad reformandam Ecclesiam quam *Calvinum*? Nam si *Lutherus* est missus, non erit missus *Calvinus*, quia hi duo *reformatores* Ecclesiæ, contraria prorsus docent, deinde separatas & contrarias sibi Ecclesias introduxerunt. Imò nulli magis *Reformatorum* nomine gloriantur, quàm *Calvinistæ*, qui abjecto Calviniano nomine, soli *Reformati* dici volunt: ut tam Catholicos, quàm Lutheranos cæterasque religiones reformâsse videantur: perinde ut *Puritani* in Anglia *Calvinistæ*, à Germanis Calvinistis diversi, *purum verbum Dei* à se reformatum vendicant. Unum nunc argumentum à Nifanio in formâ syllogismi exspectamus, quo probet *Lutherum* à Deo *missum*, & non *Calvinum*, quod non Calvinistæ pro se retorqueant in Lutheranos; aut quo non etiam *Zvvinglius*, *Menno*, *Labbadæus*, & quilibet hujus sæculi hæresiarcha, suam missionem probabit. Verè Augustinus dixit: Omnes hæretici pollicitatione veritatis ubique magni, & turgidi, re autem non nisi phantasmata ingeniorum suorum adferunt: seu ut Cyprianus Lib. 1. Epist. 6. *Nolunt victi succumbere, quamvis sciant, id quod faciunt non licere*: aut quod falsò docent, probare non possint. Sed his missis quæ à tot Theologis demonstrata sunt, inspiciamus ipsam *reformationem Lutheri*, quam in Ecclesia fecit.

III. *Reformatio*, quam *Lutherus* fecit, aut facere debuit, in duobus consistit: vel in dogmatibus fidei, vel in corruptis Ecclesiæ moribus, quales illo sæculo per Saxoniam erant. Ad primum quod attinet, D. *Bonifacius* nullum fidei dogma immutavit, sed ea, ut reperit, ita reliquit, nec pro auctoritate à Pontifice acceptâ mutare potuit; tum quòd Ecclesia errare non possit in *fidei articulis*, ad salutem *necessarijs*, ut suprà demonstratum est: tum quòd nullus Pontifex eam auctoritatem sibi ipsi sumere potuit. Quapropter D. *Bonifacius* quos hæreticos reperit, inter quos Principes fuere *Adelbertus* natione Gallus, & *Clemens* gente Scotus Pseudoepiscopi; eos disputando primùm convicit, convictósque munijs suis interdixit, & in carceres conjecit; tum ob publica vitæ flagitia, tum ob hæreses, quas contra Catholicam Ecclesiam, Canones Ecclesiæ, & SS. Patrum doctrinam disseminabant: ut constat ex Epistola D. *Bonifacij* ad *Zachariam* Pontificem, relata à Serrario lib 3. c. 5. At verò *Lutherus* totus diversus à D. *Bonifacio* Apostolo, & Reformatore Germaniæ, quot non fidei dogmata, in Ecclesia immutavit & invertit? nec alia ferè nova introduxit, quàm quæ ex antiquis, & damnatis hæreti-

hæreticis resuscitavit, ut ex *Centone Lutherano*, Lib. 4. c. ult. planum erit. Hinc abrogatum Sacerdotium, sublatum Sacrificium Religionis, & positum altare contra altare: interversa Sacramenta, & ex septem, relicta duo, nec ea integra quidem: introducti cum novo ministerio verbi, novi sacrorum ministri, instituti novi ritus, & cæremoniæ; proscriptus cultus Sanctorum, separati fidelium cœtus. Verbo, omnia sursum & deorsum sunt inversa. *Novi recentesque venerunt, quos non coluerunt Patres* nostri, & quod omnium est calamitosissimum, aperta est per Lutherum janua, omnibus hæresum magistris per Germaniam, & Europam, factaque est credendi & vivendi libertas, quantum quisque sibi fingere potuit.

Superest nunc alterum de corruptis Ecclesiæ moribus, quos D. *Bonifacius* auctoritate Apostolica tam in Clero, quàm populo reformandos suscepit, sed non aliter quàm per ordinariam viam, modum, & Ecclesiæ constitutionem, id est, per *Synodos* Episcoporum, quarum primam *Ratisbonæ* in Bavaria, alteram *Liptinis* in Belgio, tertiam *Moguntiæ* in Germania celebravit: in his editi sunt *Canones*, nec illi ferè sunt alij, quàm ex antiquis Ecclesiæ *Synodis*, Pontificum decretis, & SS. Patrum statutis desumpti: quos ob id Carolus M. inter suas Leges recepit, atq; ad earum formam Religionem in Saxoniam introduxit, imitatus avi Caroli Martelli, Carolomanni patrui, & Pipini Regis, patrisque exemplum; Hinc per *Bonifacium* adjuvante Carolomanno, & Pipino Rege, restituta est disciplina in Clero, & populo, detractæ Clericis concubinæ, reducti vagi, & dissoluti monachi ad claustra, instituta collegia Sacerdotum, exstructa Cœnobia Monachorum, condita Monasteria Virginum, evocati non modò ex Anglia Sacerdotes Apostolicò fervore pleni in subsidium & exemplum aliorum: sed & Matronæ ac Virgines in partem laboris ex Anglia accessêre, ad religionem & pietatem in sexu illo propagandam: Quas inter *Beragitha* in Thuringia; *Cunigildis* & *VValburgis* in Bavaria; *Tecla* ad Mœnum Kissingæ, & Ochnofurti; *Lioba* Bischofheimij ad Tuberam, sacrarum Virginum Antistites, Virginum cœtus collegerunt. Has Nifanius malignè & falsò scribit ex *Bonifacij* ordinatione verbum Dei prædicasse, tanquam & fœminis munus publicè docendi in Ecclesia à *Bonifacio* impositum sit: cùm hæ Virgines tantùm Monasterijs Virginum præpositæ sint, & per eas Religio Christiana, pietas, & religiosa disciplina intra Virginum Claustra sit tradita: haud

secùs,

secùs, quàm modò in sequiori sexu per scholarum magistras fieri videmus, uti hæc Othlonus cap. 30. & Serrarius notatione 24. exponit. Ita verò Apostolico *Bonifacij* zelo, labore & industriâ, *Germania* ad florentissimum Religionis statum redijt; ex eoque flore pòst Carolus M. Regnum Franciæ à Pipino patre excepit, habuitque Episcopis, Sacerdotibus & Monachis præstantissimis plenum.

At quæ nunc reformatio disciplinæ in Clero, & populo per *Lutherum* in *Saxonia*, & *Germania*, postquam monachus ille Claustrum deseruit, & ductâ in matrimonium moniali, novum suum Evangelium promulgare cœpit? primùm *Lutherus* contra Ecclesiæ ordinem ac modum nullam Episcoporum Synodum, pro reformatione, quam fecit, unquam convocavit, nec potuit: quia nullos habuit Episcopos sibi consentientes. Deinde reformationem fecit contra Ecclesiæ ordinem, & decreta. Quare pro privatâ ejus auctoritate, aut politicâ Principum, ejecti è sedibus suis Episcopi, factaque est inaudito exemplo Sacerdotibus, Clericis, & Monachis libertas conjungendi sibi in sacrilegum matrimonium concubinas, & moniales, aut quas vellent mulieres. Inde corrupta Clericorum collegia, dissoluta cœnobia, rupta Monachorum, & Sanctimonialium vota, prostitutæ Virgines Deo sacratæ: Et quæ non in populo consecuta est vitæ libertas, postquam publica ejus doctrina invaluit? Legem Dei servatu esse impossibilem: homini ademptum esse liberum arbitrium: fide *solâ* justificari homines: bona opera nihil conducere ad salutem: & quæ ejusmodi ex Lutheri doctrina, & vitæ exemplo consequi necesse erat. Et quis unquam sibi persuaserat, potuisse ita Christianum populum dementari, nisi in antiquis hæreticis hæc ipsa impietatis & insaniæ exempla vidisset?

Jam si ipsam D. *Bonifacij*, si Apostolicorum Episcopórum, ac Sacerdotum vitam, (quod postremùm hîc esse potest,) cum Lutheri vita conferamus, quid tam dissimile inter Christianæ, & Epicuræ vitæ hominem, inter Sanctum & impium, quàm D. *Bonifacium* & *Lutherum*? *Bonifacij* juventus in *disciplina Religiosa* exculta: inde Sacerdos cum alijs Apostolicis viris ex Anglia, in Frisiam venit, quam, ubi per XIII. annos privati *Pastoris* officio, in tribus Parochijs, ut S. Ludgerus scribit, cum alijs Apostolicis viris excoluit, barbaras gentes, ad Christi fidem erudiendo; pòst in interiorem Germaniam digressus, *Thuringiæ* & *Hassiæ* populos

populos ad Christi fidem traduxit, simulque *Bavariam* & *Germaniam* doctrinâ Christianâ illustravit. Posthæc per annos XXXVI. *Episcopus*, in Apostolico munere & *Legatione* Pontificia, simul Religionem inter barbaros propagavit, disciplinam Cleri, populique per Germaniam restituit. Nihil illo viro Germania vidit zelo Religionis ferventius, nihil labore constantius, nihil pietate sanctius, nihil rebus per id tempus pro Ecclesia gestis admirabilius. Ita enim omnis ejus vita per 70. circiter annos in castitate, jejunijs, vigilijs, orationibus quotidianis, afflictatione corporis, sacrificijs, continuis laboribus, ærumnis, peregrinationibus, paupertate, malevolorum insectatione, patientiâ, sobrietate, humilitate, atque omnis sanctitatis exemplo, in omni Ecclesiarum sollicitudine, & rerum gestarum magnitudine est exacta: donec postremùm *Martyr* fuso pro Christo sanguine labores Apostolicos obsignaret; pòst mortem non minus miraculis, quàm cultu Sanctorum apud posteros in hunc diem clarus.

Quid ad hæc *Lutheri* vita habet? Non ego hic ea retexam, quæ ex centum Scriptoribus nota sunt, ne calumnias sectari videar. Unum satis erit; si dixero, *Lutherum Monachum* duxisse *Monialem*, quacum in Sacrilego toro usque ad mortem vixit. Quæso te, cui nunc sanæ mentis homini Christiano, Christianam vitam duxisse videri potest? ex quâ *Apostoli Germaniæ, Instauratoris Apostolicæ doctrinæ*, & *Reformatoris* disciplinæ Ecclesiasticæ, aut *Beati Viri*, quod Nifanius illi tribuit, nomen mereri possit? Nisi & istos *Bonifacij* mastyges, *Adelbertum Gallum*, & *Clementem Scotum*, impostores populorum, & spurcissimos homines, aut veteres Gnosticos, omnesque heresiarchas obscœnos, & Epicuri de grege porcos, *Divorum albo* tibi adscribere libeat. Enimverò, *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria*, & quæ S. Paulus, cap. 5. ad Galatas, percenset: *Quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.*

DE PRINCIPIO FIDEI DIRECTIVO,

Sive de Verbo Dei Tradito, et Scripto.

POst ea, quæ de *Ecclesia* per errores contexuit Nisanius, digreditur ad *Principium* Fidei, & *Verbum Dei*, quod in *solâ* Scripturâ constituit; & magno verborum sono jactitat, se ex ea *ad oculum* demonstraturum, *Carolum M.* non fuisse *formaliter Papistam*: quæ tamen *demonstratio* non ultra *ventosa promissa* procedit. Imò nulla pars ejus scripti, in qua magis, quam in hac, frigidus sit & jejunus. Audet nihilominus omnem hæresis suæ triumphum & victoriam in Verbo Dei reponere.

CAPVT I.

De Verbo Dei Tradito.

VErbum Dei, quod per revelationem Divinam accepit Ecclesia, aliud est *Traditum*, aliud *Scriptum*. *Scriptum* admittit Nisanius, *Traditum* negat, & insolenter damnat Concilium Tridentinum, quod Verbum *Traditum* pari pietatis affectu, quo verbum *Scriptum* suscipiendum præscribat: Id dogma *novitium*, & ante centum tantum annos, cum Tridentino primùm receptum proclamat. Verùm quàm insulsè hæc dicat *Nisanius*, hoc argumento constabit:

Quod parem habet auctoritatem cum verbo Dei Scripto, id pari quoque affectu est suscipiendum;

Sed Verbum Dei Traditum parem habet auctoritatem cum Verbo Dei Scripto:

Ergo *Pari affectu suscipiendum est.*

Major certa est. *Minor* probatur: Quia ratio credendi est *Verbum Dei*. Sive igitur ore prolatum sit, exceptumque: sive *Scriptum sit*, semper manet

manet eadem auctoritas, eademque ratio credendi: nam materiale illud signum *scriptionis* non auget, neque minuit veritatem loquentis: Imò hæ conditiones *Verbo Dei* extrinsecæ & accidentariæ sunt. Hinc tam integrè crediderunt qui ex ore Christi, & Apostolorum *Verbum Dei* audierunt, quam qui postea ex *Scriptura* exceperunt. Hoc firmat illud Apostoli, 2 ad Thessalon. 2. *Itaque fratres state: & tenete Traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Rursum 1. ad Thess. c. 2. *Cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est verè) Verbum Dei.* Viden', ut verbum *auditus*, non minus quàm *Scriptum*, sit verbum Dei, & eodem affectu susceptum? Quia tam verè fuit Verbum Dei, quàm Scriptum, nisi supra Apostolum sapiat Nitanius.

II. Verbum Dei *Traditum* multo antiquius est, quàm Verbum Dei *Scriptum*: Nam ab Adamo ad Moysen, per bis mille annos fuit Ecclesia Dei, & fideles Deum coluerunt fide, spe, caritate, sacrificijs, & externis ritibus, nec tamen intra illud tempus aliud verbum Dei fuit, quàm *Traditum*, eò quòd *Scriptum* verbum primò cum Moyse cœperit. Imò Hebræi multo tempore *Traditione* magis, quàm *Scriptura* usi sunt: quod ad tempora Esdræ *Scripturæ* non essent redactæ ad formam librorum, ut ab omnibus facilè & commodè haberi possent. Hinc 4. Reg. c. 22. narratur tanquam novum aliquid, quod tempore Josiæ Regis, repertus fuerit ab Helcia Pontifice, *Liber Legis in domo Domini.*

III. Ab adventu Christi per annos aliquot fuit Ecclesia sine scripturis Legis novæ: neque Apostoli per orbem dispersi, etsi Symbolum ante condiderint, non tamen scripturas novi Testamenti secum tulerunt: & licet tulissent, non perinde cum omnibus Christianis communicare easdem poterant. Quare Irenæus lib. 3. c. 4. fatetur suo tempore fuisse multas gentes Christianas, quæ solis *Traditionibus*, sine Scripturis optimè pijssiméque viverent. Imò Apostoli non acceperunt mandatum scribendi, quemadmodum docendi acceperunt Marc. ult. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium*, & tamen subditur: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Satis hoc erat ad salutem: *Docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis.* Quin ipse Lucas principio Evangelij sui fatetur se scribere Evangelium, *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio, ipsi viderunt, & ministri fuerunt Sermonis.*

IV. Multa sunt quæ ex *Verbo Tradito* creduntur: Quòd Symbolum fidei verè canonicum, & Apostolicum sit: Quòd infantes sint baptizandi: Quòd baptizati ab hæreticis non sint rebaptizandi: Quòd B.Maria Christi Mater semper Virgo manserit: Quòd in baptismo forma verborum sit pronuncianda: Quòd certus, & determinatus sit numerus Sacramentorum,& sacrorum Ordinum, quæq; hujusmodi multa sunt. Demum ipsum *Verbum Scriptum* sine *Tradito* non creditur; Nam ut credas hos libros esse canonicos, & incorruptum esse verbum Dei,ex sola *Traditione* est,ut vel ipse Kemnitius in exam. Conc.Trident. & Brentius in Prolog. fatetur. Aut ergo nihil credendum est Lutherano,aut verbum Traditum admittendum est. Qua super re Suarez fusè Tract. de Fide disp.4.sect.4.Lib.defens.fidei c.9. Bellarm. Lib.4.de Verb. non Scripto,Becanus,Valentia,Tannerus,alijque.

V. Eadem Conciliorum,& Patrum antiquorum sententia.Hilarius Lib.contra Constantium: Hieron. Lib.cont. Lucif. August. Epist. 1.8.& 11. ad Januar.Epist.86.ad Cæsulanum.Cyprian.Lib.de card.oper. ut omittam Ignatium,Athanasium,Cyrillum,Eusebium,Justinum,Originem,Tertullianum,Clementem,Dionysium,Damascenum;quorum testimonia apud Bell. Coccium, Suarez, Becanum,Gualterium & alios leges. Planè ut Irenæus Lib.3.c.4. *Quid autem*,inquit,*si neque Apostoli Scripturas nobis reliquissent,nonne oportebat ordinem sequi Traditionis?* Basil.lib.de Spirit.S.c.27. *Dogmata quæ in Ecclesia servantur,& prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum Traditione in mysterio ad nos delata sunt.* Epiphanius hæres.61. *Oportet & Traditione uti,non enim omnia à divina Scriptura possunt accipi.* Chrysost.in 2.ad Thess.c.2. *Hinc patet,quòd non omnia per epistolam tradiderit,sed multa etiã sine literis.Eâdem verò fide digna sunt,tam illa,quàm ista.*

Qua nunc fronte audet scribere Nisanius, *Verbum Traditum* esse dogma novitium Concilij Tridentini? quod & Scripto Verbo multo est antiquius,& pari semper auctoritate receptum. Sed,inquit,Catholicos non convenire,dum quidam *Traditiones*,ut doctrinam fidei admittunt,quidam fidei regulam negant,quidam verè & propriè verbum Dei abjudicant. Adeone tu aut hebes es Nisani,ut id non capias,aut malignus ut dissimules? *Traditiones* aliæ divinæ sunt, aliæ Apostolicæ, aliæ Ecclesiasticæ: Divinæ & Apostolicæ,si universales & perpetuæ, (ut has

Suarez

Suarez exponit, Bellarminus, & Becanus:) paris cum *Verbo Scripto* auctoritatis sunt, paríque affectu pietatis recipiendæ, qua de re Tridentinum Sess. 4.

At *Carolum M.* promittis nobis ad oculum te demonstraturum, in verbo Dei non consensisse Papistis. Id nunc exploremus in *Verbo Tradito*, de quo potissimùm hîc agitur inter nos. Atque ut videas, quàm te, & nos fallas; sisto primùm ipsum *Carolum M.* Epistolâ adversus Elipandum & cæteros Hispaniæ Episcopos : *Hanc*, inquit, *fidem orthodoxam & ab Apostolis traditam doctoribus, & universali servatam Ecclesiâ, nos pro virium nostrarum portione, ubiq; in omnibus servare, & prædicare profitemur.* Vides ut in hac fidei controversiâ appellet ad Traditionem Patrum, & universalis Ecclesiæ? Rursum de hac fidei quæstione dicit se consuluisse Pontificem: *Scire* videlicet *cupientes, quid sancta Romana Ecclesia Apostolicis edocta Traditionibus de hac respondere voluisset inquisitione.* An non hîc ad Traditionem, quam nullibi certiùs, & fideliùs, quàm in Apostolica sede Petri conservari sciebat, appellat Carolus? Pari modo Patres Concilij Francofurtensis, cui ipse *Carolus M.* interfuit, in eadem fidei controversia appellant ad Traditionem, & Consuetudinem, in epistola Synodica ad Hispaniæ Præsules: Perlecto enim, publicè Elipandi libello in consessu respondent Patres: *Audivimus in eo novas quasdam assertiones exaratas, non tam antiquis Sanctorum Doctorum Traditionibus convenientes, quàm vestris nuper inventionibus confirmatas.* Ac mox: *Cur nobis non sufficiunt, quæ in Sanctorum Patrum dictis inveniuntur, & universali Catholicæ Sanctionis consuetudine confirmantur?* Viden', ut hic primus statim clypeus hæreticis objiciatur ex Traditione? Omitto cætera, quæ in eadem epistola Synodica toties repetuntur ex Traditione Patrum & Doctorum.

Pari modo *Carolus M.* in decretis morum ad Traditionem se revocat. Quid enim in tot Synodis sub *Carolo* habitis, quid in Capitularibus Caroli, quid in ejus Constitutionibus aliud legis? (si tamen unquam legisti,) quàm antiquorum Conciliorum, Pontificum, & SS. Patrum decreta, & Leges Ecclesiasticas, ad quas Ecclesiæ in Francia & Germania formatæ. Tuum nunc est, vel unicum locum aut testimonium proferre, quo Carolus M. verbum Dei Traditum cum Lutheranis reijciat. Id nisi præstes, fallax, ut in alijs omnibus tuis, ita & in hoc, scriptor habeberis.

CAPVT II.

De Verbo Dei Scripto.

MAgnum hic denuò triumphum promittit *Prædicans*, ſed tam inanem, & fictitium, quàm ſupra de *Verbo Tradito*. Controverſia omnis eſt de *Scriptura*, quam ut ordine exponamus: id primo ſtatuendum, ad *Scripturam Sacram* tria requiri. I. *Canonem*, ſeu numerum ſacrorum librorum: II. *Verſionem*, ſeu translationem: III. *Senſum* tam literalem quàm myſticum.

I. *Canon* quem hic maximè nobis controvertit Prædicans, apud Catholicos indubitatus eſt, in quem hi libri veteris Teſtamenti ſunt relati: *Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: Joſue, Judicum, Ruth: Quatuor libri Regum: Duo Paralipomenon: Eſdræ primus, & ſecundus, qui dicitur Neemias: Tobias, Judith, Eſther, Job, Pſalterium, Proverbia, Eccleſiaſtes, Cantica, Sapientia, Eccleſiaſticus, Quatuor majores Prophetæ, Duodecim minores, Duo libri Machabæorum* 1. & 2. Ex libris Novi Teſtamenti: *Quatuor Evangelia, Actus Apoſtolorum, Quatuordecim epiſtolæ Pauli, Petri Apoſtoli duæ: Tres Joannis: una Jacobi: una Judæ: Apocalypſis S. Joannis.*

II. Hunc Canonem præſcribit Concilium Tridentinum Seſſ. 4. quem Patres ejus Concilij per Traditionem acceperunt, ab Eugenio Papa in Concilio Florentino, ut conſtat ex ſumma Conciliorum, apud Carranzam. Rurſus Eugenius hunc Canonem accepit à Gelaſio Papa in Concilio Romano. Patet id ex Tomo Conciliorum in decretis Gelaſij. Iterum Gelaſius hunc Canonem accepit ab Auguſtino, Lib. 2. de doctrina Chriſtiana c. 8. uti Auguſtinus acceperat à Concilio Carthaginenſi. Denique Patres hujus Concilij accepere ab Innocentio I. epiſt. 3 ad Exuperium, c. 7. Vixit autem Innocentius anno Chriſti 402. Inde hic Canon, ut præter cætera, ex omnium Bibliorum veterum exemplaribus conſtat, per continuam Traditionem pervenit ad ætatem Concilij

cilij Tridentini,& ad nos usque, ut multis exponit Serrarius, Becanus, alijque. Et si D. Augustino Lib.13. cont. Faustum Manichæum cap.5. dicere licuit de hoc Canone: *Nostrorum Librorum auctoritas,tot Gentium consensione, per successores Apostolorum, Episcoporum, Conciliorumq; roborata, vobis* (Manichæis) *adversa est*: quanto id nunc potiore jure obtendimus.

III. Ordo Sacrorum Librorum duplex ponitur. Primus eorum, de quorum auctoritate nulla inter Catholicos unquam fuit disceptatio: Alter eorum,qui etsi verè divini & Apostolici fuerint; *quo ad se*, non tamen semper æquè certa & explorata fuit auctoritas *quo ad nos*, quales *Esther, Tobias, Judith,Sapientia,Ecclesiasticus,Machabæorum primus & secundus,Epistola ad Hebræos,Epistola Jacobi,Posterior Petri,Epistola Judæ & Apocalypsis.* Tum aliæ quædam partes. Hinc in veteri Lege, *Protocanonici* Libri, & *Deuterocanonici*: Deinde alius *Canon Judæorum*,alius *Christianorum*. Qua super re exactissimè omnium Serrarius in absolutissimo opere Prolegomenorum,(quem hîc prǫteris,qui tot alios auctores nobis citas) Bellarm. alijque. Demum ut in hac controversia certum quid statuatur; (Cùm ex ipsa Scriptura Canon Scripturæ demonstrari non possit) Standum I. est *Traditione Ecclesiæ*, quæ pro Catholicis facit. II. Standum est *Judicio Ecclesiæ*, quemadmodum Augustinus toties docet,tum planè cont. Epist.Fundam c.5.Lib.cont.Crescen.c.33.Lib.1.cont.advers. Leg.& Proph. c.20.Lib. 28.cont.Faustum c.2. *Ego Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas*: Nec enim alius hîc exitus datur, in quamcunque demum partem te convertas,ut mox verbo exponam.

IV. Ex Canone hoc Catholicæ Ecclesiæ Lutherani excludunt *Tobiam, Iudith,Esther,Sapientiam,Ecclesiasticum,Machabæos.* Ex novo Testamento:*Epistolam ad Hebræos, Epistolam Iacobi, Epistolam Iudæ, & Apocalypsin S.Ioannis*; alij plures,alij pauciores, prout cuique Neotericorum libitum est.Contrà Calvinistæ *Epistolam ad Hebræos, Epistolam Iacobi,Epistolam Iudæ,& Apocalypsin* admittunt. Inde jam triplex Canon Scripturæ emergit: I. Catholicus, II. Lutheranus, III. Calvinianus.Jam verò,ex quo principio, Nifani,hoc de Canone dissidium nobis compones,si Ecclesiæ,ut facis,auctoritatem seponas?Imò ex quo principio Lutheranos cum Calvinistis compones, ut infallibili aliquo argumento

mento oſtendas, Canonem Lutheranorum veriorem eſſe, quàm Calviniſtarum? Hic tu nunquam te expedies à Calviniſtis, qui tantus vis eſſe oppugnator Catholicorum.

Obijcis I. Tobias, Judith, Eſther, Sapientia, Eccleſiaſtes, & Machabæi, non ſunt in canone Judæorum, ergo excludi debent à Canone Chriſtianorum. Præclara argumentatio, quaſi auctoritas Synagogæ præferenda ſit Eccleſiæ Chriſtianæ. Deinde quàm nulla ſit conſequentia, fatetur Auguſtinus Lib. 18. de Civit. Dei, c. 37. *Machabæorum libros,* inquit, *non Judæi ſed Eccleſia pro canonicis habet.* Planiùs Iſidorus lib. proœm. in Vet. & Nov. Teſt. *Hebræi non recipiunt libros Tobiæ, Judith, & Machabæorum, Eccleſia tamen eoſdem inter Canonicos recipit.* Rurſus: *Sapientia & Eccleſiaſticus parem cum reliquis canonicis libris tenere noſcuntur auctoritatem.*

Obijcis II. Non ſolum Judæi, ſed & Patres antiqui, prædictos libros excludunt à Canone, quàm in rem Niſanius multos adducit. ℞. Fruſtra id agi: quia Patres illi ſcripſerunt ante Innocentium & Auguſtinum, cùm nondum de his libris ab Eccleſia definitum eſſet. Ideò decem ex his admittit Becanus diſſentire, quod tum illis licebat: Ideoq; Canonem Hebræorum ſecuti, illos receperunt libros de quibus nulla dubitatio eſſe poterat. Nec aliud Bellarminus à te adductus cenſuit, rectéque pronunciavit: malle hæreticos cum Judæis, quàm cum Chriſtianis ſentire. Uti autem hi libri aſſerantur Canonici aliorum Patrum teſtimonijs, leges apud Bellarm. lib. 1. de verbo Dei, c. 10. & ſequent. Serrarium, tum apud Cornelium à Lap. cæteroſque interpretes. Tædet hanc cramben toties repetere, quando tu nihil adfers, quod non centies refutatum ſit; & quæ adfers, tam imperitè & confusè proponis, ut te parum intelligere oſtendas.

Nam III. Obijcis, nos auctoritatem ſacrorum Librorum ſumere ab Eccleſia. ℞. Eccleſia declarat tantùm auctoritatem Libri, non facit: ut qui in ſe erat Canonicus, etiam nobis ſit Canonicus. Et hoc eſt quòd omnes Catholici à te citati docent. Hæc elementa Theologiæ non capis, qui Theologiæ Licentiatus vis eſſe. Lapis Lydius facitne aurum, an probat, ac declarat? Jam ſuprà multis oſtendi Eccleſiam non facere novos Articulos fidei, ſed declarare: ut qui in ſe tales erant, etiam nobis ſint.

IV. Obijcis:

IV. Obijcis: In Concilio Tridentino multis disceptatum esse, de Canone Librorum. ℞. Id in omnibus Sessionibus factum esse: Verùm non hîc quæritur de inquisitione & disceptatione, sed de ipsa decisione & definitione Ecclesiæ, ex qua Canonem habemus. Petrus Suavis, qui tibi placet, apostata & hæreticus est, satis à Pallavicino in historia Concilij Tridentini refutatus, hunc lege prius, ac tum redi, dignumque aliquid eruditis auribus adfer.

Carolus M. nobis propositus est, & nihil adducis, quo probes eum dissensisse à Canone Catholicorum, quod tamen in hac Quæstione præcipuè tibi præstandum erat. Verùm *Carolus* nihil aliud præscribit, quàm ut Canonici Libri tantum legantur. Ita habes in Capitulari Aquisgranensi, Can. 10. Lib. 1. Capitular. Tit. 20. Nec in ulla Synodo Carolina aliud quicquam præscriptum est de Canone librorum : Nam quod adfers, ex Lib. 3. de Imaginibus, in quo habetur : *Novum & vetus Testamentum recipimus in eorum Librorum numero, quem sancta Catholica Ecclesia tradit,* hoc ipsum te ac Lutheranos magis oppugnat, quàm juvat, quando hi libri (etsi Carolini non sint, ut infrà ostendemus,) non alium Canonem agnoscunt, quàm ab Ecclesia Catholica receptum: quod si Lutherani facerent, hæretici non essent. Accedit quod Carolus M. ubique in Capitularium libris, & Synodorum decretis sectetur Concilium Carthaginense, & D. Augustinum : atqui Concilium Carthaginense, & Augustinus, hunc, quem diximus, Catholicæ Ecclesiæ Canonem, sequuntur ; Ergò & Carolus M. hunc sequi censeri debet.

Tandem ut Carolum nobis Lutheranum fingat Nifanius, scribit: Catholicos docere, Scripturam esse obscuram, secùs quàm Carolus M. qui claram profitetur, idque probat ex constitutionibus Caroli, apud Goldastum, in quarum una Carolus dicit : *Lucerna est mandatum & lux vita, & increpatio, & disciplina.* Quam hoc frivolum & nugatorium est argumentum! Quare ℞. Catholicos, quos tu citas in hanc rem, ut Becanum, Bellarm. Valentiam, Gretzerum, non aliud docere, quàm Scripturam in multis quoad sensum literalem esse obscuram, quod manifestum est, I. ex testimonio D. Petri de Epistolis D. Pauli, 2. Petri 3. in quibus dicit *quadam esse difficilia intellectu.* II. Constat inductione, omnium Prophetarum, & Apocalypsis B. Joannis. III. Patrum testimonijs, quæ leges apud Bellarminum, lib. 3. de verbo Dei, c. 1. & seqq. IV.

Confeſſione ipſorum Lutheranorum : Nam ſi Scriptura eſt tam clara, quorſum tot commentarij Lutheri, & aliorum? quorſum tot libri controverſiarum? imò ſi tam clara, quare tot hæreſes, fatali hoc ævo noſtro, ex quo primùm ad Scripturam contra Catholicos provocare cœperunt? imò ſi tam clara tibi, quare non omnes hæreſes in concordiam componis, quòd ſanè hic tuus liber non faciet, in quo merum eſt chaos hæreſeôn. ℟. 2. Per hæc verba: *Lucerna eſt mandatum*, non aliud velle Carolum, quàm quòd Scriptura ipſa dicit, nempè præcepta Dominica eſſe lucida: quâ ſuper re vide Bellarm. lib. 3. de V. D. c. 2. Ne quid hîc de Goldaſto hæretico & fallaciſſimo ſcriptore memorem.

Demum Carolum M. nobis Lutheranum perſuadere vis, eò quòd & ipſe ſacram Scripturam diligenter legerit, & Epiſcopis ac Sacerdotibus legendam commendârit: idque probas ex Concilio Turonenſi ſub Carolo M. celebrato, in quo Concilio etiam commendatur, ut ſacri Libri in Theotiſcam linguam vertantur, ut ab omnibus legi poſſint. Idem Ludovicum Pium feciſſe dicis. Multa præterea in hanc rem congeris, ex Bonifacij Epiſtola, & alijs auctoribus, à quibus Sacrarum literarum lectio commendatur populo, cumprimis Chryſoſtomi teſtimonio. Jam verò Catholici, inquis, prorſus contrarium docent, vetantque lectionem ſacræ Scripturæ, idque præſcripto Concilij Tridentini, quo prohibetur Seſſ. XXII. c. 7. & Can. IX. *Ne paſſim omnibus ſine diſcrimine concedatur ejuſmodi lectio, & ne in publico & communi uſu Eccleſiæ legantur Scripturæ, vel canantur vulgaribus linguis*, quemadmodum id Bellarm. lib. 2. de V. D. c. 15. agnoſcit.

℟. Et dico: hoc Concilij præſcripto contineri: primùm, ne legantur Scripturæ vulgari lingua in Eccleſijs, ſed tribus ſacris linguis, aut Hebræâ, aut Græcâ, aut Latinâ: id quod Bellarminus ad tempora Lutheri toto orbe terrarum factum eruditè probat; Hoſius quoque Cardinalis, & Ledeſma, alijque demonſtrarunt, lib. 2. de Verbo Dei, c. 15. Ut jam *inſolentiſſimæ ſit inſania, diſputare an faciendum ſit, quod univerſa obſervat Eccleſia*, teſte Auguſtino. Hinc idem Auguſt. lib. de doctrina Chriſt. c. 11. docet: ad intelligentiam Scripturarum neceſſariam eſſe Hebræam, Græcam, & Latinam linguam, eaſque ſatis eſſe conſtat.

Alterum eſt: An populo permittenda ſit S. Scripturæ lectio, & an neceſſaria ſit ad ſalutem? primùm cautè faciendum monet Tridentinum, maximè

maximè ob versiones Bibliorum in vulgares linguas, quæ corruptæ sunt hoc hæresis sæculo. Jtaque licet per se sit utilis lectio Scripturæ ex vulgari lingua, per accidens tamen noxia esse potest: quando, ut Hilarius scribit lib. de Synod. *ex Scripturâ non intellectâ nata sunt omnes hæreses:* ut sanè hoc sæculo factum, valetque nunc illa Hieronymi querela, Epist. ad Paulinum: *Quod medicorum est, promittunt medici, tractant fabrilia fabri, sola Scripturarum ars est, quam passim sibi omnes vendicant: Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent antequam discant. Terentium Maurum Poëtam sine magistro attingere non audes, & de Scripturis sine præceptore audes ferre sententiam.* Ut multis etiam contendit August. Lib. de util. cred. c.7. Hinc Basilius coquo ex Ariana secta, se ad disputationem offerenti respondit: *Tuum est de pulmentis cogitare, non dogmata fidei decoquere.* Experimento hoc didicit ipse Lutherus vester, ex illa hæresum nata multitudine, ut dicere necesse habuerit: *Scripturam esse librum hæreticorum.* Obtrusistis populo jam ab integro sæculo, cum novo plausu, lectionem sacræ Scripturæ: at quo fructu? an ideò apud vos homines magis pij, & sancti, quàm apud Catholicos? Jmò quot sectæ & hæreses, ex quo Lutherum fingitis biblia ex latebris produxisse? Ante Lutherum per universam Germaniam una religio erat, cum Episcopi, & legitimi Pastores regerent & docerent Ecclesiam. Ideò Carolus M. Episcopis, Pastoribus & Sacerdotibus sacram scripturam legendam toties præscribit, plebi nusquam. *Ipse dedit ..... Pastores & doctores.* Eph. 4. *Qui vos audit, me audit.* Et: *qui legit, intelligat.* Adeóque Jsaias dixit: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Quantus etiam tu Licentiatus Theologiæ haberi vis, (cùm hæreticus sis) non intelligis Scripturam: nam si intelligeres, hæreticus non esses. Quid nunc de ipsa plebe tua dicam? *Sicut populus, sic Sacerdos*: imò nec Sacerdos quidem es, qui te tamen Superintendentem loco Episcopi ferre audes. Ergóne Catholici absolutè prohibent lectionem scripturæ? minimè sanè. Quorsum enim Germanici idiomatis versio ante Lutherum? Quorsum deinde vulgata versio Diettenbergij, quorsum Ulenbergij, omnium manibus apud nos teritur? Quorsum Archiepiscopus Moguntinus, Biblia Germanicè recens versa, & typis novis expressa vulgavit? Commenta & fraudes vestræ sunt, quibus hæc populo persuadetis. Biblia vestra, sicut omnium hæreticorum meritò in-

terdicuntur, quæ nec Canonem verum, nec versionem sinceram, nec sanum sensum habent, sed multis glossis vitiatum, ex quibus hæresis vestræ virus instillatur incautis.

Ac ne meo judicio hæc referri existimes: lege quæ Layman solertissimus sacrorum Canonum Doctor, Lib. 2. Tractat. 1. c. 25. hac super re scribat, asserendo nulli in Germania Laico lectionem Bibliorum vetitam esse, solúmque ab Episcopis versionem hæreticorum, & noxiorum librorum prohiberi. Quin Serrarius in Proleg. Bibliorum: tantùm, inquit, abesse, quò minus puniantur apud Catholicos, ut laudandi etiam sint, qui versionem Eckij & Diettenbergij legunt. Et quis unquam Episcopus in Germania inhibuit lectionem Bibliorum probatæ versionis? perstringis tu quidem *Ferdinandum* Episcopum nostrum Paderbornensem non obscurè, tanquam Bibliorum lectionẽ inhibuerit suis subditis: sed vide quâ injuriâ id facias Pseudoepiscope, contra verum Episcopum tuum. Erat in Delbruggensi, ac vicino vobis loco, subornatus impostor quidam rusticanus, qui incautam plebem collectis cœtibus perversè docebat, erroresque tuos spargebat, prælectione corruptorum Bibliorum, & librorum tuorum: fraude per Parochum detectâ, delatâque, *Episcopus* libros illi subtraxit, & docendi munus inhibuit, quòd nec *missus* ad docendum, nec ullâ scientiâ præditus esset. Fecit *Episcopus*, quod vigilantissimi *Pastoris* erat: tu fecisti, quod lupi est. Quæ nunc causa traducendi *Episcopum?* criminandique, tanquam lectio Bibliorum Catholicis inhibeatur ab Episcopis? Legunt Cives Paderbornenses, & omnes diœcesis incolæ, tam liberè Biblia apud nos, quàm apud vos Lutheranos & Caluinistas: sed quæ versionis probatæ tantummodò sunt, & ab hæresi incorrupta. Quod cùm per Belgium & totam Germaniam fieri videatis, quâ mentiendi impudentiâ scribitis, & declamatis apud plebem, Catholicis prohiberi lectionem Bibliorum? quod mendacium tam insolens nobis occurrit, quàm cùm dicitis, à Catholicis per idololatriam coli Imagines, vetari apud nos matrimonia, Leges humanas pro Divinis, ac supra Divinas haberi: Pontificem venerari nos, ut Deum: & quæ hujusmodi ex officina prodeunt calumniarum vestrarum; longè seciùs quàm prudentes etiam viri persuaderi sibi patiuntur. Fulcra hæc sunt hæresis vestræ, quibus apud plebem sustentatur. Hinc & videas apostatas nostros, qui ad vos transeunt, nõ aliâ magis fraude populi gratiam

& plau-

& plausum captare, quàm hac calumniandi fallaciâ: Nam si capita fidei, ut in se sunt, & à Catholicis creduntur, sincerè populo exponeretis, pauci apud vos Lutherani manerent. Hæc interim causa, cur tam multi, magnique inter vos viri, ac celebres etiam populi doctores, cognitâ veritate ab Ecclesia vestra ad Catholicam transeant, & reflexò calamo, styloque hæreses vestras oppugnent, quos inter Volusius, Frommius, alijque viri, doctrinâ, & libris editis clari: quos ob id Nisanius etiam tanquam elumbis canis allatrat.

Sed nunc redi mecum ad propositionem hujus controversiæ, quam ex verbo Dei *Principium Fidei* Lutheranæ inscribis, & vide, quàm inane & falsum hoc *Principium* proponas tuis, quod hoc syllogismo cognosces:

Apud quos non est verum & sincerum verbum Dei, apud illos non potest esse verum & sincerum fidei principium;

Atqui apud Lutheranos non est verum & sincerum verbum Dei:

Ergò nec verum & sincerum fidei principium.

Major est Nisanij, minor probatur: quia verbum Dei aliud est *Traditum*, aliud *Scriptum*; neutrum apud Lutheranos est verum aut sincerum: Ergò. Non *Traditum*; quod abijcitis, eaque simul, quæ vera Christi Ecclesia ex verbo tradito credit. Non *Scriptum*: quia Scriptura divina consistit in vero Canone, incorrupta versione, & vero sinceroque sensu. Nihil horum trium est integrum apud Lutheranos: Ergo nec verum & sincerum verbum Dei *Scriptum*. Uti hæc planius demonstrarunt cum Bellarmino innumeri Scriptores Catholici: Et supervacaneum hoc loco repetere, quæ vel ex allatis hìc suprà satis æstimari possunt. Interim vos Lutherani nihil magis apud populum declamatis, jactatis, & crepatis, quàm *Verbum Dei* & *Scripturam*. Hoc idem faciunt Calvinistæ, Zwingliani, Anabaptistæ, Puritani, Arminiani, Gomaristæ, & omnes horum temporum sectarij: ex quibus tamen novum illud Evangelium, nil aliud habet, quàm confusionem Religionis, mantellum fallaciæ, populi ludibrium, & seminarium hæreseôn, seu, ut verbo dicam, *magisterium & mysteriũ iniquitatis*. Imò si tantus es Doctor, omisſâ hìc causâ cum Catholicis, ostende vel uno argumento, *Canonem, versionem* & *sensum* S. Scripturæ, esse veriorem & sinceriorem apud vos Lutheranos, quàm Calvinistas, aut quoslibet alios sectarios: quo non & ipsi in vos

ipsos retorto, vestram Scripturam oppugnent, evertantque. Igitur, quod Patres de priscis hæreticis queruntur, idem & nos querimur, & quidem cum sancto Augustino, Epistol. 222. ad Consentium dicimus: *Omnes hæretici qui Scripturas in auctoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari, cùm suos potiùs sectentur errores: ac per hoc, nõ quòd eas contemnant, sed quòd non intelligant, hæretici sunt.* Rursus Tractat. 18. in Joannem: *Neque enim aliunde natæ sunt hæreses, & quædam dogmata perversitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi dum Scripturæ bonæ, intelliguntur non benè: & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè, & audacter asseritur.* Et alibi Quæst. 69. *Non enim posset error oboriri palliatus nomine Christiano, nisi de Scripturis non intellectis.* Iterum lib. 7. de Gen. ad lit. c. 9. *Omnes hæretici Scripturas Catholicas legunt, nec ob aliud sunt hæretici, nisi quod eas non rectè intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem pertinaciter asserunt.* Denique cum eodem S. Patre de bono perseverant. cap. 1. Hæretici *Scripturas sic accipiunt, ut suo quodam privilegio, imò sacrilegio, quod volunt, sumant, quod nolunt reijciant.* In hunc prorsus modum Vincentius Lerinensis, S. Augustino inter Patres tempore æqualis scriptor, nobis hasce fraudes vestras in aureo suo libello, c. 35. palàm in lucem producens: *Hic fortassis,* inquit, *aliquis interroget, an & hæretici divinæ Scripturæ testimonijs utantur? utuntur planè, & vehementer quidem: nam videas eos volare per singula quæque sanctæ legis volumina, per Moysen, per Regum libros, per Psalmos, per Apostolos, per Evangelia, per Prophetas. Sive enim apud suos, sive privatim, sive publicè, sive in sermonibus, sive libris, sive in convivijs, sive in plateis, nihil unquam penè de suo proferunt, quod non etiam Scripturæ verbis adumbrare conentur.* Vides hîc fratrum tuorum ingenium Nisani? Hæretici erant isti, sicut audisti, & tamen *purum* & *putum verbum Dei*, scilicet, ubique crepabant, Catholicum nomen, veramque Ecclesiam non minus pertinaciter, quàm tui nunc Lutherani, sibi vendicando.

CAPVT III.

CAPVT III.

De regula fidei, quam Lutherani, et cæteri Novatores, malè ex sola sacra Scriptura obtendunt.

HIs de *verbo Dei scripto*, & *Tradito* expositis: quæstio superest de *Regula credendi*, quam Lutherani, & omnes horum temporum novatores, in sola Scriptura constituunt, quæ tamen apud illos nulla certa, & infallibilis esse potest, ac non nisi mera impostura: quâ quælibet *secta* suos in erroribus suis retinet, & dementat. Quòd verò nullam certam *Regulam* habeant Lutherani, ex qua statui possit, quid necessariò sit credendum:

Id constat I. ex eo, quòd verbum *Traditum*, seu *Traditiones* reijciant, uti facit Lutherus in c.1. ad Gal. & cæteri, de quibus diximus, Lutherani: cùm tamen tam multa credi debeant ex verbo *Tradito*, quæ in verbo *Scripto* non inveniuntur. Exempli gratia: I. Credendus est certus *Canon Scripturæ*: utrúmne, videlicet, hi Libri, quos Lutherani è Canone abijciunt, *Tobias, Judith, Ecclesiasticus, Sapientia, Libri Machabæorum, Apocalypsis, Epistolæ Jacobi* & *Judæ, Epistola ad Hebræos*, spectent ad Scripturæ Canonem? Id ex nullo *verbo Scripto* ostendi potest: aut locum cita. Certè Augustinus non repererat, quando ajebat: *Ego Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.* Quod deinde contra Epist. Fundament. c. 1. multis deducit. II. Quòd *Scriptura incorrupta* ad nos pervenerit. III. Quis sit verus *Scripturæ sensus*. Hæc enim potissimùm ex *Traditione*, ex Concilijs, & Patribus peti debent. Præterea credendus est certus numerus Sacramentorum, quem aliter Catholici, aliter Lutherani, & Calvinistæ statuunt: Quæ definitio sit Sacramenti, ut ex ea certus numerus statui possit, & propriè dictum Sacramentum ostendi: An infantes accipiant actualem fidem in baptismo? affirmant Lutherani, negant Catholici. An baptizati ab hæreticis

ticis sint rebaptizandi? Quæ quæstio olim multum agitata fuit; Augustinus non aliter hanc expediri posse censuit, quàm ex Apostolica *Traditione* & consuetudine Ecclesiæ. Vide illum Lib. 2. de Baptism. Et Lib. 5. c. 23. An Baptismus unâ mersione, an trinâ conficiendus? An B. Virgo Maria perpetuò manserit virgo? An Spiritus S. à Patre filioque procedat? An dies Dominica servanda? An Symbolum fidei sit Apostolicum? Quæque ejusmodi sunt; quæ non ex *verbo Scripto*, sed *Tradito* creduntur. Quâ super re Bellarm. de Tradit. Becanus in Tractatu de fide, & in Manuali. Suarez disp. 5. de Regulis Fidei. Et lib. Defens. Fid. Cathol. alijq; innumeri Theologi. Hinc & Carolum M. in controversijs fidei appellasse ad Traditionem, suprà ostendimus.

II. Deficit regula fidei apud Lutheranos, eò quòd SS. Patrum, Pastorum, & Doctorum in Ecclesia auctoritatem reijciant, idque contra ordinem Christi: *Ipse dedit ...... Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi:* Ephes. 4. *Qui vos audit, me audit*, Luc. 10. Hic enim ordinarius est modus à Christo institutus, ut populum doceat per Pastores, & Doctores; & si Pastores simul errarent, tota Ecclesia erraret in fide. Hinc Concilium Nicænum, uti omnia cætera Oecumenica Concilia in controversijs fidei decidendis provocarunt ad Traditionem, & Patrum doctrinam, quod idem fecit Concilium Tridentinum. Quam & regulam dedit Vincentius Lerinensis c. 3. *Si ab his nullatenus sensibus recedamus, quos Sanctos majores, ac Patres nostros celebrasse manifestum est, vel omnium, vel certè penè omnium Sacerdotum pariter, & Magistrorum definitionem, sententiasq; sectemur.* Hanc regulam toties præscribit S. Augustinus, Lib. 2. contra Julianum, & Lib. 4. contra duas epistolas Pelag. c. 12. Quapropter lib. 18. de Civit. Dei. c. 41. scribit non sine Spiritus S. assistentia potuisse tot Patres semper in unam sententiam simul, & tot fidei dogmata convenire. Quam certus autem Carolus M. ad Patres appellet, leges in epistola ejus ad Episcopos Hispaniæ, & omnibus Synodicis epistolis, præcipuè Concilij Francofurtensis. Jam verò Lutherus lib. contra Regem Angliæ scribit, non curare se mille Augustinos, mille Cyprianos: quod idem facit Calvinus. Ac tametsi Lutherani in speciem Patrum auctoritatem recipiant, quia tamen in Scriptura unicam regulam fidei ponunt, parum apud illos Patrum auctoritas valere poterit.

Quæstio

Quæstio nunc est an Scriptura Lutheranis certa & sufficiens, & unica regula credendi esse possit. Hoc quidem illi obtendunt, & nihil magis jactitat Nisanius, sed quàm se suosque fallat, ex his planum esse poterit.

I. Quia per hanc regulam non possumus judicare de ipsamet Scripturâ: atque ita ipsa regula nobis incerta manebit; quæ tamen ante omnia debet esse nota, & certa, ut possit applicari tanquam mensura credendorum. Nam ex scriptura constare non potest Canon librorum sacrorum, V.G. hunc librum verè esse Scripturam, non esse supposititium, & confictum ab aliquo: Hanc vel illam sententiam non esse perversam, non esse insertam, denique nihil esse additum, vel detractum, quod ad doctrinæ substantiam spectat. Hoc totum ex Scriptura constare non potest, sed solùm ex conjecturis quibusdam humanis, semotâ, ut diximus, Ecclesiæ Traditione & auctoritate, atque ita totum fundamentum fidei Lutheranæ conjecturis innititur.

II. Scripturæ vis non consistit in *sono* verborum, sed in *sensu*, qui est vita & anima scripturæ: *Littera enim occidit, Spiritus autem vivificat.* 2. Cor. 3. Et rectè Hilarius: *De intelligentia est hæresis, non de Scriptura: & sensus, non sermo fit crimen.* lib. 2. de Trinit. Imò Tertull. lib. de resurrect. *Hæreses esse non possent, si non etiam scriptura malè intelligi possent.* Hinc alia *materialis*, quæ in sono verborum, alia *formalis*, quæ in vero sensu consistit, Scriptura distingui solet. Jam verò mille sunt controversiæ de *sensu* scripturæ, quæ remota *Traditione*, & Patrum expositione non possunt decîdi, ut experientiâ constat: Ergo Scriptura sola hic non potest esse certa, & unica regula credendi. Exempli causa: *Hoc est Corpus meum*, quæ verba aliter à Catholicis, aliter à Lutheranis, aliter à Calvinistis intelliguntur. Imò *Claudius de Sainctes* Episcopus Eboracensis supra octoginta hæreses, super his paucis verbis Christi recenset. Idem est de alijs Scripturæ locis, ex sensu controversis, inter Catholicos, Lutheranos, Calvinistas, cæterasque horum temporum sectas. Quocirca Concil. Tridentinum Sess. 4. duas tradit regulas intelligendi Scripturam, *judicium* videlicet, *Ecclesiæ*, quod ubi definitum est, facit fidem infallibilem: deinde *consensum SS. Patrum.*

III. Jlla non est idonea credendi regula quæ contrarijs Religionum dogmatibus æquè accommodatur; Atqui Scriptura omnium Re-

ligionum contrarijs dogmatibus accommodatur: quòd vel ex eo constat, quòd uti Lutherani dicunt se niti Scripturâ, ita Calvinistæ, ita Zwingliani, ita Puritani, ita Anabaptistæ, ita omnes in Europa sectæ, se scripturâ niti contendunt: & tamen inter se tantum dissident, quantum secta diversa ab alia secta. Nec id mirum, eò quòd singulæ Scripturam non accipiant secundum communem Ecclesiæ intellectum, sed secundum privati spiritus cujusque sensum. Unde tota hæc regula Scripturæ reducitur ad *privatum* cujusque *judicium*. Hoc nimirum illud Hilarij, lib.3. ad Constantium Imper. *Memento neminem hæreticorum esse qui se non secundùm Scripturas prædicare ea quæ blasphemat, mentiatur.*

IV. Hæc regula credendi quam sibi Lutherani fabricant ex Scriptura non sufficit: Nam experientiâ constat nullum apud Novatores nostros esse finem, atque exitum controversiarum de gravissimis etiam fidei dogmatibus Dissident enim primò inter se omnes horum temporum sectarij, Lutherani, Calvinistæ, Zwingliani, Anabaptistæ, Confessionistæ in Anglia, Puritani, ac cæteri, qui tamen omnes, se ex scriptura promittunt reformare Ecclesiam, quam in Papatu per mille annos à fide defecisse clamant. Quæritur ergò, apud quos sit illa regula credendi ex Scriptura, quæ sola ex vero Scripturæ sensu sit infallibilis? Deinde dissident inter se ipsi *Lutherani rigidi*, & *molles*, *Brentiani*, & *Saxonici*, qui Brentianos 17. errorum reos condemnant, *Vbiquistæ*, *Anholdini*, *Luthero-Melanchthonici*, *Luthero-Osiandrini*, *Luthero-Flacciani*, aliæque Lutheri sectæ. Dissident inter se Calvinistæ, divisique in *Gomorristas*, & *Arminianos*. Dissident in Anglia *Confessionistæ*, *Puritani*, *Presbyteriani*, & centum istic sectæ. Dissident inter se Anabaptistæ tot sectis, quot regionibus & urbibus divisi. Quâ Scripturæ regulâ hos in concordiam, & veram tandem religionem compones? qui tamen omnes ad scripturam provocant. Nunquid hic illud Tertulliani lib. de præscriptionibus valeat? *Priusquam veniatur ad certamen Scripturarum, stabiliendum est, cujus sint Scripturæ: à quo, & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplinis, quæ fiunt Christiani: ubi enim apparuerit esse veritatem fidei, & disciplinam Christianam, illic & veritas erit Scripturarum, expositionum, & omnium Traditionum Christianarum.*

Vtrumne igitur Scriptura non est regula fidei? Imò verò, idque de fide esse dicimus cum Tridentino, Sess. 4. & SS. Patribus. Inde *Canonicæ*

nonicæ Scripturæ dicuntur, ut & S. August. lib. 2. contra Crescent. c. 32. Et lib. 11. contra Faustum, c. 5. exponit: ideoque *Canonica est dicta, quia est regula, quâ nostra infirmitas gubernatur.* Et ratio est: quia nulla est certior regula, quàm divina auctoritas, ut multis docet Suarez, Disp. 5. de reg. fid. sect. 3. sed non sola, nec sufficiens ad omnes controversias fidei. Quocirca addenda *Traditio* & *consensus Patrum*, inter fidei regulas, ut Tridentinum cum cæteris Concilijs statuit. Deinde præter has regulas mortuas, necessaria est in Ecclesia regula fidei animata, quæ sensibili modo possit infallibiliter res fidei proponere, & decidere, veramque doctrinam discernere à falsa, in qua regula omninm controversiarum cum hæreticis cardo versatur, ut sapienter Suarez docet, sect. 5. & cum eo omnes qui de Judice controversiarum scripserunt Theologi. Atque hæc assertio de fide est: Tum quia in veteri testamento hæc regula viva, & hoc judicium à Deo institutum fuit ad controversias fidei decidendas. Deut. 17. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, ... Venies ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicij veritatem.* Vnde Malachiæ 2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirent de ore ejus.* Et cui verisimile videri potest, Christum reliquisse Ecclesiam suam, sine hoc providentiæ suæ beneficio, & ordinatione, quam tot hæresibus concutiendam prævidit, & prædixit per se, & Apostolos suos.

Tum quòd in primo Apostolorum Concilio, cum inter fideles orta esset controversia de Legalibus, ita conventum, decisumque, ut dixerint Apostoli, Act. 15. *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Qui deinde modus, & regula decidendi controversias fidei contra hæreses obortas in Concilio Nicæno, & omnibus deinde Concilijs Oecumenicis, & Nationalibus, cæterisque est observatus. Quòd Episcopi, ac Patres non aliam viam, nec regulam certiorem à Christo relictam agnoscerent, nunquam verò diffidentes ad privatum judicium ex Scriptura remittendo, quod hæretici nostri hîc unicè agunt, ut omnia in Ecclesia confundant, & libertatem hæresum introducant.

Tum quia Scriptura in multis est obscura & difficilis intellectu, ac de ipsius etiam auctoritate ambigitur, an canonica sit, ut hanc controversiam ipsi Novatores fecêre, tot Libros, & Canones eradendo. Ejusmodi difficultates circa traditiones occurrere possent: igitur neces-

ſaria eſt *regula viva*, quæ in his ac ſimilibus infallibilis ſit judex : Non poteſt autem privata perſona ejuſmodi judex eſſe, cum infallibili judicio, ſed publica ſit oportet perſona, & regula à Deo ſtatuta, quales Pontifex, & Epiſcopi ſunt in Concilio plenario, qui univerſalem Eccleſiam repræſentant; cui juxta tot promiſſiones Chriſti aſſiſtentia Spiritus ſancti, ne errare poſſit in fide, promiſſa, & præſtò eſt.

Accedit quod Scriptura ſe habeat per analogiam ut lex ſcripta Juris Civilis, aut Canonici; & ſicut lex ſcripta norma tantum eſt & regula muta, ſecundùm quam judex in decidendis controverſijs procedit, ac vivâ voce decîdit: Ita Scriptura non eſt judex, ſed norma, quam judex ſequitur; & ſicut lex ipſa controverſias, quæ de ipſius legis ſenſu moventur, non decîdit, ut partes litigantes intelligant, utri cauſa adjudicata ſit, cùm id judex facere debeat vivæ vocis, & ſententiæ pronuntiato: Ita Scriptura non judicat inter partes litigantes, ſed id ab aliquo judice fiat neceſſe eſt: Neque hæc res probatione indiget, cùm experientia ſit evidens: enimverò Lutherani, Calviniſtæ, Zwingliani, Puritani, Anabaptiſtæ, & omnes per Europam ſectarij ad Scripturam, ut judicem controverſiarum appellant, & jam à centum annis ad hunc judicem appellarunt: neque tamen inter ipſas litigantium partes adhuc conſtat, apud quam ex his omnibus ſectis ſit veritas, & juſtitiæ cauſa. Imò ipſi Lutherani inter ſe diviſi, & Calviniſtæ inter ſe diviſi, & Anabaptiſtæ inter ſe diviſi, litigant inter ſe, apud quam partem ſit doctrinę Apoſtolicæ veritas: & nulla adhuc concordia, quia nulla adhuc ſcripturæ inter ipſos deciſio. Ita ad extremum diem judicij litigabunt ex ſcriptura: & quo longius litigando procedunt, eò longiùs inter ſe diſcordes & diſcerpti in ſectas abeunt. Nimirum *verbo* ſolam ſcripturam judicem faciunt, & *re ipsâ* nullum judicem agnoſcunt: quando quiſque propriam interpretationem, & privatum ſpiritum ſibi judicem relinqui vult. Quid futurum, ſi Lutherani, Calviniſtæ, Zwingliani, Anabaptiſtæ in Germania; Trinitarij in Vngaria, & Tranſylvania; Confeſſioniſtæ, & Puritani, Independentes & centum in Anglia ſectæ, in unum Concilium univerſale convenirent, & Scripturam ſacram in medio collocarent, tanquam judicem in throno ſuo, quale chaos ſententiarum & hæreſeôn videres! ſperandumne ex omnibus illis ſectis poſſe unam aliquam ſinceriorem conflari, quæ veritatis pollicitationem præ alijs obtendere poſſet. Citiùs mundus in antiquum chaos reſolvetur, quàm id chaos in unam fidem componatur.

Jam verò in Ecclesia Catholica, quia hæc *animata regula* & hic *Judex* controversiarum recipitur, ideo in una confessione fidei per totum orbem Christianum inter tam diversas nationes ab ipso Apostolorum ævo, ad hunc diem concordia & consensio: Non aliunde, quia ab uno Spiritu regitur, & omnes unam auctoritatem in Concilijs Oecumenicis agnoscunt, à qua statuatur, quid ex fidei controversijs credendum sit, sine qua, ut rectè Suarez inquit, impossibile esset Ecclesiam in una fide conservari, qualem Christus in ea esse voluit. Hoc nimirum illud Cypriani, Epist. 69. *Inde schismata & hæreses oriuntur, quòd Episcopus qui unus est, & Ecclesiæ praeest, superbâ contentione contemnitur.* Seu ut alibi: *Quia unus non cogitatur Episcopus, qui vice Christi sit judex.* Ita Hieronymus contra Luciferianos: *Si non sit in Ecclesia una eminens potestas, tot futura sunt schismata, quot sacerdotes.* Ita cæteri Patres. Et ratio est: Si Ecclesia in Concilijs Oecumenicis, in quibus agitur de dogmatibus ad salutem necessarijs, destituatur à Spiritu sancto, quæ erit providentia divina pro Ecclesia, quæ promissionum Christi veritas? quæ fiducia & certitudo? quis omnium controversiarum exitus? nisi, ut S. Augustinus dixit, lib. 32. contra Faust. c. 39. *Suus unicuique animus auctor sit, quid in unaquaque re probet aut improbet.* Scribit Lutherus in assertionibus: *Rem insanam esse quod Concilia velint constituere quid credendum sit.* Contra Augustinus Ep. 162. & 118. *Insolentissimæ insaniæ est, disputare an faciendum sit, quod universa observat Ecclesia,* aut quod in Concilijs plenarijs decretum est. Quare S. Gregorius lib. 1. c. 2. *Quatuor prima Concilia Generalia, tanquam quatuor Evangelia recipienda esse* docuit. Ita & *Carolus M.* cum Hadriano Pontifice contra Elipandi hæresim ad Concilium appellavit, quod judicium Patres immutabile & ultimum appellant, à quo non detur provocatio.

At inquiet quispiam: si ab hac *Regula animata* omnia pendent, ergo cæteræ regulæ, quæ in *Scriptura*, *Traditione* & *consensu Patrum* statuuntur, supervacaneæ erunt. Ad quid enim regulæ mortuæ, ubi vivum oraculum præstò est? At non ita se habet: Nam *regula viva* non excludit necessitatem aliarum, quòd hæc *regula viva* non doceat Ecclesiam per novas, & privatas revelationes; ideo indiget *Scripturâ*, *Traditione*, & *consensu Patrum* ad docendum. Quapropter Pontifices, & Concilia in declarando fidei dogmate, secundùm hasce regulas procedunt: ita igi-

tur mutuò hæ regulæ se juvant, habentque se, ut excedens, & excessum: facitque hæc regula viva, ut quod in Scriptura est certum, *quo ad se*, id per declarationem Ecclesiæ reddatur certum atque evidens *quo ad nos*. Hæc paucis de proposita controversia, de qua multis Bellarminus, Suarez, Becanus, Valentia, Stapletonus, alijque Theologi ac Scriptores. Nondum repertus ex novatoribus, qui immotum hoc fundamentum concuteret, & si vel unicum hoc *religionis principium*, in quo omnis cardo controversiarum vertatur, caperent, admitterentque adversarij, brevi omnes lites conquiescerent, redirentque omnes in concordiam cum Catholica Ecclesia, & ad gremium Matris suæ, ex quo primi errorum magistri per tot dissidia religionis, & cruenta bella exierunt.

DE LIBRIS CAROLINIS.

MAgno passim novatores plausu Carolinos, ut vocant, libros producunt, quòd in ijs reperisse se jactitent, quæ Lutheranam doctrinam ex Caroli ævo, & Caroli sensu comprobent. Hos inter Nisanius cum antiquis, ut solet, & putridis, totiesque rejectis mercibus, prodit in forum suum scrutarium. Tres potissimùm de hisce IV. Libris, qui contra cultum imaginum, tempore Caroli M. conscripti circumferuntur, sunt sententiæ. Prima quorundam Catholicorum, qui opinati sunt, eos omninò post tempora Lutheri conscriptos esse, quorum opinatio passim reijcitur: Tum quòd ex priscis scriptoribus sint, qui eos viderint: Quin Steuchus Bibliothecarius refert, eos adhuc asservari in Bibliotheca Romana: tum quòd Hadrianus Pontifex eos refutarit, ut constat ex ejus epistola ad Carolum M. Denique quod Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis à se lectos fateatur. Interim magna suspicio eos ab hæreticis nostris esse corruptos. Certè inscriptio Caroli M. non est, sed vel Goldasti Calvinistæ, aut aliorum Novatorum manus accessit. Altera sententia est Novatorum nostrorum, qui eos libros Carolo M. adscribunt, quæ falsa prorsus est, ut jam ostendemus. Tertia demum ac vera Catholicorum sententia est, asserentium hosce libros esse hęreticorum eorum, qui tempore Caroli M. cultum imaginum impugnarunt. Quocirca Carolini non sunt libri, sed pseudo-Carolini, ab hæreticis nostri sæculi Carolo M. falsò attributi.

Res

Res ita se habet: sub id tempus, quo Concilium Francofurtense agebatur ab Episcopis Galliæ, & Germaniæ, præsente Carolo M. adversus Elipandum Hæresiarcham, oblati sunt Carolo M. vel occultè, vel palàm libri adversus cultum imaginum cumprimis conscripti, auctore incerto: quia ut Baronius & alij censent, varij eorum librorum fuere auctores hæresi infecti, creduntur que fuisse discipuli Sereni Episcopi Massiliensis, à quo cultus imaginum oppugnari cœpit, tempore Gregorij M. ad quem propterea extat præclara illa Gregorij M. epistola, l. 7: epist. 9. cultum imaginum defendentis. Libros hosce in fasciculum colligatos, ob errores, suspectasque hæreses Carolus M. per Engelbertum Abbatem Romam ad Hadrianum Pontificem misit, quemadmodum Carolus M. solitus in omnibus fidei controversijs consulere Apostolicam sedem. Pontifex acceptis libris Carolo respondit, & ex professo libros illos confutavit, interque cætera exclamat: *O insania frementium contra fidem, & Christianam religionem! ut asserant non colere aut venerari imagines, in quibus figura sunt Salvatoris, ejus Genitricis, vel Sanctorum, quorum virtute subsistit orbis atque potitur humanum genus salute.* Ex quibus verbis Baronius rectè conficit, Carolum non esse auctorem, quando Pontifex spicula dirigit in auctores, & hæreticos eorum librorum. Deinde scribit Pontifex: *In hoc Capitulo, qui hæc scripserunt, criminari moliuntur, & contradicere veritati nituntur.* Nec de his dubitari potest, quando hæc Hadriani Pontificis responsio, & confutatio extat in Tomis Conciliorum, passimque in manibus versatur. Accedit Ivo, qui multa ex hoc libro nomine Hadriani in quartam sui partem decreti transtulit. Qua super re multis Alanus, Bellarminus, lib. 2. de Concilijs c. 8. & lib 2. de Imaginibus, c. 15. Baronius ad annum Christi 794. Sirmondus in notis ad Concilium Francofurtense Tom. 20. Conciliorum Regiorum, Gretzerus lib. contra Misenum & Goldastum, Binius, Surius, alijque. Nec alio nomine hi libri Carolini dicti sunt, quàm quòd Carolus miserit ad Hadrianum Pontificem, & Pontifex responsum suum remiserit ad Carolum. Capitularia verò Hadrianus nominat, quod libri illi in diversas contradictiones auctorum, & partes divisi essent, nec cohærerent inter se, uti etiam scabro & hiulco stylo sunt exarati. Sanè si Caroli M. sunt libri, quare nihil ex ijs Ansegisus, nihil Benedictus Levita, inter Capitularia Caroli M. retulit, nihil Amersbachius inter constitutiones

tiones Caroli, aut alius inter Caroli M. monumenta numeravit. Id primùm Novatores nostri, cum Goldasto Calviniano fallacissimo scriptore, commenti sunt.

II. Non fuisse Caroli Magni libros, evidens est ex eo, quòd Hadrianus Pontifex testetur, nihil in ijs libris esse Caroli Magni, præter ultimum Capitulum, quo Carolus Magnus suam prorsus contrariam sententiam, judiciumq; subjunxit ad Hadrianum, hoc ille tanquam aurum à scoria hæreticorum distinxit: Ita enim ex rescripto Hadriani introducitur Carolus, cap. 25. *Vltimum Capitulum est, ut sciat Dominus Apostolicus, & Pater noster, & cuncta simul Romana Ecclesia, ut secundum quod continetur in epistola beatissimi Gregorij, quam ad Serenum Massiliensium Episcopum direxit. Permittimus imagines Sanctorum, quicunque eas formare voluerint, tam in Ecclesia, quàm extra Ecclesiam, propter amorem Dei, & Sanctorum ejus, adorare verò eas nequaquam cogimus, qui noluerint: Frangere vel destruere eas, etiamsi quis voluerit, non permittimus, & quia sensum sanctissimi Gregorij sequi in hac epistola universalem Catholicam Ecclesiam Deo placitam, indubitanter & liberè profitemur.* Hoc Caroli judicium libris adscriptum, fuit dilaudatum ab Hadriano Pontifice in hæc verba: *Hoc sacrum & venerandum Capitulum, multum distat à totis supradictis Capitulis, & idcirco jam agnovimus vestræ à Deo servatæ, Orthodoxæq; Regalis excellentiæ esse proprium, in eo, ubi rectæ fidei plena, penitus confessa est sensum sanctissimum Gregorij sequi.*

III. Libri illi Caroli non sunt, quia multis erroribus respersi sunt: Nam I. auctor Constantinopolim urbem ponit in Bithinia, quæ in Thracia est. II. Asserit Conciliũ pro cultu Imaginũ Constantinopoli celebratum, quod Nicææ est habitũ. III. Affingit Nicænæ Synodo quod sanxerit Euchanistiã esse figuram corporis Christi, quæ iconomachorum istic damnata propositio fuit, ut in libro tertio referemus. Multa præterea hujusmodi absurda reperias in libris illis, de quibus Sirmondus in notis ad IV. Hadriani epistolã, ad Carol. M. scriptam. Vide etiã Bellarm. & alios.

IV. Licet hi libri tempore Caroli M. conscripti fuerint, nullum tamen certum auctoris nomen ab origine sua præferunt: Nec alia hujus rei causa est, quàm quòd Carolo M. ab hæreticis obtrusi fuerint, quos nominis puduit, si quâ fraude simul hæreses suas obtrudere possent. At postquam nostrâ ætate, cum hæresi simul ante quadraginta annos, rursum ex soricum antris producti in lucem operâ Goldasti Calvinistæ,

nistæ, ex bibliotheca ut censent Heidelbergensi, nova illis præfatio attexta est ab auctore, qui se *Eli Phili* appellat: Enimverò si Caroli M. liber, quid hæc ridicula, & insulsa nomina, in quibus sibi mirificè placet Nisanius, tanquam *filius hominis* libros hosce scripserit: quanquam nec à vobis quidem proditum sit, auctorne sit *Eli Phili*, pseudolibrorum an præfationis tantùm: ad quem nos, tanquam ad Rabbinum aliquem remittitis.

V. Ipsi discrepantes librorum tituli & inscriptiones, quas præfixistis, satis fallacias vestras patefaciunt: Nam quæ ex Bibliotheca Tillij affertur inscriptio, sic habet: *Caroli M. Regis Francorum, & Longobardorum, & Patricij Romanorum; filij, & defensoris sanctæ Ecclesiæ Dei, Capitulare, de non adorandis Imaginibus, contra Constantini VII. Imper. & Hirenæ matris decretum & Synodum Nicænam II. pseudo-Synodum Oecumenicam, seu universalem, compositum & publicatum in Concilio Francofurtensi & Hadriano Papæ missum. Anno Domini DCCXCIV.* Quæ inscriptio falsissima, & conficta est à Calvinistis in Gallia, quantumvis obtendatur ex Bibliotheca Tillij Episcopi Meldensis producta. Tum quòd Carolus M. nunquam Synodum VII. Nicænam habuerit pro pseudo-Synodo: tum quòd cultum Imaginum secundùm decreta Synodi hujus nunquam improbârit, sed comprobârit: tum quod Hadriano Pontifici conjunctissimus vixerit, cumque ut oraculum sedis Apostolicæ consuluerit, audieritque in omnibus: Hadrianus verò Papa & Synodum illam, & cultum Imaginum religiosissimè defendat, uti vel ex epistola illius ad Carolum M. planum est, tum vel maximè ex actis hujus Synodi Nicænæ II. quâ nihil aliud actum est, tam à Pontifice Romano, quàm ab Imperatore Constantino, & Irene matre: quàm ut iconoclastarum hæresis damnaretur: quòd is, qui acta ejus Concilij legerit, nisi impudentissimus sit, & mortalium fallacissimus, negare non poterit.

Alter verò titulus, seu inscriptio pseudo-Carolinorum librorum sic habet: *In nomine Domini & Salvatoris nostri IESV CHRISTI, incipit opus Illustrissimi, & excellentissimi, seu spectabilis viri Caroli nutu Dei Regis Francorum, Gallias, Germaniam, Italiamque, sive harum finitimas provincias, Domino opitulante regentis, quæ in partibus Græciæ pro adorandis imaginibus, stolidè sive arroganter gesta est.* Hæc inscriptio non Caroli M. nec Synodi Francofurtensis, sed Goldasti est fallacissimi Calvinistæ, aut alterius hæretici, postquam libri hi ex Bibliotheca Heidel-

bergensi sunt eruti,& ab iisdem hæreticis corrupti, datique in lucem. Et quis ex ipsa inscriptione hæreticum spiritum, & fraudes non agnoscit? Aut quis sanæ mentis homo sibi persuadebit, à Carolo M. Synodum Nicænam appellari, stolidè,& arroganter contra usum SS. Imaginum esse habitam? Aliter longè Carolus de cultu Imaginum sacrarum sensit, ut vel ex uno ejus testimonio paulò ante relato evidens est. Jam verò si Carolini sunt libri, utra inscriptio est Caroli, prima an secunda? si prima, quid facit secunda? si secunda, quid facit prima? Verbo, utraque vel ex hoc ipso conficta,& falsa convincitur. Ecce quibus fraudibus vobis opus est ad incrustandas veteres hæreses, ut eas populo rursus novas obtrudatis. Habetis ex *Caroli M.* ævo, tot Episcoporum *Synodos*, tot *Caroli M. constitutiones*, tot sanctorum Episcoporum, & clarorum virorum scripta: Quid necesse est ad obscuros & projectos priscorum hæreticorum libros nos remittere, qui tot sæculis, ex quo damnati sunt, hæsêre in tenebris? Quis veterum scriptorum de his nugis vestris, de inscriptione, præfatione, auctore *Eli Phili*,& auctoritate istorum librorum meminit? aut quis testimonia ex his unquam libris, ante vestras hæreses produxit? Cæterùm quæ Goldastus hic attulit, ut Alcuino adscribat hosce libros, ea à Gretsero explosa sunt, in gemina replica, nec aliud quàm risum merentur. Præterquam quod stylus librorum *pseudo-Carolinorum* tam diversus sit ab *Alcuino*, quàm Apulei à Tullio, aut Apulei asinus ab equo. Si modò utrumque auctorem aliquando legerit, aut viderit Nisanius. Prodit tamen ille nobis cum suo Cassandro, eò quòd is hosce libros repererit Romæ in Bibliotheca Vaticana,& *Alcuino* Caroli M. præceptori adscribat. Fecerit hoc Cassander, nec ultra ejus testimonium accipimus, quàm somnium. Quo veteri ejus sæculi auctore id probat? quo argumento? prorsus nullo. Vt tam falsò hi libri adscribantur *Alcuino*, quàm *Carolo*, quorum una semper in Catholica fide,& cultu Imaginum pro Nicæna Synodo defensio fuit. Magnis interim laudibus Cassandrum attollis, virum scilicet, qui à Cæsaribus sit consultus. Scio, magnus aliquamdiu in ore hominum Cassander, compositionem religionis pollicitus inter Catholicos,& Lutheranos, tanquam Dictator aliquis, ut eluderet omnes, cùm nec ipse sincerè Catholicus, nec Lutheranus, nec Calvinista esset. Celebres quidem eâ tempestate triumviri *Erasmus, Cassander, VVicelius:* sed *amphibii, ambigui*, & inter *sidera errantia* recensiti, qui nulli certæ religioni se addixere: *Spiritus S. posuit Episcopos*

regere

regere Ecclesiam Dei, non illos *profanos, philologos,* & *criticos* homines. Horum deliramenta, vestræ fidei sint dogmata.

Demum si Carolinis hisce libris stare placeat, oportet ut & cætera etiam recipiatis: Nam in his libris apertè docetur supremum judicium in controversijs fidei pertinere ad Romanum Pontificem, eumque non à Concilijs, sed à Deo ipso habere primatum. Exorcismum adhibendum Baptismo: templa certo ritu dedicanda esse: orandum pro defunctis: Sanctos invocandos: Reliquias venerandas: chrismatis, aquæ, salisque benedicti usum retinendum in Ecclesia: Eucharistiam esse verum corpus Christi: Christum in Eucharistia esse adorandum, & tanquam verum & proprium Sacrificium esse offerendum. Quæ sanè Catholicæ fidei, non Lutheranæ, aut Calvinianæ sunt dogmata: Nam etsi cultum Imaginum auctores pseudo-Carolinorum librorum improbent, non tamen idcirco cultum Sanctorum, cæteraque Catholicæ fidei dogmata rejecerunt. Tanto nunc vestra hæresis deterior, quæ hæc omnia evertit. Ah miseri, cæcique vos, quibus ab exoletis & scabiosis hæreticis, fidei vestræ dogmata emendicare necesse est!

Postremò Nifanius nobis Sirmondum opponit, quod is scribat, hosce quatuor libros adversus cultum Imaginum negari non posse, qui epistolam Hadriani ad Carolum M. de hisce libris admittunt. Ita sanè est, neque nos negamus illos libros, sed negamus Caroli esse: Verùm quod Sirmondi viri nostro sæculo doctissimi, & celeberrimi de hisce libris sit judicium, & quæ Hadriani Pontificis adversus hosce sit refutatio ad Carolum rescripta, Nifanius callidè supprimit, ut pro ingenio suo fraudem, fucumque incauto lectori faciat. Igitur Sirmondus de utroque in hæc verba: Hadriani Pontificis epistolam ad Carolum M. integram, ex Gallia ad Gregorium XIII. missam hìc exhibemus. *Refutantur in ea quatuor libri, quos discipuli Sereni Massiliensis, primi Galliarum iconomachi, pro impugnandis Imaginibus adversus Nicænam Synodum tempore Concilij Francofurtensis conscripserant, & Carolo Regi Francorum obtulerant, quibus q; per mendacium & calumniam attribuunt Nicænis Patribus: Primo, quod Eucharistia sit imago corporis Christi: Secundò quod Synodus pro Imaginum cultu celebrata ab Hadriano Pontifice non fuerit approbata: Tertiò quod in eodem fuerit definitum, Imagines cultu latriæ esse colendas, & adorandas: Quartò textum Concilij Nicæni falsò allegantes asseruerunt, Constantinum Cypri Episcopum, in eodem Concilio Nicæno ana-*

thema dixisse ijs, qui non adorant Imagines ea adoratione, quâ sanctissima Trinitas adoratur. Hosce quatuor libros, quos Carolinos appellant, quosque per capita distinctos, Hadrianus Papa Capitulare nominat, quibus iconomachia pro viribus defenditur, omnisque cultus Imaginum damnatur, sub nomine Caroli M. quidam impostor Eliphili suo, & typographi nomine suppresso, anno Domini 1545. in lucem emisit. Apud hæreticos nostri temporis maxima eorum est auctoritas, utpote quòd cultum Imaginum impugnent, ut majorem auctoritatem illis concilient, à Carolo M. compositos fuisse magnâ cum injuriâ Regis Christianissimi comminiscuntur. Nam si Epistolam Hadriani perlegas, reperies in ea hosce libros non ab uno aliquo auctore, sed consarcinatos fuisse à pluribus Sereni Massiliensis discipulis, quorum alij alia Nicænæ Synodi Capitula sine ordine impugnârant, atq; ea quæ in unum congesserant, unoq; fasciculo alligaverant postea Carolo Regi obtulerunt, qui dum eos accepisset, per Angilbertum ministrum suæ Capellæ, Pontifici examinandos transmisit: Quod sanè Rex Carolus non fecisset, si ad impugnandam Synodum Nicænam eos ipse conscripsisset. Hæc Jacobus Sirmondus tom. 18. Concil. General. ad epist. Hadriani Carolo transmissam, ex quibus prudens lector facile æstimet, quid de his pseudo-Carolinis libris, & quid de inani Novatorum triumpho sentiendum sit. Quòd si quis deinde ipsam Hadriani epistolam in formam refutantis libri conscriptam pervolverit, quæ Concilio Nicæno tom. 18. Concil. General. subnexa est, intelliget is, quàm Apostolico spiritu, & plenâ veritatis voce pseudo-Carolini libri confutati sint, ex quibus nihil Caroli, præter unũ Capitulum, de quo supra relatum est, agnoscit Hadrianus, quâ in re Carolus M. qui *tota mentis intentione, & cordis alacritate* profitetur, se Apostolicæ sedi inhærere, toti se Pontificis doctrinæ judicioq; permisit. Hæc paucis hic de libris Carolinis: quando adversarius, cæteriq; heterodoxi, multa suæ hæresis dogmata in ijs fundat, tanquã è cælo sibi submissi sint, quos olim Caroli M. tempore iconomachorum hæresis fabricavit, & Novatores nostri, tanquam novo tectorio hæresis opere renovârunt, ut hic illud Ezech. c. 13. de falsis Proph. valeat: *Locuti estis vana, & vidistis mendaciũ .... Ipse ædificabat parietem, illi autẽ liniebãt eum luto sine paleis. Dic ad eos, qui liniunt absq; temperatura, quod casurus sit: .... Destruam parietem, quem linistis absq; temperamento.* Et quid hæreses horum temporum nisi veterum hæresium incrustationes, postquam semel ab Ecclesiæ Catholicæ veritate desciverunt?

LIBER II.

LIBER II.

DE SACERDOTIO CHRISTIANORVM,

SEV

MAGISTRATV ECCLESIASTICO.

ECclesia, de quâ egimus, & Sacerdotium, duæ principes nobis de Religione cum hæreticis controversiæ, inter se indissolubili vinculo connexæ: Nam ut verissimè scripsit D. Hieronymus contra Luciferianos: *Ecclesia non est, quæ non habet Sacerdotes*: & *Sacerdotes non sunt, qui extra Ecclesiam humanâ dispositione* inter hæreticos *ordinantur*: quemadmodum Cyprianus docet. Idemque alibi: *Ecclesia est plebs Sacerdoti adunata*. Iterumque: *Ecclesia est in Episcopo, & Episcopus in Ecclesia*. Idem rursum: *Ecclesia Catholica una est, extra eam nullus Sacerdos, nec Sacrificium, nec salus*. Epist. 6. lib. 1. Et in eâdem epist. *Dicimus omnes hæreticos omnino & schismaticos, nihil habere potestatis & juris in Ecclesia*. Omitto alia sine numero tam hujus sancti Episcopi, & Martyris, quàm aliorum Patrum in hanc sententiam testimonia. Igitur ut Nisanius ad Ecclesiam, ita nunc ad magistratum Ecclesiasticum provocat, quò suis persuadeat, *Carolum M. non fuisse formaliter* Catholicum, seu, ut illi dicere placuit, *Papistam*. Quâ in re duplici fraude egit. Primò, quòd dum magistratum Ecclesiasticum proponit, nullam Sacerdotis mentionem, & rationem esse velit: sat gnarus, vel

ipſa Sacerdotis appellatione, hæreſin ſuam confundendam, quæ nec veros Sacerdotes, nec Sacrificium Religionis habeat: imò palàm fatetur Niſanius, cap. de officio Epiſcopi: *Sacerdotes propriè dicti, nec ſumus, nec dici volumus:* eò quòd, ut ipſe ſomniat, Sacerdotium proprium cum Sacrificio Religionis ſublatum ſit ex Eccleſia Chriſtianorum. Quid autem hîc dicet ad illud S. Auguſtini? *Epiſcopi, & Presbyteri, propriè dicuntur Sacerdotes.*: lib. de Civit. Dei, cap. 10. Alterum eſt, quod in magiſtratu Eccleſiaſtico illa tantummodo moveat, quæ faventem quandam ſpeciem hæreſis ſuæ continent: hinc totus eſt in exaggeranda Caroli M. & Principum politicorum poteſtate; ea verò in quibus vis, & nervus, ac totius rei cardo verſatur, ſubdolè præterit. Quapropter uti SS. Patres, cumpriміſque Cyprianus, omnem cum hæreticis cauſam, de falſa eorum Eccleſia, & doctrina, ad Sacerdotium revocat: ita in hac eorum cauſa agendum erit.

CAPVT I.

De triplici Sacerdotio, Legis Naturæ, Scriptæ, et Gratiæ.

TRiplicem ſtatum habuit Eccleſia fidelium, ex quo ab Adamo genus humanum propagari cœpit. Primus eſt *Legis Naturæ*, ab Adamo ad Moyſen. Secundus eſt *Legis Scriptæ* ac veteris, à Moyſe ad Chriſtum. Tertius *Legis Gratiæ*, à Chriſto ad mundi finem duraturus. In *triplici* hoc *ſtatu*, nunquam Eccleſia ſine Sacerdotio & Magiſtratu ſacrorum fuit: ea tamen differentiâ, ut, quemadmodum ſtatus *Legis ſcriptæ* perfectior fuit ſtatu *Legis naturæ*, & ſtatus *Legis gratiæ*, per-

tiæ, perfectior fuit statu *Legis veteris*; *Lex enim nihil ad perfectum adduxit*: Hebr. 7. Ita Sacerdotium per status suos, tanquam per gradus, ad perfectionem atque ad sublimiorem semper potestatem ac dignitatem, ordinante Deo, provectum est: quod eodem modo de sacrificijs in triplici Legis statu, de Sacramentis, cæterisq; Charismatum donis, dixeris.

I. In *Lege naturæ*, Sacerdotes ijdem, qui Primogeniti, familiarum Principes, Patriarchæ, & Reges etiam erant: uti de Abrahamo, Isaaco, Jacobo, & Melchisedecho, præstantissimo illo Christi typo, constat: *Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech*, Psalmo 109. Epistolâ ad Hebræos, c. 7. Ita de hujus statûs Sacerdotio Hieronymus epist. 126. ad Evagrium. Rupertus lib. 5. in Gen. c. 12. Quæ causa cur Apostolus ad Hebræos c. 12. Esau *profanum* vocet, eò quòd primogenituram, quæ sacra erat Sacerdotij dignitas, vendiderit. II. In hoc statu Patriarchalis, & Regia potestas, cum Sacerdotali conjuncta erat, idq; non tam *Lege naturæ*, quàm *jure* aliquo *positivo*, aut *jure Gentium*, aut populorum moribus introductum erat. Qui mos idcirco primùm in *Lege veteri*, deinde in *Lege gratiæ* mutatus est, separataque est potestas Sacerdotalis in aliam personam, quod ad perfectionem *Legis gratiæ* retulit Nicolaus Papa, ad Nicolaum Imperatorem: *Fuerunt hæc ante adventum Christi, ut quidam typici Reges, simul & Sacerdotes existerent: quod sanctum Melchisedech fuisse sacra prodit historia. Sed cùm ad verum est perventum, eundem Regem & Pontificem, ultra nec Imperator, nec Pontifex, usurpavit.* III. In hoc statu non erat propria, & supernaturalis potestas Ordinis, qualis pòst in Lege veteri, ac demum in Lege gratiæ, per consecrationem accessit: tantumque in eo erat ministerium sacrificandi, & intercedendi pro populo apud Deum, quod vel spontè sibi sumere, vel ex consensu populi dari poterat: quando nihil in particulari vel pro Sacerdotio, vel Sacrificio, à Deo præscriptum legitur. Quo sensu Anacletus Papa dicere visus: Abraham, Melchisedech, aliosque per id tempus, *Sacrificium Sacerdotali auctoritate nondum obtulisse.* Par est ratio de spirituali Jurisdictione, quæ ex eo statu incerta traditur, eò quòd in Lege illa nondum determinatis Sacrificijs, aut certo Religionis cultu præscripto, hæc satis gubernativâ temporali potestate comprehensa fuerit. Igitur hæretici, qui cum Nifanio, omnem Ecclesiæ gubernationem tam in politicis, quàm sacris, ad unam politicorum Regum & Principum potesta-

potestatem revocant, proscripta omni potestate Ordinis & Jurisdictionis spiritualis; ad statum *Naturæ*, & infirmissima illa, & egena illius Ecclesiæ elementa, postliminiò revertuntur.

Adhæc, cum nulla gens, aut natio hominum fuerit, quæ non ex *Lumine Naturæ*, aut verum Deum, aut falsos coluerit; hinc nulla etiam gens, quæ non Sacerdotium, & sacrificium ad religionis cultum instituerit: Jam verò [illegible] hæresis ministerium cultûs divini, sine Sacerdotio & sacrificio introduxit instituitque.

II. In *Lege veteri*, ac Moysaicâ, Deus Sacerdotium, multò perfectiùs, quam in *Lege naturæ* fuerat, ordinavit; fecitque ex eo *Regnum sacerdotale*, Exod. 19. In hoc regno, quod Hierarchicum & spirituale erat, quod & à politico Hebræorum principatu & regno diversum erat, summus Pontifex, sacrorum Rex, supremusque Rector ejus Ecclesiæ, moderatorque à Deo est constitutus. Inde ab Aarone, qui primus & ordinarius Pontifex fuit, continua ad Christum usque Pontificum successio. Post summum Pontificem, Sacerdotum Principes, deinde Sacerdotes minores, ab his proximi Levitæ, cæterique altaris ministri, delectaque ad id sacrum ministerium *tribus* Patriarchalis *Levi*, intra quam id sacerdotale regnum carnali propagatione Deus manere voluit. Tum verò post ordinatam novam Ecclesiam per Moysen extraordinarium Pontificem, determinata primùm certa sacrificia, tum nova Sacramenta, tum vestes sacerdotales præscriptæ, tum inuncti Sacerdotes, consecrati Levitæ, erecta altaria, cæteræque cærimoniæ ad cultum religionis institutæ; uti hæc omnia in Levitico, ac sacris libris leguntur; omniaque Sacerdotij novi testamenti figura fuêre, teste Apost. 1. Corinth. 10. *Hæc omnia in figura contingebant illis.* Tum primùm Pentateuchus, & sacri libri à Moyse conscribi cœpti, datumque Sacerdotibus munus interpretandi Legem, & docendi populum: Quam in rem cœtus populi ad synagogas, ad publica sacrificia, ad festos dies, & communem religionis cultum convocari jussus. Ad hanc Ecclesiæ formam, quæ typus & figura erat Christianæ Ecclesiæ, si hæreticorum Ecclesias expendas, quantum vel à typo diffident, in quibus nec Sacerdotium nec Sacrificium, nec Pontifex unus, nec Sacerdos verus, nec cætera quibus vera religio constituitur: Et tamen hi illi sunt, qui veritatem nobis pollicentur, cùm ex veritate ne ad typos quidem accedant. Ordinatior certè, & pulchrior hæc vetus Ecclesia, quàm ulla hæreticorum Ecclesia.

Demum,

Demum, quod hic maximè propositum est, Pontifici, & Sacerdotibus veteris hujus Ecclesiæ, data est à Deo *sacra Potestas*, diversa à politica Principum & Regum Potestate: non modò ad sacrificia, & altaris munia, sed ad populum gubernandum, ad Concilia Sacerdotum convocanda, ad judicia ferenda, ad Legem declarandam, ad prævaricatores Legis puniendos: Deut. 17. *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto judicis, morietur homo ille.* 2. Paralip. c. 19. *Amarias Sacerdos, & Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit: porrò Zabadias, &c. super ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent.* Rursum 2. Paralip. cap. 26. Ne Oziæ quidem regi permissum thus adolere, id cum ille tentaret, prohibuit Azarias Sacerdos: *Non est tui*, inquiens, *officij Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujuscemodi ministerium: egredere de sanctuario. &c.* Inde mox lepra punitus à Deo Rex Ozia, rectéque in eum Chrysostomus, homil. 4. de verb. Isa. *Mane intra terminos, alij sunt termini Regum, alij sunt termini Sacerdotij: hoc regnum illo majus est.* Et rursum: *Major hic Principatus, propterea Rex caput submittit Sacerdotis manui:* Quemadmodum & in veteri Testamento à Sacerdotibus inungebantur Reges. Atque hæc Pontificum potestas in veteri Lege etiam regum potestate excellentior erat, tum quòd Pontificatus etiam legalis, proximè ad Deum & sacra ordinatus erat, Regum ad homines & politica: tum quod Pontifex religionis opera, Rex justitiæ tractaret: præstat autem dignitate, Religio Justitiâ: Tum quòd Pontificum potestas immediatè à Deo data, Regum à populo & communitate originem trahat, ut multis hæc exponit Suarez, Lib. 3. Defens. Fid. c. 26. cæterique Theologi.

III. In Lege gratiæ, Sacerdotium Christianorum multò excellentius, multòque sublimius à Christo institutum est, quàm in ullo Legis statu fuerit: Quippe *Moyses fidelis erat in omni domo*, Hebr. 3. Sed *tanquam famulus, Christus verò tanquam filius in domo sua.* Idemque sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, Psal. 109. Hebræ. 7. Inde quod regnum Sacerdotale erat in veteri Lege, id in Lege gratiæ factum est *regale Sacerdotium*, 1. Pet. 2. *Vos genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Joan. 1 *Lex per Moysen data est, Gratia & Veritas per IESVM CHRISTVM facta est.* Imò & Apostolus Rom. 8:

Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? inde nunc in Lege gratiæ, nova omnia à Christo sunt instituta; novum videlicet Religionis Sacerdotium, novum Religionis sacrificium, in corpore & sanguine Christi, nova Ecclesiæ Hierarchia, & novus ministrorum sacrorum Ordo, nova Sacramenta, novi ritus & cærimoniæ, nova Lex, novum verbũ Dei, scriptum & traditum, novum testamentum ac fœdus, novus Spiritus: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum,* Joan. 3. nova gratia: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia,* Joan. 1. novum vitæ genus, in castitate & sanctitate Sacerdotum, nova consecratio & unctio Sacerdotum, nova consilia in tanta & tam innumerabili religiosorũ hominum utriusq; sexûs multitudine: verbo, ut cætera prætermittam: *Ecce nova facio omnia.* Perinde, ut Apoc. 21. *Vidi sanctam civitatem Jerusalem novam, descendentem de cælo à Deo, paratam, sicut sponsam ornatam viro suo:* Sponso videlicet Ecclesiæ suæ, qui est Christus, ipse Dei filius, idemque primus Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech; idem Pontifex, uti toties appellatur ab Apostolo, ad Hebr. c. 1. 4. 6. 7. idem auctor, de quo agimus, regalis Sacerdotij, idem victima cruenti & incruenti sacrificij. Planissimè de utroq; ad Heb. c. 7. *Translato enim Sacerdotio necesse est, ut & legis translatio fiat.* Enimvero, quæ hic Lex cum Sacerdotio translata? non *Moralis,* quæ decem præceptis continetur: hæc enim quia *Naturalis* est, in omni statu immutata mansit, ideóque à Christo confirmata & perfecta fuit. Non *Judicialis,* de illa enim Christus non disposuit: superest ergo *Cærimonialis,* in qua primum est Sacerdotium & sacrificium, quæ duo ob divinam ordinationem in omni Lege conjuncta semper fuêre, ut filius & pater, servus & Dominus; haud secus, quàm apud omnes gentes ex naturæ lumine cognita sunt, & conjuncta fuerunt. Igitur cum per analogiam in *Lege gratiæ,* omnia perfectiora, præstantiora & sublimiora sint, quàm in ullo Legis statu fuerint, *(nihil enim ad perfectum adduxit Lex* Hebr. 7.) necesse est, ut & Sacerdotium longè perfectius & sublimius sit, tantumque superet Sacerdotium Legis Mosaicæ, quantum veritas typo, lux umbræ, divina humanis, cælestia terrenis præstare debent. Hæc autem præstantia & eminentia non aliunde magis constat, quàm ex potestate in verum Christi corpus, & mysticum, quod est Ecclesia, seu ex potestate Ordinis & Jurisdictionis,

risdictionis, uti hæc Catholici Doctores, Scripturæ interpretes, Theologi, & res ipsa commonstrant: quæ tam divina & sublimia sunt in Ecclesia Christi, ut D. Thomas rectè scripserit in epist. D. Petri: *In Lege gratiæ Sacerdotium eminere supra regnum, totamque religionem in Sacerdotio subsistere.* Quemadmodum D. Hieronymus suprà introductus dixit: *Ecclesiam esse non posse, quæ Sacerdotes non habeat.* Planè Augustinus, lib. 20. de Civit. Dei, c. 10. *Episcopi & Presbyteri propriè Sacerdotes dicuntur.* Vniversim verò S. Augustinus lib. 2. qq. Evang. c. 40. de Sacerdotio Christianorum; *Sacerdotium,* inquit, *Iudæorum nemo fidelium dubitat, figuram fuisse futuri Sacerdotij regalis, quod est in Ecclesia.*

Quid ad hæc heterodoxi, quid Nifanius? *Sublato,* inquit, *Sacerdotio, Sacerdotes propriè dicti esse nolumus.* Bona hæresis tuæ professio! Apostolus dicit: *Translato Sacerdotio,* tu contrà dicis, *sublato Sacerdotio.* Cui nunc credemus? tibi, an Apostolo? Apostolus Sacerdotium ex Lege veteri ad Legem gratiæ translatum scribit, tu sublatum asseris. Unde hæc potestas apud vos abrogandi Sacerdotium? quod ex Christi instituto totus orbis Catholicus credidit, & Saxonia à Caroli M. ævo professa est, donec Lutherus primum Sacrificium ex Lege cærimoniali abrogaret: sublato enim propriè dicto sacrificio religionis, necesse habuit & Sacerdotium propriè dictum tollere. Quo verò consultore & auctore id fecerit, constat inter cætera, ex ejus disputatione cum diabolo, & propria ipsius confessione.

Dicis: *propriè dicti sacerdotes esse nolumus.* Contra Isai. c. 66. ubi de Ecclesia Christi vaticinatur, scribit: *Assumam ex eis Sacerdotes & Levitas.* Hîc nomine Sacerdotum, *Ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei,* designat Apostolus. Ita legis in omnibus Concilijs, Patribus, & scriptoribus, & quotquot Patres de ipso Sacerdotio scripserunt; quos inter D. Chrysostomi sex libri de Sacerdotio in manibus sunt, quemadmodum id usus ab Apostolorum ævo per totum orbem Christianum obtinuit. Quod si ad Carolum M. appelles, centum tibi testimonia sistam, ex Synodis Carolinis & Capitularium libris, in quibus nihil frequentius legas, quàm *Pontifices* & *Episcopos, Presbyteros* & *Sacerdotes, Levitas* & *Diaconos.* Fatendum quidem, nomen *Sacerdotis* Apostolos sibi sub initium non sumpsisse; id verò factum, ut Bellarminus, alijque docent, quòd tum in templo Hierosolymitano offerretur adhuc

more Judæorum. Igitur, ne confunderentur cum ijs Sacerdotes *novi Testamenti*, nomine *Sacerdotis* abstinuerunt : quod tamen postea toto orbe Christiano invaluit, fatente etiam Calvino & Kemnitio, ac nihil frequentiùs in Concilijs ac Patribus, quàm *Sacerdotij* & *Sacerdotis* nomen, quod vel ipsum verum sacrificium quotidie oblatum requirebat.

Atqui, *Sacerdotes estis, sed non propriè dicti*, ut fateris : ergo impropriè estis, id est, *larva* & *umbra Sacerdotum*; uti sanè se res habet. Et minus habetis, quàm Sacerdotes in lege Mosaica, in quibus sacerdotalis potestas, ordinis & jurisdictionis, consecratio & unctio fuit: ita vos ipsos infra *egena* Judaicæ Ecclesiæ *elementa*, umbrasque veritatis, collocatis. O quales hominum impostores! qui tam sublimia & divina munera, quæ à Sacerdotio, & Sacerdotum potestate pendent, quæque in corpus Christi verum ac mysticum, à Christo ad salutem sunt communicata, populo subtraxistis.

Non eò progressi prisci hæretici, ut Ariani, Donatistæ, Montanistæ, Pelagiani, qui Episcopos & Sacerdotes, unàque sacrificium saltem ad speciem retinuerunt: quorum adeò nomina vobis exosa sunt. Imò *Lutherus*, nunquid primò *sacerdos* propriè dictus fuit? ex quo à Catholicis consecratus, tot annos *Missæ sacrificium* obtulit, quod illi in disputatione diabolus objecit. Quæritur nunc, quando ex proprio Sacerdote, improprius esse cœperit, aut quis illi characterē sacerdotalem eraserit?

Nomen quidem *ministerij* in locum *Sacerdotij* obtruditis, sublatoque *Episcopi* & *Sacerdotis* nomine, *Superintendentes*, & *Superattendentes*, *Presbyteros*, *Prædicantes*, & *ministros verbi Dei* vos appellatis, ne fraus populo pateficeret: sed hæc tam inania sunt nomina, quàm commentitium est totum vestrum *ministerium verbi*, sine potestate *Ordinis* & *Iurisdictionis*: ut bene dixerit Cyprianus, hæreticos esse Simias Catholicæ Ecclesiæ; aut ut longè explicatius S. Augustinus : hæreticos *Scripturam & Sacramenta ad speciem tantùm, non ad salutem habere.*

CAPVT II.

CAPVT II.

Monarchia, et Hierarchia Ecclesiæ Catholicæ, eaq; à Carolo M. credita, et asserta.

REgimen Ecclesiæ à Christo Monarchicum esse institutum, docet nos primùm typus veteris Ecclesiæ, in qua *Regnum sacerdotale*, & unus *Pontifex*, supremus Ecclesiæ Rector, cui omnes obedire tenebantur, non modò Sacerdotum Principes, Sacerdotes minores, Levitæ, ac cæteri in illa typica Hierarchia sacrorum Ministri; sed & populus Hebræus omnis, adeoque *Rex* ipse ejus imperio submissus erat. Deut. 17. Christus, qui ex Regno Sacerdotali instituit *Regale Sacerdotium*, cum eo quoque Regimen Monarchicum instituit, longè perfectius, multóque præstantius, quod sub uno *Pontifice* & *Rectore Ecclesiæ* contineretur. Sapienter Justinianus Imperator in Authentica: *Maxima in omnibus sunt dona Dei à supernâ clementiâ; Sacerdotium & Imperium:* atque ut illud Monarchicum est in Politica potestate, ita Sacerdotium quoque Monarchicum esse voluit Christus, in potestate Spiritualis jurisdictionis regendi Ecclesiam. Idem ex Scriptura Novi Testamenti certum est, quæ *Regale Christi Sacerdotium*, multo eminentius nos docet: Hinc eadem scriptura Ecclesiam Christi toties appellat *Regnum* Luc. 1. Joan. 18. uti & Daniel. 2. tam magnificè promittitur: Hinc Ecclesia *exercitus ordinatus*, Cant. 6. *Ovile*, Joan. 10. *Domus*, 1. ad Timoth. 3. *Navis* seu *Arca Noë*, 1. Pet. 2. dicitur; quæ singula *unum Rectorem* poscunt. Et ratio evincit, quod *Monarchia* optima sit forma regiminis præ *Aristocratiâ & Democratiâ*: *Dei autem perfecta sunt opera*, Deut. 32. Ideóque Christus non aliam, quàm hanc, regendi formam esse voluit; multis hoc dogma Christianum ostendit Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontifice ex Scriptura, Concilijs, Patribus, Theologis, Philosophis & historijs; haud secus, quàm innumeri alij scriptores: Neque hactenus

quicquam hæresis attulit, quod non à Catholicis dilutum sit. Qua in rē una praxis Ecclesiæ, & consensus omnium sæculorum & populorum, satis esse debet; ex quo *unius Pontificis* & *Vicarij Christi* regimen ad hunc diem possidemus. *Auctor* hujus *Monarchiæ sacerdotalis Christus*, idemque primus *Sacerdos secundum ordinem Melchisedech*, & idem *Pontifex* ad Hebræ.c.1.&.7. Ab illo sublimis illa, & altioris Ordinis *Sacerdotalis potestas*, qui dixit: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra:* Matt. 28. A Christo hæc potestas in Petrum collata, Christi Vicarium: Nam cui dictum est: *Tu es Petrus*; ei dictum: *Pasce oves meas*; ei dictum: *Tibi dabo claves regni cælorum.* A Petro in successores, Pontifices Romanos hæc potestas descendit. Hoc illud Ambrosij lib.4.de fide, c.3.de Petro: *Cui Christus propriâ auctoritate regnum dabat.* Ita cæteri Patres infrà recitandi.

Quod Christus *Monarchicum* instituit *Sacerdotium*, idem *Hierarchicum* voluit esse in Ecclesia, quæ constaret personis sacris, penès quas esset *potestas Ordinis* & *Iurisdictionis*, ac potestas cumprimis regendi Ecclesiam, de quâ Tridentini Concilij decretum Sess. 23. cap. 6. *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divinâ ordinatione institutam, anathema sit.* Explicat hanc multis cap. 4. *Quod si quis omnes Christianos promiscuè novi Testamenti Sacerdotes esse, aut omnes pari potestate spirituali præditos affirmet; nihil aliud facere videtur, quàm Ecclesiasticam Hierarchiam, quæ est castrorum acies ordinata, confundere: perinde, ac si contra B. Pauli doctrinam, omnes Pastores, omnes sint Doctores.* Ad hunc deinde Hierarchiæ ordinem docet pertinere Episcopos, quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei.* Caput hujus *Hierarchiæ*, summus Pontifex, Episcopus Episcoporum. Intra hanc Hierarchiam non continentur Imperatores, Reges, Principes, & Laici: nam Apostolus dum Epist. ad Ephesios c 4. Ecclesiasticam Hierarchiam describit, ejusque fundamenta, structuram, ministeria, & gubernationes distinguit; numerat Prophetas, Pastores, & Doctores: nullumque intra hunc ordinem *Hierarchiæ* ponit Imperatorem, Regem, Principem; quòd illi proprium gradum non constituant, sed cum Laico populo computentur inter eos, qui *Hierarchiæ* subsunt; non ut ædificent hoc Mysticum Christi corpus, aut regnum: sed qui ædificandi sint cum alijs *ad consummationem Sanctorum.* Haud aliter Carolus M. hoc corpus

pus lib. V. Capitul. Tit. CLXVI. nobis ex Apostolo tradit, quod *per nexus & conjunctiones subministratum crescit in templum sanctum Domino*. Hæc *Hierarchia*, est disposita in modum cœlestis *Hierarchiæ* Angelorum in cælis, quæ in tres *Hierarchias*, & suos deinde Ordines, sub uno Michaële Archangelo & Principe est ordinata; in qua singuli officijs & dignitate divisi sunt, ut docet S. Thomas, p. 1. q. 108. art. 6 Hæc deinde *Hierarchia*, ad typum veteris Ecclesiæ est ordinata, in quâ summus *Pontifex*, Sacerdotum Principes, Sacerdotes minores, Levitæ, cæterique ministri sacrorum: ac tanto perfectior & ordinatior, tantáque sublimiore potestate prædita est, quantum veritas typum excellere necesse erat.

Jam verò Carolum M. non aliam agnovisse aut credidisse Ecclesiam, quàm eam, in quâ summus Pontifex & Vicarius Christi præsederit toti orbi Christiano, in quâ deinde Archiepiscopi, Episcopi, Pastores, & Sacerdotes, cæterique ministri, Ecclesiam administrarunt, id nunc ordine probandum est. Ac primò, quòd *Pontificem Romanum* in hac *Monarchia* & *Hierarchia*, coluerit, *supremum Ecclesiæ Caput* ac *Rectorem*; certum I. ex veneratione, quâ tres Pontifices, Stephanum, Hadrianum, & Leonem, (sub quibus vixit,) ante omnes Archiepiscopos, & Episcopos prosecutus est: Hinc ubique *Apostolicum, Dominicum, & Apostolicæ Sedis Pontificem* appellat, Epist. ad Hisp. Episcopos, Canone LV. Concilij Francofurt. Epist. Caroli M. ad Leonem Papam electum, in qua Hadrianum *Beatissimum Patrem suum* vocat, cujus mortem multis lachrymis se deflevisse fatetur; sicut idem Eginardus de Carolo retulit. Eóq; *sanctissimam Romanæ Ecclesiæ Sedem*, tum in eadē Epist. tum alibi sæpius cōmemorat. II. Id evidens est ex ijs quæ de Primatu Romani Pontificis sanxit; aut sancita cōprobavit in capitulis Hadriani Papæ à Carolo acceptis, & per Franciam promulgatis, tom. 18. Conc. Gen. Paris. can. 3. *Quoniam eadem sedes, testante veritatis voce, primum primatum obtinuit, nec prima diceretur, si aliam supra se haberet; quæ etiam est caput omnium Ecclesiarum, à quo omnes sumpserunt originem. Primatum enim non Synodalibus, aut aliquibus commentis meruit institutis; sed Domino largiente, qui ait, Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Eadem habes lib. 4. addit. capitularium c. 11. Hoc sensu quo jam dixi, Carolus M. lib. 6. Capit. tit. 281. *In memoriam B. Petri Apostoli honoramus sanctam, Romanam, & Apostolicam Ecclesiam, ut quæ nobis Sacerdotalis est mater, dignita-*

dignitatis esse debeat magistra Ecclesiasticæ rationis, quare servanda est cum mansuetudine humilitatis, ut licet vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur jugum, tamen feramus, & piâ devotione toleremus. Quæ verba in Concilio Triburiensi XXII. Episcoporum Saxoniæ & Germaniæ sub Arnulpho Rege celebrato repeti leges Canone XXX. Eadem quoque refert Gratianus in dist. 19. Nauclerus Gen. 2. Serrarius lib. 1. cap. 33. Vides ut hic Carolus Magnus Romanum Pontificem super omnes Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos collocet. Quid adhæc Nisanius? Pontificatus inquit de jure humano concessus est, Pontifici Romano, propter Urbis eminentiam; at quàm falsum hoc sit, vel ex ipso Carolo revincas, qui *ex Veritatis divinæ testimonio, ac voce, Primatum Sedi* illi attribuit: adde Caroli M. dicta factaque omnia, & intelliges ob successionem Petri, Romano Pontifici honorem à Carolo adscribi.

Et verò quia inter Archiepiscopos Primas erat, ne quid hoc nomine Romano Pontifici derogaretur, sancitum Can. VI. in Capitulis ab Hadriano missis ad Carolum ex Africano Concilio, his verbis: *Vt primæ Sedis Episcopus non vocetur Princeps Sacerdotum, vel summus Sacerdos, sed tantum primæ Sedis Episcopus.* Eadem sancita habes lib. 7. Capitularium tit. 341. *Nullus Archiepiscoporum nisi qui primas sedes tenent, appelletur Primas, aut Princeps Sacerdotum, aut summus Sacerdos vel aliquid hujusmodi, sed tantum ille qui in Metropoli sedet, aut Metropolitanus, aut Archiepiscopus vocetur, & ille qui primam sedem retinet, tantummodo primæ sedis appelletur Episcopus, salva semper in omnibus auctoritate Beati Petri Apostoli*, in Romano videlicet Pontifice.

Igitur apud Carolum M. post Pontificem in Hierarchia Ecclesiæ, Archiepiscopi & Metropolitani, quales Carolus in regno Franciæ & Imperio habuit XXI. ut ex testamento Caroli constat apud Eginardum. Quibus etiam ex testamenti tabulis donatio facta. *Nomina verò Metropolitanarum Civitatum*, inquit Eginardus, *hæc sunt, Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum Julij, Gradus, Colonia, Moguntiacum, Iuvanum, quæ & Saltzburgum, Rotomagus, Treviri, Senones, Vesontium, Lugdunum, Remi, Arelatum, Vienna, Tarantasia, Ebrodunum, Burdigala, Turones, Bituriges:* Hæ urbes Metropolitanorum sedes & tot Archiepiscopi in Caroli Imperio. Ne quid hîc de Patriarchis & Primatibus dicam, qui jam tempore Anacleti quarti à S. Petro Pontifice celebrantur in ejus

in ejus Epiſtola tertia, Tom. 1. Conciliorum Generalium Pariſienſium leges.

Sub Metropolitanis & Archiepiſcopis, Epiſcopi provinciales ſinguli ſuis Metropolitanis attributi, quo Hierarchiæ ordine Carolus M. auctoritate ſummâ Pontificis, alios per Saxoniam Epiſcopos à ſe primùm introductos ſubjecit Metropolitano Moguntino, alios Colonienſi, unde in hodiernum diem hic ordo perſiſtit, præter eos quos hæreſis veſtra ſubtraxit.

Sub Epiſcopis cæteri Præpoſiti, Paſtores animarum, Presbyteri, ac Sacerdotes, & Clerus omnis, Monachi & Religioſi, ad infimum uſq; Eccleſiæ miniſtrum cum populo ſubjecti, *Spiritus* enim *Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo* Act. 20. Quâ ſuper re innumeræ ſunt conſtitutiones ex Synodis ſub Carolo habitis, in Capitularium libris, de Metropolitanis, de Epiſcopis, de Presbyteris, Paſtoribus, Sacerdotibus, Diaconis, ac cæteris Eccleſiæ miniſtris, quæ ſi Lutheranus aliquis tantum legat, quod aliud judicium pronunciare poterit, quam Carolum totum fuiſſe Catholicum, & Pontificiæ religionis aſſertorem. Ac ne novum ordinem Sacerdotij Chriſtiani dicas à Carolo M. primum invectum, aut totum illud vitæ genus Sacerdotale à Francis primum cœpiſſe præſcribi, intelliges omnem hujus Hierarchiæ ordinem, omniaque decreta, quæ ad mores & diſciplinam Cleri, tam in Synodis, quàm legibus Carolinis præſcribuntur, vel ex Apoſtolorum conſtitutionibus, vel ex antiquis Epiſcoporum Concilijs, vel ex Pontificum & Sanctorum Patrum ſtatutis deſumi; ut jam non alia Eccleſia per Germaniam & Saxoniam, ac totam Franciam ſub Carolo M. formata videri debeat, quàm quæ ab ævo Apoſtolorum per totum Orientem, totumque orbem Chriſtianum in flore tum erat. Quod ſatis recognoſces, ni cæcus ſis, ſi vel ſolam Epitomen Canonum Orientalium & Africanorum pervolvas, quam Hadrianus Pontifex uno volumine comprehenſam, anno Chriſti DCCLXXIII. per Ingilramum Metenſem Epiſcopum Carolo ſubmiſit, & Carolus cum Epiſcopis communicatam per totam Franciam promulgari voluit. Hic verò, ut recognoſcas, quàm antiqua hæc ſit Hierarchiæ forma ab ipſo Chriſto & Apoſtolis ordinata ſub uno Pontifice, in Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis ſeu Metropolitanis, cæteriſque Epiſcopis, & Eccleſiæ miniſtris: ſiſto tibi

ſto tibi Anacletum, quartum à S. Petro Romanum Pontificem, & ſupremum Patriarcham. Is ita in Epiſtola 3. citata: *Epiſcoporum ordo unus eſt, licet ſint Primates illi, qui primas Civitates tenent, qui & in quibusdam locis Patriarchæ à nonnullis vocantur; illi autem, qui in Metropoli à beato Petro Apoſtolo ordinante Domino, & à prædeceſſore noſtro prædicto Sancto Clemente, ſeu à nobis conſtituti ſunt, non omnes Primates, vel Patriarchæ eſſe poſſunt. Sed illæ urbes quæ præfatis, & priſcis temporibus Primatum tenuere, Patriarcharum aut Primatum nomine fruantur. Reliquæ verò Metropoles Archiepiſcoporum, aut Metropolitanorum, & non Patriarcharum, aut Primatum utantur nominibus.* Ac paulò poſt: *Hæc verò Sacroſancta Romana, & Apoſtolica Eccleſia, non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Salvatore noſtro Primatum obtinuit, & eminentiam poteſtatis ſuper univerſas Eccleſias, ac totum Chriſtiani populi gregem aſſecuta eſt. Sicut ipſe B. Apoſtolo Petro dixit: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam: Et tibi dabo claves regni cœlorum,* Matt. 16. Ita Anacletus à S. Petro Presbyter ordinatus, & Martyr. A quo nunc certius Hierarchiam & ordinem Eccleſiæ diſcemus? quàm ab eo, qui à S. Petro edoctus, ejusdemq; Succeſſor fuit: ut jam facilè prætermittam, quæ tot libris, ac tomis de Eccleſiæ Hierarchia conſcripta ſunt. Quos inter Azorius tom. 2. lib. 3. *Tanta,* inquit, *amplitudo, tanta Eccleſiæ majeſtas fuit in Hierarchia ſua, vel ab ipſis naſcentis Eccleſiæ exordiis ad hunc diem.*

At quæ nunc Monarchia, & Hierarchia Eccleſiæ apud Lutheranos? prorſus nulla. Quot enim regna & provinciæ, quot Comitatus, & liberæ Imperij urbes, tot ſuprema religionis & Eccleſiarum capita, cum ſuprema poteſtate regendi Eccleſias. Hinc illa dogmatum & cærimoniarum diverſitas: Contra in Eccleſia Catholica, quia ſub uno Eccleſiæ Capite & Vicario Chriſti omnium Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Paſtorum toto orbe Chriſtiano, una fidei, & Monarchiæ hujus profeſſio; hinc illa admirabilis in doctrina & cærimonijs concordia, ut nec Sacerdotes uſpiam ſine ſacrificijs, nec ſacrificia ſine ſacris veſtibus, nec altare ſine accenſis cereis videas.

II. Niſanius tres Miniſtrorum gradus admittit, Superintendentum, Presbyterorum & Diaconorum. Hos etiam à Gregorio de Valentia agnoſci gloriatur. Verùm ſi quæras I. an ſacrati ſint homines illi, qui

qui Hierarchiam integrant? reperies prorsus nullâ consecratione præditos. II. Si quæras an Superintendentes & Presbyteri faciant duos gradus, & ordines? respondet Nisanius, inter Episcopos & Presbyteros nullum esse discrimen: ergo Superintendens & Presbyter, unum gradum solum faciunt ob εὐταξίαν quandam, ut inquit, eoque humana apud se constitutione Superintendentem præferri, qui tamen re ipsâ non sit major presbytero, seu vulgari Prædicante. Ipse verò Superintendens, cum sub nullo alio sit superiore Hierarchico, non tam Superintendens, quàm Independens erit, & summus in Ecclesia sua Pontifex. Alibi etiam Generales Superintendentes videas introductos, qui Prædicantum & Superintendentum quasi Archiepiscopi sint. Vtrumne hi intra Presbyteri etiam gradum contineantur, credo ipsos nondum definijsse. Alter gradus Diaconorum relinquitur, verùm cum illi nullo vel in speciem ritu consecrentur, & laici tantùm sint, œconomi, & curatores templorum ac redituum, nullo modo ad Hierarchicum ordinem spectare possunt. Nam si veterem legem consulas, Levitæ, seu Diaconi, olim non minus quàm Sacerdotes consecrabantur, quod in lege Christi non minus observatum leges ex Christi & Apostolorum præscripto, ex Concilijs & praxi totius Ecclesiæ. Horum munus Sacerdoti sacrificanti assistere, & ministrare, populo Eucharistiam distribuere, tempore sacrificij Evangelium legere, baptizare etiam, & prædicare, quâ super re Bellarm. lib. I. de Clericis, c. 13. ac cæteri Theologi, scriptoresque. Nihil horum apud vos Diaconi præstant, nisi fortè, quòd Prædicantibus, æditui in modum operam in templo præstent. Caroli M. Synodos, libros Capitularium, & constitutiones si consulas, eadem reperies, & centum hac super re testimonia adsunt: perinde ut de Subdiaconis, cæterisque altaris *ministris*, quorum ne vestigium amplius in vestra Ecclesia superest.

Præterea asserit Nisanius, ad Hierarchicos suæ Ecclesiæ status, spectare eos, à quibus ministrorum electio fit; atque hanc cum à populo doceat fieri debere, necesse est, ut Consules, Senatores, mercatores, & tota plebs in Hierarchicum ordinem admittātur: & si à politicis Principibus fiat, à quibus Pastores & Ecclesiæ ministri illis ex jure patronatus, aut alia potestate imponuntur; non modò Lutherani, sed & Catholici, & Calviniani Hierarchiam Lutheranę Ecclesiæ ingredientur. Quemadmodum Nisanius in libro adversus Labbadæum fatetur, se à Reformatæ re-

 ligionis

ligionis Principe, suæ Ecclesiæ præstitutum esse. Hinc in Consistorijs vestris, in quibus tractantur, & ordinantur res Ecclesiasticæ, apud vos non modò profani, meriquelaici, sed Calvinistæ cum Lutheranis mixti resident judices, rectoresque Ecclesiæ vestræ: Et tu qui Episcopum agis Lutheranum, tantum consistorialis munus inter gregarios obtines, qui in hoc congressu primas esse deberes, siquidem apud vos valeret illud Apostoli Act. 20. *Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Sed justo Dei judicio, ex quo Sacerdotium est proscriptum à vobis, neque tu Episcopus verus, nec sacerdos es, nec clericus quidem vocatus in sortem Sanctorum, qui veram Ecclesiæ Hierarchiam ingredi possit. Ecce quas larvas Ecclesiæ nobis introduxistis, postquam semel à Catholica & vera Christi Ecclesia recessistis, ut rectè scripserit August. hæreticos ordinem sine ordine sibi vendicare: ita enim in qq. N. & V. testamenti q. 110. *Eorum qui extra Ecclesiam, vel contra Ecclesiam sedes sibi instituerunt, cathedram pestilentiæ dicimus: nam & ordinem ab Apostolo Petro cœptum, & usque ad hoc tempus per traducem succedentium Episcoporum servatum perturbant, ordinem sibi sine origine vendicantes, hoc est, corpus sine capite profitentes, unde congruit etiam eorum sedem cathedram pestilentiæ appellare.* Cætera quæ ad hanc Ecclesiæ Catholicæ Hierarchiam desideres, legi poterunt, apud Cardinalem Pallavicinum, 3. parte historiæ Tridentini, aliosque innumeros Theologos ac scriptores: Et vel ex ipso Tridentino Sess. 23. Can. 6. cognosces; *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divinâ ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & ministris, anathema sit.*

Demum in Dania, & Suecia, ubi Lutherana religio vestra colitur, retinentur Archiepiscopi, & Episcopi. Quare tu cùm Danus sis, hîc aliam nobis formam Ecclesiæ tuæ introducis? Quare te Superintendentem populo Lutherano obtrudis, nec Episcopus appellari vis? qui tamen Episcopi munus tibi vendicas. Deinde, Lutherani illi Archiepiscopi, & Episcopi, in Dania, & Suecia, faciuntné diversum gradum à Presbyteris vestris, vel non? Si faciunt, ergo præter Presbyteros alius & superior gradus est apud vos. Si non faciunt, ergò, quilibet Presbyter apud vos, ac prædicans re ipsâ est Episcopus, & Archiepiscopus. Quæso te Nifani, redeas primùm in Daniam, & inde nobis referas, an in hoc dogmate conveniat transmarina vestra Ecclesia, cum Saxonica?

CAPVT III.

CAPVT III.

De sacerdotali, et spirituali potestate Ecclesiæ Catholicæ.

Hierarchia Ecclesiæ, de qua diximus, non solum in Episcopis, Presbyteris, cæterisq; ministris, ac sacratis Deo personis, sed cumprimis in sacra eorum, & spirituali potestate regendi Ecclesiam consistit; id enim ipsum Hierarchiæ nomen, quod sacrum regimen sonat, primâ statim fronte patefacit. Nota de hac potestate controversia est Catholicos inter, & heterodoxos horum temporum. Heterodoxi, uti sublata potestate ordinis, veros Episcopos, & Sacerdotes, cæterosque Ecclesiæ consecratos ministros sustulerunt, ex quibus hierarchicus ordo componitur; ita ipsam potestatem sacram, & jurisdictionem tollunt, nullamque aliam in suis Ecclesijs agnoscunt, quàm civilem, & politicam jurisdictionem, quæ penès Imperatores, Reges, Principes, & Magistratus politicos sit, in regenda & ordinanda Ecclesia. Hinc Nisanius quoque cum suis, illam supremam, & universalem potestatem, quæ apud Catholicos est in Pontifice Romano, regendi universam Ecclesiam, transfert ad Imperatores, & Reges, eóque Carolum M. asserit habuisse potestatem in ipsum Romanum Pontificem, & Episcopos; Ea deinde, quæ in Episcopis est potestas, hanc transferunt heterodoxi in Principes, & civiles Magistratus: quod verò nobiscum legant in Scriptura, Act. 20. *Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, nihil ad se pertinere volunt. Inde fœda illa anarchia, & confusio in ipsorum Ecclesijs à Luthero primùm introducta; in qua nec Monarchia per vicarium Christi, & supremum Ecclesiæ caput, nec hierarchia per Episcopos, & cæteros Ecclesiæ præpositos: quo turbamento nihil potuit hæresis pernitiosius, atq; exitialius invehere, ad laxandam illam divinam compagem, & juncturam, qua totum Ecclesiæ corpus Apostolus, cohærere,

hærere,& subministrari, dixit Ephes.4.donec postremùm multò furiosior Anabaptistarum hæresis accederet , atque ipsam etiam politicam Regum & Principum potestatem tollendam doceret; qua super re Bellarm.lib. de Laicis. Hæc nunc paucis exponam, cætera cap.xv. planiùs referentur.

I. Duplex igitur in Republica Christiana est potestas, altera politica Regum,& Principum, quæ etsi à Deo sit,ut Rom.13. docet Apostolus: *Non est potestas nisi à Deo,*Sap.6. *Audite Reges, quoniam data est à Domino potestas vobis.* Non tamen eam immediatè à Deo Rex,vel Monarcha secundum ordinariam legem accepit, sed mediante humanâ voluntate, & institutione: quippe hoc ipso quod Deus homines in societatem vitæ congregavit,jus dedit eligendi sibi rectores. Inde ductu naturæ ab alijs Monarchia, ab alijs Aristocratia,ab alijs Democratia introducta est,quod egregium Theologiæ axioma docet esse Suarez lib.3. de primatu Pontif.c.2.quam in rem multos Theologos adducit,multisque rationibus confirmat:quæ hoc loco non disceptamus, cum adversarius non controvertat, dummodo advertat hanc potestatem versari directè, & ex instituto circa temporalia, ut justitia,&pax, & quæ eò referuntur, conservetur inRepubl.Hæc potestas residet penès Imperatores,Reges, Principes ac Magistratus politicos : hanc quoque Pontifex , & multi Episcopi per Germaniam,& Saxoniam communicatam ab Imperatoribus,& Regibus habent, in quantum simul sæculares sunt Principes ac Domini.

Altera igitur spiritualis, seu Ecclesiastica est potestas in Ecclesia Christi,quæ immediatè à Deo est data,& Sacerdotio innexa. Ea rursum duplex est,Ordinis & Jurisdictionis; Potestas ordinis est facultas quædam moralis ad cultum Dei religiosum ordinata,vel per oblationem sacrificij,vel per administrationem&dispensationem Sacramentorum,vel ad alias quascunque cærimonias convenienter obeundas , quæ tamen potestas non est superioris in subditos,de qua infra agemus;Altera ergò potestas est jurisdictionis: & hæc rursum duplex est,alia interna,ac fori pœnitentiæ,quæ Sacerdotes constituit superiores ac judices in divino,ac secreto foro,quod in Sacramento pœnitentiæ exercetur,de qua in pœnitentiæ Sacramento agitur. Alia potestas jurisdictionis externæ ad gubernandam Ecclesiam, in quantum spiritualis est Respublica, & corpus Christi

Christi Mysticum, distinctaque est hæc potestas à temporali, & politica Regum potestate. Ad hanc potestatem jurisdictionis exterioris spectat regere Ecclesiam, convocare Synodos, & in ijs præsidere, constitutiones, ac leges condere, causas audire, & cognoscere, controversias dirimere, ministros Ecclesiæ constituere, beneficia conferre, mittere ad docendum Pastores, delinquentes punire, atque excommunicare; verbo, omnium causarum, & controversiarum, quæ ad fidem, & religionem pertinent, judicem agere. Hinc primariò residet penès Pontificem, ut Christi Vicarium, & Petri Successorem, cui Christus oves suas pascendas dedit Joan. 20. id quod tot scriptis, & librorum voluminibus demonstratum est; tum penès Episcopos, *quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei.* Actor. 20. Sive mediante Pontifice, ut Bellarminus probabilius scribit, sive immediatè, ut alij etiam Catholici probabiliter volunt. Ab his deinde communicatur cum alijs Ecclesiæ rectoribus.

Differt præterea hæc sacra Pontificum potestas à politica Cæsarum, & Regum potestate, quòd per totum se orbem Christianum extendat, qua amplitudine nullus adhuc Regum, aut Cæsarum politicam potestatem extendit, sed suis imperij regnive terminis constrictam habuere. Atque hoc illud præterea Catholicum dogma est, quod primum ex Scriptura, & veritatis voce, tam clarè asseritur: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matth. 16 *Pasce oves meas.* Joan. 20. Ubi enim universalis grex, ibi & universalis Pastor est, cui pascendi, & gubernandi potestas sit. At in Christi Ecclesia est universalis grex, ergò & universalis Pastor, cui spiritualis, & exterior potestas data sit regendi Ecclesiam Dei; Ecclesiam videlicet, quàm Christus *Sanguine suo acquisivit,* Acto. 20. quamque Christus per se divina auctoritate, tam sanctè instituit, & ordinavit, quod sanè de temporali regno hîc asseri non potest, de quo Christus nihil disposuit aut immutavit. Hoc illud Ecclesiæ in hymno de Herode: Non eripit mortalia, qui regna dat cælestia.

II. Hoc præterea dogma, cum ex alijs scripturæ locis, tum 1. Pet. 2. 1. Cor. 4. 5. & 13. Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris* asseritur; deinde Traditione, praxi universalis Ecclesiæ, Conciliorum decretis, & Episcoporum judicijs, quæ ex omnibus Synodis nationalibus, & provincialibus cognosces; quod in his Episcopi sibi vindicent potestatem convocandi

vocandi Synodos, regendi Ecclesiam, ferendi leges, præficiendi Pastores, exauctorandi indignos, cognoscendi causas fori sacri, decidendique, & quæ hujusmodi ex Christi & Apostolorum ordinatione, ad jurisdictionem spiritualem spectant, quæ vos omnia ad politicos Magistratus transtulistis.

III. Sed nunc Carolum M. ad quem appellasti primùm audiamus: Is lib. IV. Capitularium cap. CLXVI. *Primum*, inquit, *credatur*, *quod universalis sancta Dei Ecclesia unum corpus sit.* Capite deinde sequenti ita Carolus sanxit: *Principaliter itaque totius sanctæ Dei Ecclesiæ corpus in duas eximias personas, in sacerdotalem videlicet, & Regalem, sicut à sanctis Patribus traditum accepimus, divisum esse novimus, de qua re Gelasius Romanæ sedis venerabilis Episcopus ad Anastasium Imperatorem ita scribit: Duæ sunt quippe Imperatrices Augustæ, quibus principaliter mundus regitur, Auctoritas sacrata Pontificum, & Regalis potestas, in quibus tantò gravius pondus est Sacerdotum, quantò etiam pro ipsis Regibus, hominibusque in divino reddituri sunt examine rationem. Fulgentius quoque in libro de veritate prædestinationis, & gratiæ ita scribit, quantum pertinet*, inquit, *ad hujus temporis vitam, in Ecclesia nemo Pontifice est potior, & in sæculo Christiano Imperatore nemo celsior invenitur.* Hæc Carolus M. de celeberrima Gelasii Pontificis, & Ecclesiæ receptâ sententia, quam & Hincmarus Remensis Archiepiscopus, jus Canonicum, & passim Theologi, & scriptores, tanquam fundamentum, de qua agimus, controversię, producunt; Quin Carolus M. ad illud Christi Matth. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, Petro & Successoribus ejus *divinâ veritatis voce* supremam in Ecclesia potestatem datam esse profitetur, ut supra relatum est.

IV. His nunc SS. Patrum testimonia, quæ clarissima sunt, tum cæterorum post Carolum M. Christianorum Imperatorum, ac Principum paucis adjungamus. Inter Pontifices post Gelasium suprà relatum, Gregorius M. ad Episcopum Metensem, dist. 96. c. 9. *Quis dubitet Sacerdotes Christi, Regum & Principum, omnium fidelium Patres, ac Magistros censeri? Nonne miserabilis insania, si filius Patrem, discipulus Magistrum, sibi conetur subjugare, & suæ potestati subjicere, à quo credit non solùm in terris, sed etiam in cælis se ligari posse & solvi?* Eadem habet Gregorius, lib. 4. epist. 2. Deinde ad Maurit. Imper. Innocentius III. Papa in Decret.

Can. 6.

Can. 6. *Non negamus, quin præcellat Imperator in temporalibus illos duntaxat, qui ab illo accipiunt temporalia; sed Pontifex in spiritualibus excellit, quæ tanto temporalibus sunt digniora, quanto anima perfectior est corpore.*

Ac ne Pontifices hic incuses, tanquam in propria causa suam potestatem plus æquo extollant; addo Patrum testimonia. Chrysost. Homil. 4. & 5. de verb. Isaiæ: *Quanquam admirandus videtur thronus regius, tamen rerum terrenarum administrationem sortitus est, nec præter potestatem hanc præterea quicquam habet auctoritatis.* Quod idem lib. 3. de Sacerdotio multis persequitur. Nazianz. orat. 17. ad Cives: *Quid autem vos Principes & præfecti? Nam vos quoque Lex Christi imperio meo, ac throno subjecit, imperium enim nos quoq; gerimus, addo etiam præstantius ac perfectius, nisi verò æquum est Spiritum carni submittere fasces, & cælestia terrenis cedere.*

Epiphanius Hæres. 29. *Thronus David, & regia sedes est Sacerdotium in sancta Ecclesia, quam dignitatem regiam, simulque Pontificiam, simul conjunctim largitus est Dominus sanctæ Ecclesiæ suæ.* Damascenus orat. 1. de imag. *Non est piorum Regum, Ecclesiastica statuta convellere; his enim de rebus statuere & discernere ad Reges non pertinet.* Orat. 2. *Regum partes non sunt, ut Ecclesiæ leges præscribant.* Lib. 2. de Imag. *Christus non commisit Ecclesiam Regibus & Imperatoribus, sed Episcopis & Pastoribus.*

Ambrosius, cùm alibi sæpius hac super re, tum orat. contra Auxentium: *Respondi ego quod Sacerdotis est; quod Imperatoris, faciat Imperator.* Et mox de Arianis: *Videte, quanto pejores sint Ariani, quàm Iudæi; illi quærebant, utrum solvendum putaret Cæsari jus tributi, illi Imperatori volunt dare jus Ecclesiæ. Imperator bonus intra Ecclesiam non supra Ecclesiam est, bonus Imperator quærit auxilium Ecclesiæ, non refutat.* Epist. ad Marcellinam Sororem, se Valentiniano Imperatori dixisse scribit: *Noli te extollere Imp. si vis diutius imperare: esto Deo subditus scriptum est enim: Quæ Dei, Deo, quæ Cæsaris, Cæsari: ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiæ; publicorum tibi mœnium jus commissum est, non sacrorum.* Hosius Cordubensis Episcopus, qui Nicæno Concilio interfuit, ad Constantinum Arianum Imperatorem. *Desine quæso, & memineris te mortalem esse, reformida diem judicij: ne te misceas Ecclesiasticis, neq; nobis in hoc genere præcipe; sed potius ea à nobis disce. Tibi Deus Imperium commisit; nobis, quæ sunt Ecclesiæ concredidit. Date, scriptum est,*

quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. Athanaſius in epiſt. ad ſolit. vit. agentes: *Si iſtud eſt judicium Epiſcoporum, quid commune cum eo habet Imperator? quando à condito æuo auditum eſt? quando judicium Eccleſiæ auctoritatem ſuam ab Imperatore accepit?*

Eulogius Presbyter cùm à præfecto hæretico Valentij Imperatoris moneretur: *Communica cum Imperatore diſſimulanter. Valdè facetè reſpondit: nunquid cum imperio etiam Sacerdotis dignitatem eſt conſecutus?* Theodoret. lib. 4. hiſt. c. 16.

Leontius Tripolis Lydiæ Epiſcopus, ad Conſtantium Imp. hæreticum: *Miror quò fiat, ut alijs curandis deſtinatus, alia tractes: Qui cùm rei militari & Reip præſis, Epiſcopis ea præſcribas, quæ ad ſolos pertinent Epiſcopos.* Suidas Verb. *Leontius.*

Quod ſanctorum Patrum, idem Imperatorum fuit judicium, de poteſtate Sacerdotali. Juſtinianus Imp. in Authent. *Maxima quidem in omnibus ſunt dona Dei à ſuperna clementia, Sacerdotium, & Imperium: illud quidem divinis miniſtrat, hoc autem humanis præſidet.*

Conſtantinus M. cum judicium de Epiſcopis in Nicæno Concilio recuſaret, *Deus vos,* inquit, *conſtituit Sacerdotes, & nobis à Deo dati eſtis judices, & conveniens non eſt, ut homo judicet Deos; ſed ille ſolum, de quo ſcriptum eſt, Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat.* Ruffinus lib. 1. Hiſt.

Theodoſius Imperator epiſt. ad Synodum Epheſinam, uti Hadrianus Papa epiſt. ad Michaëlem Imper. refert. *Illicitum eſſe,* dixit, *eum, qui non ſit ex ordine ſanctiſſimorum Epiſcoporum, Eccleſiaſticis immiſceri tractatibus.* Ad hunc modum Valentinianus Imper. in hiſtor. tripartita, lib. 7. cap. 8. *Talem in Pontificali ſede conſtituite, cui & nos, qui gubernamus Imperium, ſincerè capita noſtra ſubmittamus.* Baſilius Imp. ut in actis VIII. Synodi refertur: *De Eccleſiaſticis,* inquit, *nobis ſermo non competit, hæc enim inveſtigare, & quærere Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum eſt, qui regiminis officium ſortiti ſunt.* Ita Honorius Imperator, ut Innocentius refert, ad Arcadium ſcripſit: *Epiſcopale oportet eſſe judicium: ad illos enim divinarum rerum pertinet interpretatio, ad nos ſpectat religionis obſequium.* De Mauritio Imperatore Gregorius M. refert, lib. 5. epiſt. 25. *Scimus pijſſimos Dominos diſciplinam diligere, ordinem ſervare, Canones venerari, & ſe Sacerdotalibus negotijs non miſcere.* Hæc ipſi Imperatores de po-

de potestate Sacerdotali: Et quid nunc aliud est illud Constantini M. quod contra nos adfers ex Euseb. lib. 4. c. 24. *Vos estis Episcopi in Ecclesia, ego extra Ecclesiam, seu templum, Episcopus à Deo constitutus sum.* Quo dicto, se defensorem esse Ecclesiæ, non judicem Episcoporum, fatetur; ut supra in Concilio Nicæno professus est.

Nec aliud Leo I. ad Imper. Leonem scribit, quem tu adfers, in hæc verba proloquentem: *Regiam potestatem non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium collatam esse.* Quis hoc negat? aut quomodo indè conficis, Imperatores esse judices rerum Ecclesiasticarum? Aliud est defendere Ecclesiam, quod Imperatoris est, aliud judicare causas Religionis, quod Pontificis & Episcoporum est, ut jam toties audivisti. Præclarè id docuit S. Augustinus epist. 48. & 50. & 165. *Piorum Regum munus esse Ecclesiam defendere, severis legibus ac pœnis blasphemos, & sacrilegos punire, hæreticos ab Ecclesia damnatos coërcere.* Quapropter reprehendit Donatistas, quod causam suam, quæ ad Episcoporum judicium spectabat, referrent ad Regum & Imperatorum tribunal.

Quod igitur officium Imperatorum & Regum? non ut omnem curam Religionis & Ecclesiæ abijciant, tanquam ad se nihil spectet, hæc enim Donatistarum impia vox erat: *Quid Imperatori cum Ecclesia?* Sed ut tueantur ac defendant; non ut Domini, sed ut ministri; non ut judices, sed ut executores, non ut rectores, sed ut adjutores. Id quod Carolus toties profitetur Epist. ad Angilbertum Abbatem, Epist. ad Offam Merciorum Regem, Epist. ad Leonem Papam. Quemadmodum & in formula juramenti, cum à Leone Imperium acciperet, id continetur, quæ ejusmodi fuit: *In nomine Christi, spondeo atq; polliceor ego N. Imperator coram Deo & B. Petro Apostolo me protectorem, ac defensorem fore hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ in omnibus, quatenus divino fultus fuero adjutorio, prout sciero, poteroque.* Ita Sigon. lib. 4. de Regn. Italiæ.

CAPVT IV.

Explicatior Caroli M. de potestate Sacerdotali sententia.

PRæter scripturæ testimonia, produxi Pontificum, SS. Patrum, & ipsorum Imperatorum judicium, quibus Carolus M. religiosissimus Imperator accedit, idque ex Gelasij & Fulgentij sententia, quam Carolus M. tanquam regalem sequi se profitetur. Satis hæc esse poterant; sed quia Nisanius tam impudenter, quàm falsò scribere audet in hæc verba: *Quemadmodum penes Carolum fuit ordinare Rempublicam Civilem, sic etiam Ecclesiasticam; semper enim sibi reservavit Primatum in Ecclesiasticis, quoad jurisdictionem exteriorem.*

Conveniamus nunc denuò ipsum Carolum M. num ille sibi reservarit supremam jurisdictionem externam in Pontificem, & Episcopos, & res Ecclesiæ? id enim si verum est, Carolus M. hæreticus, & Lutheranus fuit, & quæ in Anglia hæresis fuit, Regem caput Ecclesiæ asserendo, hæc Nisanij judicio, etiam Caroli fuerit. Id verò quàm falsum sit:

I. Convincitur ex causis fidei, quas Carolus Magnus rejecit ad Pontificis Romani tribunal. Hujus rei primum exemplum est in hæresi Elipandi, de filio Dei adoptivo, in qua controversia Carolus nihil ne per Franciæ quidem Episcopos definire voluit, nisi consulto prius Romano Pontifice: Ita enim in Epist. ad Hispan. Episcopos: *Jussimus SS. Patrum Synodale ex omnibus nostræ ditionis Ecclesijs congregari Concilium*, Francofurtense videlicet. Sed quid addit? *Prius tamen ad Apostolicæ sedis Pontificem de hac nova inventione ter, quaterque direximus Missos, scire cupientes, quod sancta Romana Ecclesia Apostolicis edocta traditionibus respondere voluisset.* Accepto igitur responso, tam è sede Apostolicâ, quàm ex libello Episcoporum Jtaliæ, Carolus scribit, se id statuisse, quod Dominus Apostolicus cum S. Romana Ecclesia, & Episcopi illis in partibus contra Elipandum decreverint. Jdem est in causa de cultu

cultu Imaginum ex eodem Concilio Francofurtensi. Nam etsi Hadrianus Papa hanc controversiam detulerit expendendam in Concilio Episcoporum Galliæ, & Germaniæ; habito tamen Concilio, Carolus & suam, & Episcoporum sententiam, actaque Concilij, retulit ad Pontificem ut supremum judicem controversiarum: ut constat ex literis Caroli M. ad Hadrianum Papam, & Hadriani ad Carolum, de libris qui falsò *Carolini* inscribuntur. Quâ super re Sirmondus ad acta Concilij Francofurtensis, & in Nicæna Synodo II. sub finem, Tom. 18. Concil. General. Paris. ad act. 4. Hinc Synodus Francofurtensis Can. 1. profitetur, se Apostolicâ auctoritate, & jussione Caroli congregatam; & Patres Concilij illius, cùm in fine libri sententiam protulissent, addiderunt: *Reservato per omnia juris privilegio summi Pontificis, Domini ac Patris nostri Adriani primæ Sedis beatissimi Papæ.* Sanè Carolus in eadem Synodo, petijt à Patribus sibi Hildebaldum Coloniensem Archiepiscopum adjungi, ut hujus consilio & auctoritate negotia Ecclesiastica, tanquam per legatum Apostolicum sibi à latere præsentem, tractaret; quemadmodum Angilramum Metensem Archiepiscopum, obtinuerat à sede Apostolicâ. Quod sanè opus non fuisset, si potestatem, & jurisdictionem supra Papam & Episcopos, sibi unquam arrogasset Carolus.

II. In controversis arduis rebus, semper Carolus M. consuluit Pontificem; uti de Episcopis & Sacerdotibus, an ad castra sint mittendi? tandem à populo sollicitatus respondit: *Ego Carolus Gratiâ Dei Rex, regnique Francorum rector, & devotus sanctæ Ecclesiæ defensor atq; adjutor, in omnibus Apostolicæ sedis hortatu, & maximè Episcoporum & reliquorum Sacerdotum consultu, servis Dei prohibeo, ne castra sequantur.* Tom. 20. Concil. General. Jn Capitulis Ecclesiasticis c. 3. Hunc in modum de Chorepiscopis, de purgatione Sacerdotum, de criminosis presbyteris, Capit. lib. 5. c. 33. *Tandem consultu,* inquit, *Domini & Patris nostri Leonis Apostolici, cæterorumq; Romanæ Ecclesiæ Episcoporum, & Sacerdotum decernimus.* Hæc Hadrianus ipse Pontifex de Carolo M. in epist. ad Hispaniæ Episcopos, palàm ita scribit: *Carolus M. & venerabilis Princeps, Rex Francorum, & Longobardorum, B. Petri amore feliciter obstrictus, non renuit illi honorem debitum exhibere, & sedis ejus Præsulem dignum duxit, sacris syllabis consulendum, regiam videlicet, & Canonicam*

placuit ei consuetudinem renovare. Multa hujus rei sunt exempla. Facitisne id vos Lutherani, qui Carolum vobis vendicatis?

III. Constat ex appellationibus ad sedem Romanam: Ex quo capite etiam Bellarminus lib. 2. de Pontif. c. 21. Pontificis supremam auctoritatem multis clarè asserit; quam & Carolus M. hisce confirmat, Capitularium lib. 6. c. 287. *Prudenter justissimeq; decreto Concilij Nicani, atque Africani, decernimus, quæcunq; negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda. Quod si ibi finiri non possint, aut si majores causæ in medio fuerint devolutæ; ad sedem Apostolicam, ut sancta Synodus statuit, & beata consuetudo exigit, post judicium Episcopale, referantur.* Idem de majoribus causis ad Pontificem scribendis decernitur Lib. 7. Capitularium, cap. 187. Lib. 6. Capitul. c. 299. Rursum lib. 7. cap. 235. *Placuit ut si Episcopus accusatus appellaverit ad Romanum Pontificem, id statuendum quod ipse censuerit.* Lib. 7. Capitularium, cap. 313. *Iudicatus Episcopus ad Apostolicam sedem, si voluerit, appellet:* idque ex Sardicensi Concilio præscribit idem c. 349. Lib. 7. Capitularium cap. 241. *Si adversus Metropolitanum quis habeat querelam, petat Primatem diœcesis, ut apud ipsum judicetur, aut apud sedem Apostolicam.* Prætermitto hîc innumera alia, ne tædio sint Lectori. Quorsum nunc illæ appellationes, provocationesque à Carolo probatæ, ad Archiepiscopos, Primates, & Apostolicam sedem, si Carolus supremam habuit jurisdictionem supra Episcopos & Pontificem? passúsne Carolus hæc fuisset suæ potestati subtrahi, si hæc sibi, ut fingitis, asserta habuisset? Scio equidem, omne Lutheri odium, non aliunde in Pontificem, quàm quòd ad eum provocatio, & ab eo Lutheri condemnatio facta sit; inde hæreditarium vobis insidet odium illud.

IV. Carolus manifestè Archiepiscopis & Episcopis suam spiritualem jurisdictionem asserit, quam sibi non competere agnovit: *Metropolitanis suis, Episcopi Suffraganei, secundùm Canones subjecti sint.* Capitulare Caroli anno Regni XI. *Dignum est, ut Metropolitanus qui est pallio sublimatus, honoretur, & cæteros admoneat.* Capitularium lib. 6. cap. 79. *ad Metropolitanum Suffraganei Episcopi respiciant, & nihil novi audeant facere, in suis Parochiis, sine conscientia, & Concilio Metropolitani; nec Metropolitani sine eorum Concilio.* Synod. Aquisg. c. 8.

Monet Imperator Episcopos: *ut suâ Pontificali auctoritate Sacer-*

dotes sibi subjectos constringant. Capitularium lib. 2.c.5. *Omnes Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, sub Episcoporum potestate maneant.* Capitul. lib.5.c.39. *Unusquisq; Episcopus habeat sua parochia potestatem, & regat juxta reverentiam singulis competentem.* Capitularium lib.7.c.36. *Cleri & populi, si Episcopis suis obedire noluerint, excommunicentur.* Capitular. lib.6.c.78. Rursum: *Clerici à suis Episcopis judicentur, non à sacularibus.* Can.28. Synod. Aquisgr. I. *Volumus & pracipimus, ut omnes suis Sacerdotibus, tam majoris Ordinis, quàm & inferioris, à minimo usque ad maximum, ut summo Deo, cujus vice in Ecclesia legatione funguntur, obedientes existant.* In select. Caroli M. cap. Can.2. Et mox Can.3. secundùm Theodosij M. Imp. legem præscribit: *Omnes causa, qua vel Pratorio jure, vel civili tractantur, Episcoporum sententijs terminata, perpetuo stabilitatis jure firmentur.* Idem repetitur Capitularium lib.6.c.261. His addo Canonem sextum Concilij Francofurtensis, quo obedientia Presbyterorum, Monachorum, Cleri, & populi præscribitur erga Episcopos, & Metropolitanos; nec causæ ad palatium deferantur priùs, quàm ab his judicatæ sint: Et in ipso palatio non à laicis, sed Ecclesiastico Sacerdotum Concilio cognitæ, judicatæque sint. Uti hæc ex Hincmari epistolis constant, quas te legere velim, qui tam protervè scribis.

Sexcenta hujusmodi Caroli testimonia proferri possent, quibus jurisdictionem Pontificis & Episcoporum eorumque potestatem in judicandis causis Ecclesiasticis non modò profitetur, sed suis etiam legibus sancitam, inviolatamque esse voluit; perinde ut religiosissimi Imperatores Constantinus M. Theodosius, alijque fecerunt. Nunquam Carolus M. sibi hoc arrogavit, quod vos hæretici confingitis: vos primi estis, qui per Saxoniam, & Germaniam, Ecclesiam sacrâ Potestate & Jurisdictione spoliastis, & ab Episcopis ad sæculares Principes & Magistratus laicos transtulistis. Ad hoc enim vos Prædicantes nati estis, ut omnia turbetis in Ecclesia, & libera sit hæresis vestra, ab Episcoporum & Pontificis judicio. Non hæc Carolus M. tantus Monarcha, sibi in Ecclesia sumere ausus, quæ vos plebi & laicis defertis: adjutorem tantùm ille se & defensorem Ecclesiæ ferebat. Id cognosces ex epistola Caroli ad Elipandum, & Hispaniæ Episcopos, cujus hæc inscriptio: *Carolus gratia Dei Rex Francorum & Longobardorum, filius & defensor sancta Dei Ecclesia.* Epistola ad Leonem Pontificem: *Nostrum est secundùm auxilia*

xilia divinæ pietatis sanctam ubiq; Christi Ecclesiam, ab incursu paganorum & infidelium divastatione armis defendere, foris & intus Catholicæ fidei agnitione munire.

Atque hoc illud Jmperatorum Christianorum, Regum, Principum, & Magistratus politici munus, non verò sibi vendicare jurisdictionem sacram, externamque in gubernanda Ecclesia, uti hæc ab omnibus Theologis & Scriptoribus planiùs sunt asserta.

Quantam verò vim directivam & coërcitivam, potestas Pontificis indirectè in res temporales includat, (quod tu multis imperitè & contumeliosè moves,) satis Bellarminus lib. 5. de Pontifice, Suarez. lib. 3. de Primatu Pet. c. 16. & 17. alijque innumeri Scriptores tradiderunt; & supervacaneum hoc loco disceptare, cùm ipsam supremam & spiritualem Pontificis & Ecclesiæ jurisdictionem, non tam neges, quàm non capias. Dicam hîc, quod in simili pronuntiat Jrenæus. *Altissima mysteria non omnes capiunt, quia non omnes cerebrum habent.* Tandem ex illa rapsodia tua, aliquid ordinatè, & solidè profer.

CAPVT V.

Inania Nisanij argumenta, quibus Carolo M. Primatum Ecclesiæ, et potestatem supra ipsum Romanum Pontificem asserere vult.

ADversus ea quæ de suprema Pontificis, & Imperatoris potestate, quæque de Jurisdictione sacra Episcoporum, & civili Principum potestate, hactenus diximus, intendit arcum Nisanius ex odio in Pontificem, & scribit, Carolum M. habuisse potestatem supra ipsum Romanum Pontificem: & quamvis obtusa sint, nec digna eruditis auribus, ea tamen quia Superintendentis sunt, & Lutherani Episcopi, audiamus,

I. Argu-

I. Argumentum Nifanij. *Carolus M.* inquit, *ex quo Romanus Imperator est constitutus ab omnibus Romæ in Basilica præsentibus, eo ipso accepit dominium in urbem Romam, in patrimonium S. Petri, imò potestatem accepit in ipsum Papam:* Atque hîc ut de jurisdictione Ecclesiastica te agere profitearis, addis: *Carolus M. semper sibi reservavit Primatum in Ecclesiasticis, quoad Iurisdictionem exteriorem, ut tam Civilem, quam Ecclesiasticam Rempublicam ordinaret.* ℞. Hæc propositio & assertio tua falsissima est: Nam potestas gubernativa Ecclesiæ, spiritualis, & supernaturalis est, exceditque omnem potestatem Regum, & Cæsarum, ut jam expositum est: nec hanc Carolus unquam sibi vel in speciem arrogavit, ut tu somnias; ut jam multis ostendimus ex scriptura, ex Patrum, & Imperatorum, & ipsius Caroli consensu: imò quatuor prima Concilia Oecumenica, quæ instar Evangelij D. Gregorius accipienda docuit, primatum Petri in Ecclesia, & supremam Pontificis Romani potestatem, supra Imperatores & Concilia asserunt, quam tu hîc abnegas. Prima principia non capis, & quis tecum disceptet? Interim quomodo tuam assertionem probes, audiamus.

I. Carolus M. inquis, lib. 6. Capitularium, cap. 281. ita proloquitur: *Volumus atque præcipimus, ut omnes ditioni nostræ Deo auxiliante subjecti, tam Romani, quàm Franci, Alemanni, Bojovarij, Saxones, Thuringij, Frisones, Galli, Burgundiones, Brittones, Longobardi, Vascones, Beneventani, Gothi, Hispani, cæterique nobis subjecti omnes.* Ergo, infers, Romani etiam Carolo M. subjecti fuerunt, &, quod consequens esse vis, etiam supra Romanum Pontificem habuit potestatem. Prorsus hoc absurdum est: cùm hîc Carolus agat de Iurisdictione politicâ in recensitos populos, quam Pontifex & Episcopi Cæsari & Regibus integram relinquunt; non verò de Iurisdictione Ecclesiastica: *Non* enim *eripit mortalia, qui regna dat cælestia.*

At verò quid sequitur in hac Caroli lege? quid his populis suis præscribit? *Volumus* nempè, *ut hanc sententiam, quam ex XVI. Theodosij Imperatoris libro, Capitulo videlicet XII. ad interrogata Ablavij Ducis, illi, & omnibus rescriptam sumpsimus, & inter nostra Capitula pro lege tenendam, consultu omnium fidelium nostrorum, tam Clericorum, quàm & laicorum posuimus: lege cunctis perpetuò tenenda. Id est: Quicunque litem habent, sive possessor, sive petitor fuerit, vel in initio litis, vel decursis temporum cur-*

riculis; sive cùm jam cœperit promi sententia: si judicium elegerit sacro-sancta Legis Antistitis, illicò sine aliqua dubitatione, etiamsi alia pars refragatur, ad Episcoporum judicium, cum sermone litigantium dirigatur; multa enim, quæ in judicio captiosæ præscriptionis vincula promi non patiuntur, investigat & promit sacrosancta legis auctoritas. Omnes itaque causæ, quæ vel prætorio jure, vel civili tractantur, Episcoporum sententijs determinatæ, perpetuo stabilitatis jure firmentur. Nec liceat ulterius retractari negotium, quod Episcoporum sententia deciderit. Hæc Carolus. Quid nunc hîc de Primatu Imperatoris in Pontificem præscribitur? prorsus nihil: imò prorsus contrarium hîc vides, quantum scilicet Theodosius & Carolus M. Imperatores, Episcoporum auctoritati, & potestati in judicando detulerint: perinde uti ante eos Imp. Constantinus M. pro amplissima Episcoporum judiciali potestate rescriptum dedit, de quo Baronius ad annum Christi 319. & 326. Id si vos hæretici faceretis, hæresis vestra non esset: qui non modò *Judiciariam*, sed omnem etiam *potestatem Jurisdictionis* Episcopis abrogatis; quantumvis *Spiritus sanctus posuerit* eos *regere Ecclesiam Dei.* Vel ideò Imperatores, ac Reges Christiani, venerati sunt Pontificem & Episcopos, quod vel ex hac Dei voce *Rectores Ecclesiæ ac judices* intelligerent.

II. Argumentum deducit ex dominatu Caroli M. in urbem Romanam, ex eoque tale format argumentum:

> *Qui jure imperatorio habet dominatum in urbem Romanam, ille habet Primatum Ecclesiæ, supra Pontificis potestatem;*
> *Atqui Carolus M. hunc habuit: Ergò:*

℞. Major falsissima est. Tiberius Cæsar, Claudius, Nero, Trajanus, Vespasianus, cæterique Imperatores, habuerunt dominatum urbis Romanæ; ergo habuerunt primatum Ecclesiæ supra S. Petrum, Clementem, Linum, cæterosque Pontifices. Quam inepta & insulsa hæc argumentatio! cùm S. Petrus immediatè à Christo acceperit potestatem gubernandi Ecclesiam universam, (ut suprà probatum est,) eaque potestas juris divini sit, altiorisq; ordinis, communicata omnibus Petri successoribus; quam Pontifices tam sub Christianis Imperatoribus, quàm Ethnicis, & Tyrannis habuerunt: perinde ut Episcopi suam spiritualem Iurisdictionem, quæ à temporali Principum diversa est, ac longè eminentior in suo genere

genere obtinent, quam ut nulla humana potestas Imperatorum aut Regum dare, ita nec tollere potest. Prima principia non intelligis, & disputando provocas omnes Catholicos; dignior, qui ad scholas, atque ad elementa Christianæ religionis addiscenda, in Daniam remittaris.

Sed historicum simul agis, introducendo quæstionem, utrumne tempore Caroli M. urbs Romana fuerit in potestate Pontificis, an Imperatoris? ad quod potissimum adfers ex Francorum annalibus, quòd post mortem Hadriani Pontificis, Leo subrogatus, Anno Christi DCCXCVI. *Miserit legatos ad Carolum Regem, offerendo claves Confessionis S. Petri, ac vexillum Romanæ urbis cum muneribus; rogando ut aliquem è suis Optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad suam fidem, atque subjectionem, per sacramenta firmaret.* Quæ postrema verba, inquis, sudes sunt in oculo Cardinali Baronio, & Jesuitis. ℞. Hæc verba non sollicitant Theologos, sed historicos, cum ambigua sint: utrumne urbem Romanam in fidem suam, scribentis & petentis Pontificis, an verò Caroli Regis implorati velit recipi? primum tenet Bellarminus, posterius vos hæretici obtruditis. Quod Theologos hæc non sollicitent, clarum est: sive enim Pontifex Leo fuerit urbis Romanæ Dominus sive non fuerit, nihil tollit de potestate spirituali, quam habuit in urbem Romanam sicut in universum orbem Christianum habuit. Interim, primò benè respondet Baronius: malè ex his à Novatoribus inferri, Carolum fuisse immissum in possessionem urbis Romanæ, quòd ei oblatæ sint claves & vexillum urbis, cùm ejusmodi munera à Pontificibus consuêrint offerri principibus, honorandi causâ: uti id ex S. Gregorij aliorumque Pontificum epistolis constat. Ita enim Gregorius Magnus ad Childebertum Francorum Regem claves Sancti Petri misit, Lib. 5. Epist. 6. Jta Gregorius III. ad Carolum Martellum destinat claves sepulchri cum vinculis Sancti Petri, ut refertur append. ad Gregorium Turonens. Quo tamen tempore Franci nondum pedem in Italia fixerant. Jta pòst anno 800. Patriarcha Hierosolymitanus, ad eundem Carolum misit vexillum benedictionis loco, unà cum clavibus sanctorum locorum: Eodem modo urbem obtulit Carolo Pontifex, non ut possessori & Domino, sed ut defensori Ecclesiæ Romanæ: rogando, ut adversus hostes in fidem & tutelam susciperet. Neque Carolus memo-

ratur suscepisse cives in fidem suam, & juramentum, sed tutelam addixisse Pontifici: unde mox legatum misit Engelbertum Abbatem cum donarijs ad Pontificem, neque tum Imperator adhuc erat Carolus, sed Rex Italiæ, tutorque Românæ urbis, perinde ut universæ Ecclesiæ per Italiam, à Pontificibus contra Longobardos vexatores Ecclesiæ Romanæ imploratus. Demum, non petijt Leo Papa, ut Romani Francis fidem jurarent, (quod Illyricus & alij novatores volunt,) sed Romanos eò adigi, ut Pontifici jusjurandum præstarent, idque Ægilbertus Abbas S. Richarij Missus, Caroli jussu effecit, uti Bellarminus tradit lib. 1. c. 1. de transl. Imperij. Adhæc dum Hadrianus Pontifex Carolum M. in primo adventu Romano excepit, obviamque direxit Episcopos, Abbates, & judices suos, & Carolus deinde licentiam à Pontifice petijt ingrediendi Romam, tum verò Romanorum, Francorumque judices, & Duces se conjunxerunt, (uti hæc Athanasius in Hadriano descripsit,) Pontificem non ut inferiorem, sed superiorem ex potestate sacra veneratus est, & tam Pontifex, quam Rex suos habuit judices, & præfectos; imò ipso *Paschali die direxit diluculo, ipse sanctissimus Præsul cunctos judices, & universa obsequia militia ad Regem*: quæ magnam Pontificis in Urbe potestatem satis ostendunt. Quod autem dexteram Pontificis in ingressu tenuerit Rex, id in Pontificali rituum libro ita præscriptum erat: *ut Rex* ipse à parte dextera, & prior Diaconorum à parte sinistra, deducant Pontificem usque ad Ecclesiam; quemadmodum Spondanus in notis ad hunc annum exponit. Sed quid dicis ad hoc argumentum? Qui urbem mœnibus, & arcibus præmunit, ille urbis est Dominus; Atqui Hadrianus Pontifex id fecit: teste Carolo M. in Epitaphio à se composito, in quo ita legis:

Doctrinis, opibus, muris erexerat arces,
Vrbs, caput, orbis honor, inclyta Roma, tuas.

Epitaphium hoc, præterquàm quod Romæ superfit, leges tom. XVIII. Concil. General. Paris. At Theganum obijcitis, quòd is scribat in hæc verba: *Eodem anno Leo Papa Romanus obijt, & Stephanus post eum successit, qui statim postquam Pontificatum suscepit, jussit omnem populum Romanum fidelitatem cum juramento promittere Ludovico.* Respondet Baronius (ad annum Christi 816. quo Leo Pontifex est mortuus) id factum esse ob Romanos cives, qui in Pontificis electione proni erant ad tumultus,

tumultus: qualis etiam tumultus in Leonem Pontificem defuncto Carolo paulò ante Pontificis obitum exarsit: ut ex Anastasio, & Francorum Annal. cognosces. Ad hos igitur coërcendos, consultum habuit Stephanus Pontifex Leonis successor, cives ad juramentum Ludovici Imperatoris adigere; siquidem vera narrat Theganus. Nihil hac super re Anastasius in electione Stephani.

Et verò quomodo Stephanus Pontifex cives ad id juramentum adigere potuit, si nullum illi jus fuit in Urbem, & cives? posset hoc modò Episcopus Saxoniæ implorare auctoritatem Cæsaris adversus cives sibi subjectos & rebelles. Verùm Ludovicus Jmperator mox à Stephano Papa in Gallijs inunctus; non modò ea, quæ à Pipino avo, & Carolo patre aut restituta, aut donata erant Romanæ Ecclesiæ, sed & ipsam Romanam urbem cum Ducatu suo, cæterisque bonis confirmavit, restituitque ex integro Pontifici. Sicuti hæc Leo Ostiensis in Chron. Cassin. lib. 1. c. 18. Gratianus Dist. 63. Codices Vaticani, & Baronius exponunt, & satis cognosces ex diplomate Ludovici Jmperatoris, quod capite proximo dabimus.

At demus tibi ultrò Romanos cessisse in Francorum potestatem, ex quo Carolus Magnus Romanus Imperator à Leone Pontifice est coronatus, at non ideo Carolus Magnus *Primatum* Ecclesiæ accepit, quem nec populus Romanus, nec Græcus Imperator, neque ipse Pontifex dare potuit, cùm primatus ille à Christo solùm S. Petro & Successoribus ejus jure divino sit datus: igitur ut sub Ethnicis Imperatoribus, & barbaris Regibus Pontifex supremam jurisdictionem in Ecclesiam habuit, ita sub Christianis Imperatoribus multo habuit illustriorem. Hîc tu bruti in modum agis: nec aliter vos hæretici, quàm Judæi & gentiles de Christi Ecclesia judicatis.

III. Argumentum adversarij: Pontifex Romanus multa bona accepit in feudum ab Imperatore Carolo M. ergo Pontifex est subjectus Imperatori. Dignum profectò Lutherano Superintendente argumentum: Archidux Austriæ, idemque Imperator, accipit feudum ab Episcopo Ratisbonensi, ergo Imperator est subjectus Episcopo Ratisbonensi: Multi Duces & Principes acceperunt feudum ab Episcopis: & septem olim Saxoniæ Principes, & sedecim Comites habuerunt feuda à Corbejensi Abbate ad Visurgim, ergo Principes illi & Comites fuerunt

subjecti Episcopis & Abbati:quam hæc absurda sunt. Feudum enim certum vasalli obsequium, & fidelitatem importat erga Feudi Dominum,non subjectionem Vasalli,nec Domini imperium in feudatarium. Et quænam illa bona quæ Romanus Pontifex ab Imperatore accepit in feudum? ejus rei te tabulas & auctores proferre oportebat, quod non facis: credo, ut omnes Cæsarum & Principum donationes Episcopis & Ecclesiæ factas, in feuda politicorum Principum & hæresis tuæ spolia convertas.

IV. Argumentum: *Leo Pontifex indignè tractatus à Romanis & profugus ad Carolum M. Paderbornam usque, postea se Caroli M. judicio subjecit, quod Romæ à Carolo in causa ejus innocentiæ est habitum, ex quo clarissime*, inquis, *conficitur Carolum M. non modo in Romanos, sed & in ipsum Pontificem habuisse potestatem.* Quam in rem totam narrationem ex Anastasio & Francorum annalibus adducis multa garriendo, confundendo, evagando, calumniando in Romanum Pontificem; nihil interim ex fundamento rei proferendo, ut totum illud cerebrum appareat nube hæresis obductum.

℞. Igitur I. Pontifex jure divino & Canonico habet exemptionem & immunitatem ab omni judicio & jurisdictione sæculari, etiam Imperatorum & Regum. Hæc assertio est omnium Catholicorum Doctorum. Soto lib. 5. de just. q. 4. Bannez. 22. q. 67. Cajetanus tract. de potest. Papæ & Concilij c. 27. Turrecremata, lib. 2. Sum. c. 93. Bellarm. lib. 1. de sum. Pontif. c. 26. Molina de just. disp. 31. Valent. 4. p. disp. 5. q. 11. Suarez lib. 4. de immun. c. 4. Driedo lib. 1. de lib. Christ. c. 9. & 15. Henriquez lib. 7. de indulg. c. 24. Asseriturque ex jure Canonico & Concilio Romano, sub D. Sylvestro Pontifice habito can. 20. *Nemo*, inquit, *judicabit primam sedem, quoniam omnes sedes à primâ sede justitiam desiderant temperari. Neque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à Regibus judex judicabitur.* Hoc nimirum illud ex primâ Ecclesia in causa Marcellini Pontificis, qui se Concilio stitit ultro, at Concilium respondit: *Prima sedes non judicabitur à quoquam.* Ita Nicolaus Papa epist. ad Michaëlem Imp. Gratian. 9. q. 3. cap. Cæterique Theologi, Canonistæ & historici, quæ Catholicorum sententia multo illustrior facta est, in Leone III. Pontifice de quo hîc agitur. Nam cum Romæ seditio contra eum mota esset, & Carolus ad eam sedandam Romam venisset, & in Basilica

S. Petri

S. Petri adstante populo, Clero, Abbatibus, & Episcopis, qui ob id ex tota Jtalia & Francia convenerant, sententias & vota de moribus, & vita Pontificis rogasset, responsum est ab omnibus una voce: *Sedem Apostolicam omnium Ecclesiarum caput à nemine, laico præsertim judicari debere*, seu ut in vita Leonis refertur tom. 20. Concil. General. Paris. *Nos sedem Apostolicam quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum judicare non audemus, nam ab ipso nos omnes, ut Vicario Christi judicamur, ipsa autem à nemine jüdicatur, quemadmodum & antiquitus mos fuit, sed sicut ipse summus Pontifex censuerit, Canonicè obediemus.* Ad quod tam grave responsum Carolus quæstionem omisit. Hæc tu Nifani quæ in Platina, Anastasio, vita Leonis, Baronio, & alijs legere poteras, more & dolo tuo transilis. Quantus denuo hîc impostor! adferre tot calumnias in odium Pontificum, & ea in quibus nervus est rei, de qua agitur supprimere : Et rem ipsam si rationibus expendas, Pontifex non potuit se submittere civili jurisdictioni, quando Pontifex ut Pontifex non habet jurisdictionem temporalem directam super alios, minus super se ipsum, ergo Imperatori dare non potuit: ita rursum Theologi in 4. dist. 18. c. 19. D. Thomas Palud. Bonav. Richard. Albertus, Canonistæ in cap. 5. *Ecclesia sancta.*

℞. 2. Pontifex, quod ad externum judicium attinet, potest se submittere judicio alterius, sed tanquam arbitri, non judicis, qui jurisdictio ne utitur in illum: ita D. Thomas ad hanc quæst. & alij. Quo refertur factum Leonis IV. Symmachi & Sixti III. ut hæc in jure Canonico & Conc. 3. Rom. leges, (quæ exempla hic te adferre oportebat,) atque id maxime ad tollendum scandalum fieri poterat, purgando se coram. Quemadmodum hic Leo III. Pontifex altero die præsente populo, Clero & Episcopis, *amplexus sancta Christi quatuor Evangelia coram omnibus ascendit ambonem & sub jurejurando clara voce dixit, se de istis falsis criminibus, quæ Romani inique imposuerant, scientiam non habere, nec talia egisse unquam, quo peracto omnes Archiepiscopi, Episcopi, Abbates & cuncti Clerici Litania facta, laudes dederunt Deo, atq; Dei Genitrici semperq; Virgini MARIÆ Dominæ nostræ, & B. Petro Apostolorum Principi, omnibusque Sanctis Dei.* Ita legas in vita Leonis, Tom. 20. Concil. General. Paris.

Accedit quod Carolus M. ubique in suis legibus, & Synodis immunitatem Ecclesiasticam asserat, ne Clerici, & Sacerdotes, & Episcopi ad judi-

ad judicium sæculare trahantur, quod centum testimonijs hic probari posset, qua super re capite ultimo referam.

IV. Argumentum Nisanij: Carolus M. habuit jus temporale in patrimonium S. Petri. ergo, inquit, Carolus M. habuit supremum jus supra Pontificem Romanum, & jure sibi Primatum Petri vendicare potuit. Quàm insulsum denuò argumentum! quod duplici fallacia laborat: Tùm quòd Carolum dicas habuisse jus temporale in patrimonium S. Petri, quod asseris, & non probas: Et unde hoc Carolo ius? cum Pontifex patrimonium Petri habuerit, antequam vel Pipinus, vel Carolus Reges Francorum essent: Tum quia Imperatori aut Principi tribuis potestatem, & jurisdictionem sacram in Pontifices & Episcopos, cujus ne quidem Imperatores & Principes sæculares sunt capaces. Repeto quæ supra dixi toties. Aliud est jus spirituale, quod Pontifices, & Episcopi habent in suas Ecclesias. Aliud est jus temporale, quod habent in bona sua temporalia. Primum divino jure habent, alterum jure humano, Cæsarum videlicet ac regum donatione. Utrùmne Episcopi jurium regalium sint capaces, nemo facile controvertet, qui tot Sacerdotes & Pontifices in veteri lege simul Principes & reges legerit. Utrúmne de facto Romanus Pontifex & Episcopi Germaniæ habuerint, non attingit quæstionem fidei: sed hac super re, pertractatum in historia Caroli, satisque à Ferdinando Episcopo assertum est in Monumentis Paderbornensibus, ad diploma Caroli M. Wihoni & Ecclesiæ Osnabrug. datum.

CAPUT VI.

De Constantini M. donatione Romanæ Ecclesiæ facta, quam Pipinus Rex et Carolus M. ex integro restituit, confirmavit et auxit.

INcredibile quantum ex odio in Romanum Pontificem se fatigent Jurisconsulti heterodoxi & prædicantes, quos inter Nisanius, super donatione Constantini M. & bonis Romanæ Ecclesiæ redditis, auctisque per Pipinum Francorum Regem, Caroli patrem, & ipsum Carolum

rolum M. Possem hanc totam quæstionem hîc intermittere; cùm nec rem fidei attingat, nec Pontificis auctoritati sacræ deroget. Sive enim tam amplum Ecclesiæ patrimonium habuerit tum Romanus Pontifex, cum jurisdictione civili, sive non habuerit; nihil addit aut tollit de potestate Spirituali, quàm à Christo accepit *Vicarius Christi*, & *Successor D. Petri* in universam Ecclesiam. Quia tamen Nisanius librum suum *Ostensionem historicam* ex parte inscribit, & ad historiam provocat; Pipinumq; patrem, & Carolum hîc per calumnias traducit, homini vanè insultanti respondendum aliquid fuit.

Quâ in re primò certum, Romanam Ecclesiam habuisse amplum S. Petri patrimonium, donatione Christianorum Imperatorum, Principum, & piorum hominum: quemadmodum & Sixti Pontificis ætate magnus Ecclesiæ thesaurus fuit, quem S. Laurentius inter pauperes divisit: id verò patrimonium D. Petri, Longobardi postquàm Italiam ingressi sunt, multum per spolia & vexationes Romanorum Pontificum imminuerunt, bonis ac possessionibus per vim & injuriam abreptis. Pontifices omni ope Cæsarum destituti, implorarunt Francorum Reges, interque eos, prætermissis cæteris, Gregorius III. Pontifex, Caroli Martelli, qui Caroli M. avus fuit, anno Christi 739. opem imploravit, adversus Luitprandum Longobardorum Regem; missis ad Carolum inter munera clavibus S. Petri: sicuti hæc non modò ex Anastasio constant, sed ex ipsa Epistola Pontificis ad Carolum Martellum, in quâ eum *Christianissimum filium* vocat: (leges hanc Epistolam apud Baronium, Tom. IX. annalium, & Tom. XVII. Concil. General. apud Sirmondum.) Pòst ubi Aistulphus Longobardorum Rex, acerbiùs etiam Romanam Ecclesiam afflixit; Stephanus III. Pontifex, frustrà imploratâ ope Constantinopolitani Imperatoris, in Gallias est profectus ad Pipinum Regem, Caroli Martelli filium; sollicitando auxilium adversus Longobardos. Pipinus, cognito Pontificis adventu, non modò cum uxore & liberis, obviam processit; sed & vice stratoris, juxta eum incedens deduxit aliquamdiu, dum Parisios venirent. Inde Pipinus Rex, eodem anno, cùm nihil per legatos obtineret in restitutione bonorum Ecclesiæ Romanæ, cum exercitu Alpes transgressus, in ipsis montium faucibus Aistulphum prælio vicit, & profugum Papiæ obsedit; dum acceptis obsidibus, juramento etiam adigeret ad restitutionem bonorum Ecclesiæ

 Roma-

Romanæ. Quibus impetratis Pipinus recessit in Gallias. At cùm perfidus Longobardorum Rex ex fœdere & juramento, nihil minus præstaret; questus iterum Pontifex Stephanus, per litteras ad Pipinum, & Pipini filios, Carolum M. & Carolomannum, missas: quibus permotus Pipinus Rex, cum exercitu Italiam denuò ingressus, ad Alpium angustias Longobardos obtrivit, & Papiæ obsessum Regem eorum tenuit, dum re ipsa omnia Romanæ Ecclesiæ redderet. Itaque restituta Ravennâ, cum universo Exarchatu, multæque insuper civitates à Pipino concessæ, donatæque, quæ ab Anastasio recensentur; additurque *Pipinum amplificandæ Ecclesiæ Romanæ viam aperuisse.* Urbes hasce, & territoria, pluribus exprimit Leo Ostiensis, quemadmodum hæc infra memorabuntur planiùs. Donatio hæc Pipini diplomate consignata est, quemadmodum hæc acta esse ad Ann. Christi DCCXXXIII. DCCXXXIV. & DCCXXXV. ex Baronio, alijsque Scriptoribus cognosces.

Demum, cum exstincto Aistulpho, Desiderius Longobardorum Rex, Romanas ditiones invaderet, Romam fraudulenter ingressus, Pontificem indignè tractaret, Clericos necaret, & patrimonium Petri spolio raperet; post Stephanum, Hadrianus Pontifex, expertam Franci Cegis opem, à Carolo M. implorat. Is patris exemplo, cum exercitu in Jtaliam progressus, Desiderium Regem bello vincit, captum, exutumque regno, in Gallias abducit; dignâ Numinis pœnâ, qui Ecclesiam Romanam, omnibus propè bonis exuerat. Nec Carolus priùs Jtaliâ excessit, quàm patrimonium Petri ex integro restituisset, novis tabulis consignatis: quibus non modò donationem Pipini patris ratam habuit, sed municè etiam Corsicâ, Sardiniâ, Siciliâ, alijsque Ducatibus, patrimonium Petri auxit, obtulitque ad altare S. Petri; jurejurando simul se conservatorem, & defensorem Romanæ Ecclesiæ obstrinxit. Hanc deinde tutelam Romæ Ecclesiæ, Carolus testamento filijs ad Theonis villam præscripsit: Quemadmodum hæc omnia ab Anastasio, Leone Ostiensi, cæterisque historicis referuntur.

Cæterùm, id amplum Romanæ Ecclesiæ patrimonium, quod Romani ad Constantinum M. ut fontem liberalitatis referunt, oppugnant Novatores: ac tametsi Baronius, & Spondanus, ad annum Christi 324. donationem Constantini, uti hæc à Græcis edita fuit, suppositititiam, aut corruptam admittant; non tàmen ipsam donationem negant, sed multis argumen-

argumentis, & testimonijs adversus Novatores propugnant. Inter Novatores verò primùm Jurisconsulti eorum, ut Limnæus, Oldenburgerus, cæterique, *Papalis curiâ commentum* appellant. Post hos Nisanius ex Couringio scribit: *Pipinum Regem, Caroli Patrem, Stephani III. Papæ figmento inductum, ut Exarchatum Ravennensem, Pentapolim, & alia à Longobardis erepta, Romanæ Ecclesiæ redderet; falsò obtendendo, eò quòd hæc bona Constantini M. dono ac munere, fuissent in patrimonio S. Petri: quâ fabulâ inductus Pipinus à Stephano Papa, & Carolus M. ab Hadriano Pontifice, regiones illas in manus Papæ citra exceptionem tradiderunt.* Sed quàm falsus scriptor & impostor tu, & Conringius sis, id vel uno testimonio Hadriani integerrimi Pontificis ostendam, quem Carolus M. ut patrem coluit. Js ergo in Epistola ad Carolum M. quæ habetur tomo XVIII. Concilior. General. Paris. in hæc verba scribit, dum opem Caroli adversus Longobardos & Græcos imploraret: *Sicut temporibus B. Sylvestri Romani Pontificis, & sanctæ recordationis pijssimo Constantino Magno Imperatore, per ejus largitatem sancta Dei Catholica, & Apostolica Romana Ecclesia, elevata atq; exaltata est, & potestatem in his Hesperiæ partibus largiri dignatus est; ita & in his vestris felicissimis temporibus, atque nostris, sancta Dei Ecclesia, id est B. Petri Apostoli, germinet & exultet, & amplius exaltata permaneat; ut omnes gentes, quæ hæc audierint, edicere valeant: Domine salvum fac Regem, & exaudi nos in die, quâ invocaverimus te: Quia ecce novus Christianissimus Dei Constantinus Imperator surrexit, per quem omnia Deus, sanctæ suæ Ecclesiæ Beatorum Apostolorum Principis Petri, largiri dignatus est. Sed & cuncta alia, quæ per diversos Imperatores, Patricios etiam, & alios Deum timentes, pro eorum animæ mercede, & veniâ delictorum, in partibus Tusciæ, Spoleto, seu Beneventano, atq; Corsicâ, simul & Sabinensi patrimonio, B. Petro Apostolo sanctæq; Dei & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, concessa sunt, & per nefandam gentem Longobardorum per annorum spacia abstracta, atq; ablata sunt, vestris temporibus restituantur: unde & plures donationes in sacro nostro scrinio Lateranensi reconditas habemus. Tamen & pro satisfactione Christianissimi regni vestri per jam fatos viros, ad demonstrandum eas direximus, & pro hoc petimus eximiam præcellentiam vestram, ut in integro ipsa patrimonia, B. Petro & nobis restituere jubeatis.* Age nunc Nisani, & siquidem aliquid tibi ingenui superest animi, dic sodes: Utrúmne Conringio te-

cum neganti, an Hadriano affirmanti credendum sit? qui hæc non ex suo ingenio, sed ex tabulario, seu Archivio Romano, & ex ipsis tabulis & originum literis asserit? Quas Carolus M. ita approbavit, ut ijs testimonijs permotus, bellum Longobardis intulerit. Quæ nunc fides humana locum habebit, si his fides abroganda? Jmò omne bellum Pipini Regis & Caroli M. te & Conringio judice, injustum erit, si hæc Pontificis testificatio falsa est: quando non ex alia causa, quàm ex fabulis Papæ, susceptum gestumque hoc bellum dicitis, idque tantis impensis, & tanto militum sanguine. Quæ hæc calumniandi libido in Pipinum Regem & Carolum M. Jtáne vos serò nati post octingentos annos, de his belli causis rectiùs judicatis, quàm sapientissimi illi Reges & Pontifices? Quantum vos excæcat odium in Pontificem! Neque hac tantum epistola Hadrianus bona patrimonij S. Petri repetit, sed alijs quàm plurimis ad Carolum datis. Lege in eodem tomo Conciliorum epistolam I. ad Carolum; quâ à Ravennensibus per Carolum reddi postulat, civitates Æmiliæ, Faventiam, Forum populi, Forum Livij, Cæsenas, Bobium, Comiadum, Ducatum Ferrariæ, Jmolam, & Bononias, unà cum Pentapoli. Lege epistolam 15. quâ agrum Sabinensem: lege 29. aliasque. Lege etiam epistolam Hadriani ad Constantinum & Jrenen, quâ ea, quæ à Græcis erant ablata, reposcit: ut ea, quæ Constantinus M. olim dederat patrimonio Petri, Constantinus & Jrene mater restituat; de qua epistola Sirmondus & Gretserus.

Ac ne dubium sit de Constantini M. liberalitate in Ecclesiam Romanam, ad quam Hadrianus Pontifex provocat; recolenda est illa regia munificentia Constantini M. quâ scriptorum testimonio, tot Basilicas, & templa Christianorum Romæ, & per Jmperium exstruxit, tot Sacerdotum collegia dotavit, tot bona & possessiones, ubíque per Orientem & Occidentem Ecclesijs largitus est. Jnter quæ illud memorabile, quod Eusebius refert in Constantini vita, c. 33. 36. & 39. Jussisse publico edicto omnia Christianorum bona, quæ sub tyrannis Jmperatoribus publico fisco addicta fuerant, Ecclesijs attribui, ijs tantùm exceptis, quorum hæredes superessent. Et quanta Christianorum multitudo à trecentis ante ipsum annis aut martyrio affecta, aut proscripta; quorum bonis ingentes opes Romanæ Ecclesiæ accesserint necesse est: cùm toties Roma Christianorum sanguine exhausta sit. Hac liberalitate Constantinus

tinus M. nobilissimas Lateranorum ædes donavit Pontifici, quod Nisanius cum Conringio negat, licet id S. Hieronymus epistola ad Oceanum, alijque Scriptores affirment. Quin præter Lateranense palatium, ipsam etiam urbem Romanam, Constantini donatione Pontifici cessisse, scribit B. Adelhardus, Caroli M. consobrinus, & Corbejensis Abbas, Pipino adjunctus in administratione Italiæ, in libello de ordine palatij, ex quo Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus epistola 3. c. 13. in hæc verba: *Constantinus M. Imperator Christianus effectus, propter amorem, & honorem SS. Apostolorum Petri & Pauli, quorum doctrina ac ministerio, ad Christi gratiam baptismatis Sacramenti pervenit, locum ac sedem suam, urbem scilicet Romanam, Papæ Sylvestro, edicto privilegij tradidit, & sedem suam in civitate sua, quæ ante Byzantium vocabatur, nominis sui civitatem ampliando ædificavit.* Accedit his Ado Archiepiscopus Viennensis in Chronico, ætat. 6. *Constantinus*, inquit, *caput totius Imperij Romam, beatis Apostolis Petro & Paulo sub testamento tradidit.* Facilè nunc cæteros scriptores prætermitto, à quibus Constantini donatio asseritur, quos inter Godefridus Viterbiensis, in Chronico part. 6. c. 2. Burchardus, lib. 2. Decret. c. 5. Ivo Carnoten. part. 5. cap. 49. Leo IX. Epist. 1. contra præsumpt. Michaëlis Constantinopolit. Petrus Damianus in discept. Synodi, acta Sylvestri à Gelasio approbata, disp. 15. Et quos præterea Diana, quem ad manum non habeo, in hanc rem adducit. Illustre est, quod Luitprandus Cremonensis Episcopus, ex legatione ad Nicephorum Phocam Imperatorem, Ottoni Imperatori scribit: *Constantinus Imperator Augustus, qui hanc ex suo nomine condidit civitatem, sanctæ Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ ut erat Cosmocrator, multa donaria contulit; non in Italia solùm, sed & in omnibus penè Occidentalibus regnis, nec non de Orientalibus & Meridianis, Græciâ scilicet, Judæâ, Perside, Mesopotamiâ, Babyloniâ, Ægypto, Lybiâ: ut ipsius testantur privilegia, quæ penès nos sunt. Sanè quicquid in Italia, & in Saxonia, Bojaria, domini mei est,* (Ottonis nimirum primi,) *quod ad Apostolorum beatorum Ecclesiam respicit, sanctissimorum Apostolorum Vicario contulit. Etsi est, ut Dominus meus ex his omnibus civitates, villas, milites, aut familiam obtineat, Deum negavit.* Quibus verbis Luitprandus edicit, nihil bonorum sacrorum esse in potestate Imperatoris, quæ pietas & liberalitas piorum Principum, post Constantinum M. primum Christianorum Cæsarem, Ecclesijs donavit.

Jam verò quod attinet ad donationem Constantini M. & aliorum Imperatorum, ac Principum, eam esse auctam à Pipino Rege, & Carolo Magn. quod Catholici obtendunt, id ait Nisanius ex Conringij judicio, *Nullum habere monumentum hodie in scriptis Romanis, neque ejus donationis ullum testimonium superesse, præter Anastasij Bibliothecarij aulæ Romanæ mancipij.* Quasi Conringio hæretico, & tot scriptis ubique obtrectanti Pontificem, plus fidendum, quàm Anastasio Catholico, tam sincerè Vitas Pontificum ex Romanis tabularijs scribenti. Nam postquam Anastasius enumerasset civitates Longobardis ereptas, & à Pipino redditas, *De quibus,* inquit, *omnibus receptis civitatibus, donationem in scriptis beato Petro atq; sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vel omnibus in perpetuum Pontificibus Apostolicæ Sedis, emisit possidendam, quæ & usque hactenus in Archivio sanctæ nostræ Ecclesiæ recondita tenetur.* Præter Anastasium, Leo Ostiensis recenset, primùm magno numero civitates, unà cum Ducatu Spoletano, Beneventano, & Exarchatu Ravennæ, à Pipino restitutas. Deinde subjungit: *Eam donationem manu propriâ, & filiorum, plurimorumque judicum & Optimatum subscriptione roboravit. Demum idem Rex, unà cum Romano Pontifice in Italiam veniens, Ravennam & alias viginti civitates, eidem Aistulpho memorato sublatas, Apostolicæ sedi subjecit.* Hæc Leo Ostiensis, hist. Cass. lib. 1. c. 7. Nec modò has urbes redditas, sed & alias, antea ejusdem donatione collatas, percenset: quod & Baronius ad hunc annum Christi 755 confirmat. His adde diploma Ludovici Pij Imperatoris, de quo mox referam, quo donationem ab avo & patre factam confirmat. Tot hîc denuo testes, quot Episcopi, Abbates, & Comites subscripsere. Jam si frontem habes, aude posthac cum Conringio scribere, unum aulæ Romanæ mancipium Anastasium, donationis hujus testem duntaxat esse.

Sed & Constantini Magni, & Pipini Regis donationem non modò confirmatam, sed & cumulatam à Carolo M. constat ex eodem Anastasio, in vita Hadriani Pontificis. Quocirca duas tabulas donationis conscripsit, obligavit, & B. Petro obtulit; quarum alterâ continebatur *Promissio, quam ejus sanctæ memoriæ genitor Pipinus Rex,* præsente ipsomet Carolo, & Carolomanno fratre fecerat: alterâ vero continebatur, *Promissio,* quam ipse Carolus M. *in Francia fecerat. propriâ voluntate, bono ac libenti animo conscribi jusserat per Etherium, religiosum.*

Hanc

Hanc quoq; B. Petro, & præfato Pontifici, feria 4. Paschæ, ad altare obtulit, posuitq; super corpus B. Petri, osculatus Evangelia, quæ ibi sunt, pro firmissima cantela, & æternâ nominis sui, & regni Francorum memoriâ. Uti hæc pluribus Anastasius, & ex eo Baronius refert ad annum Christi DCCLXXIV. Hadriani verò tertium.

Quantâ exinde liberalitate Ludovicus Pius Imperator, donationes hasce patris Caroli, & Pipini avi sui, confirmârit atque auxerit; id satis diploma ejus ostendit, quod Volaterranus lib. 3. Geographiæ, & Gratianus dist. 63. ex parte, integrum verò Baronius ex codice Vaticano Tom. IX. annalium recitat ad annum Christi 817. Ludovici Imp. 4. *Ego Ludovicus Imperator Augustus, statuo & concedo per hoc pactum confirmationis nostræ, tibi B. Petro Principi Apostolorum, & per te Vicario tuo, Domino Paschali summo Pontifici & universali Papæ, & successoribus ejus in perpetuum, sicut à prædecessoribus vestris, usque nunc in vestra potestate, & ditione tenuistis, & disposuistis civitatem Romanam cum Ducatu suo, & suburbanis, atque viculis omnibus, & territorijs ejus, montanis, & maritimis littoribus, & portubus, seu cunctis civitatibus, castellis, oppidis.* Recenset exinde longâ serie urbes, oppida, territoria, Ducatus ac provincias, ac deinde subjungit: *Has omnes provincias supradictas, urbes, civitates, oppida & castella, vicos & territoria, simulq; & patrimonium jam dictæ Ecclesiæ tuæ, B. Petro Apostolo, & per te Vicario tuo, Spirituali Patri nostro, Domino Paschali summo Pontifici, & universali Papæ, ejusque successoribus, usque ad finem sæculi eo modo confirmamus, ut in suo detineant jure, principatu ac ditione. Simili modo per hoc nostrum confirmationis decretum firmamus donationes, quas piæ recordationis Domnus Pipinus Rex, avus noster, & postea Domnus & genitor noster, Carolus Imperator, B. Petro Apostolo, spontaneâ voluntate contulerunt.* Idem diploma ex monumentis Vaticanis integrum recitat Sirmondus, Tom. XXI. Concil. General. Paris. pag. 41. Vide nunc iterum Nifani, cum tuo Conringio; non solo Anastasij, sed ipsius etiam Ludovici Pij Imperatoris testimonio, donationes Pipini & Caroli M. Romanæ Ecclesiæ factas asseri; probarique præterea urbem Romanam ante Pipinum & Carolum M. fuisse in potestate Pontificis Romani. Subscripsêre huic diplomati tres ejus filij, Episcopi X. Abbates VIII. Comites XV. Meminit quoque hujus decreti Leo Ostiensis lib. 1. cap. 18. Auctor Chronici Reicherbergensis Gerhous ibidem Præposi-

Præpositus. Idem ferè leges apud Sigonium lib. 7. in Ottone M. ad annum 967. & 973. in Histor. de Regn. Italiæ. Tursellin. in Otton. M. alios que Scriptores. Hoc antecedentium jure subnixus Sergius II. Pontifex, Ludovicum quidem Lotharij Imperatoris filium Romæ coronavit, excercitum tamen ne quidem hospitij causa in Urbem intromittere voluit; sed munitis clausisque portis auctoritatis nutu, & religione templi objectâ inhibuit. Uti id Anastasius in vita Sergij, Browerus in Annal. Trev. & alij referunt. Ac licet Lothario Imperatori in divisione regni cessisse dicat cum Italia urbem Romanam, haud aliter dixit, quàm urbem Romanam contineri intra terminos ejus regni, nulla verò jurisdictione vel in Pontificem, vel in Urbem Romanam acceptâ: Inde & Leo ejus nominis IV. Pontifex, qui Sergio subrogatus est Urbem Romanam, quam Leo III. Pontifex Carolo M. Imperatore præmunierat, collapsis deindè muris, suo ære instauravit. Novam deindè adjecit urbem, ex Transtiberianis suburbijs munitam, quam *Leoninam* ab ejus nomine dixêre posteri, ad quod opus perficiendum, Lotharius Imperator, & Reges fratres, multas argenti libras dono obtulêre: tantum abest, ut Urbem sibi vendicarent. Opere ob metum Saracenorum accelerato, & perfecto, cum Episcopis, & Sacerdotibus universoque clero, & populo nudis pedibus per murorum ambitum supplex processit. Uti hæc multis relata sunt ab Anastasio in vita Leonis, & tom. XXI. Concil. General. alijsque Italicis Scriptoribus.

Obijcitis, Romanos Pontifices non semper fuisse in possessione urbis Romanæ. Ita quidem se habet; subinde enim Urbs à Gothis & Barbaris, subinde à schismaticis & hæreticis Græcorum Imperatoribus occupata. Et quantum non Romani Pontifices vexati ab Exarchis? sed inusus, sivè non usus, arguitne rem non esse concessam? Quantum non stomachum tuum movebit, si legas Sylvestro Pontifici diadema à Constantino oblatum? quo tamen uti noluit, quod ex edicto Constantini asserit Leo IX. Pontifex, ad Michaëlem Constantinopolitanum Imperatorem. Legas præterea quæ Baronius ad annum Christi 324. scribit de Constantini M. in Ecclesiam munificentia, quæque Gretserus in commentariolo de donationibus Principum.

Hæc paucis ad donationem Constantini M. Pipini Regis, & Caroli M. quam Nisanius suis calumnijs traducit, interque commenta & fabulas

fabulas, cum Conringio, & sectarijs suis reponit. Atque ut videas, quam falsè, & perfidè nobiscum agatis, addo postremùm Ottonis M. & primi è Saxonum gente nostrâ religiosissimi Jmperatoris diploma, anno Christi 962. consignatum; cujus autographum aureis literis exaratum, asservatur Romæ in Castello S. Angeli, recitaturque non modò à Baronio, sed & in ipsis Conciliorum Generalium tomis, uti & tom. IX. Concil. Parisiens. ex recenti editione leges.

DIPLOMA OTTONIS IMPERATORIS,

De confirmatione Jurium Romanæ Ecclesiæ.

In nomine Dei omnipotentis Patris, et Filij, et Spiritus Sancti.

EGo Otto Dei gratia Imperator Augustus, una cum Ottone glorioso rege filio nostro, divina ordinante providentia, spondemus atq; promittimus per hoc pactum confirmationis nostræ, tibi beato Petro Principi Apostolorum, & clavigero regni cælorum, & per te Vicario tuo Domno Ioanni summo Pontifici, & universali XII. Papæ, sicut à prædecessoribus vestris usque nunc in vestra potestate, atq; ditione tenuistis, & disposuistis civitatem Romanam, cum ducatu suo, & suburbanis suis, atq; viculis omnibus, & territoriis ejus, montanis & maritimis, littoribus, atque portubus, seu cunctis civitatibus, castellis, oppidis, ac viculis Tusciæ partibus, id est Portum, Centumcellas, Cerem, Bledam, Marturianum, Sutrium, Nepem, Castellum, Gallisem, Ortem, Polimartium, Ameriam, Tudam, Perusiam cum tribus insulis suis, id est Majore, Minore, Pulvensim, Narniam, & Utriculũ, cum omnibus finibus ac territorijs ad suprascriptas civitates pertinentibus. Nec non exarchatum Ravennatem sub integritate, cum urbibus, civitatibus, oppidis, & castellis, quæ piæ recordationis Domnus Pipinus, & Domnus Carolus excellentissimus Imperator, prædecessores videlicet nostri, beato Petro Apostolo, & prædecesso-

cessoribus vestris, jam dudum per donationis paginam contulerunt, hoc est civitatem Ravennam, & Æmiliam, Bobium, Cesenam, Forum populi, Forum Livij, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comiaclum, & Hadrianis, atque Gabellum, cum omnibus finibus, territorijs, atque insulis, terra mariq; ad suprascriptas civitates pertinentibus: Simul & Pentapolim, videlicet Ariminum, Pisaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Ausimum, Humanam, Hesim, Forum Sempronij, Montem Feltri, Vrbinum, & territorium Balnense, Calles, Luciolis, & Eugubium, cum omnibus finibus, & territorijs ad easdem civitates pertinentibus.

Eodem modo territorium Sabinense, sicut à Domno Carolo Imperatore antecessore nostro, beato Petro Apostolo per donationis scriptum concessum est sub integritate. Item in partibus Tusciæ Longobardorum Castellum Felicitatis, Vrbem veterem, Balneum regis, Ferentum, Viterbium, Ortem, Nartam, Tuscanam, Suanam, Populonium, Rosellas, cum suburbanis, atque viculis omnibus, & territorijs ac maritimis oppidis, ac viculis, seu finibus omnibus. Itemque Almus cum insula Corsica, deinde in Suriano, deinde in monte Bardonis, deinde in Berceto, exinde in Parma, deinde in Regio, exinde in Mantua, atque in monte Silicis atque provincia Venetiarum, & Istria, nec non & cunctum ducatum Spoletanum, seu Beneventanum, unà cum Ecclesia sanctæ Christianæ posita propè Papiam juxta Padum quarto milliario.

Item in partibus Campaniæ Soram, Arces, Aquinum, Arpinum, Theanum, & Capuam, nec non patrimonia ad potestatem, & ditionem vestram pertinentia, sicuti est patrimonium Beneventanum, & patrimonium Neapolitanum, & patrimonium Calabriæ superioris, & inferioris. De civitate autem Neapolitana, cum castellis, & territorijs & finibus, & insulis suis sibi pertinentibus, sicut ad easdem respicere videntur, nec non patrimonium Siciliæ si Deus nostris illud tradiderit manibus. Simili modo civitatem Cajetam, & Fundum cum omnibus earum pertinentijs.

Insuper offerimus tibi, beate Petre Apostole, Vicarioque tuo Domno Ioanni Papæ, & successoribus ejus, pro nostra animæ remedio, nostrique filij, & nostrorum parentum, de proprio nostro regno civitates, & oppida cum piscarijs suis, idest Reatem, Amiternum, Furconem, Nursiam, Balvam, & Maesim, & alibi civitatem Interamnem, cum pertinentijs suis.

Has omnes supradictas provincias, urbes, civitates, oppida, & castella, viculos, & territoria, simulq; & patrimonia, pro remedio animæ nostræ, & filij

filij nostri, sive parentum nostrorum, ac successorum nostrorum, & pro cuncto à Deo conservato, atque conservando Francorum populo, jam dictæ Ecclesiæ tuæ, beate Petre Apostole, & per te Vicario tuo spiritali Patri nostro, Domno Ioanni, summo Pontifici, & universali Papæ, ejusque successoribus usque ad finem sæculi, eo modo confirmamus, ut in suo detineat jure, principatu, atque ditione.

Simili modo per hoc nostræ delegationis pactum confirmamus donationes, quas piæ recordationis Domnus Pipinus Rex, & postea Domnus Carolus excellentissimus Imperator, beato Petro Apostolo spontanea voluntate contulerunt: nec non & censum, vel pensionem, seu cæteras dationes, quæ annuatim in palatium regis Longobardorum inferri solebant, sive de Tuscia, sive de ducatu Spoletano, sicut & in suprascriptis donationibus continetur, & inter sanctæ memoriæ Hadrianum Papam, & Domnum Carolum Imperatorem convenit, quando idem Pontifex eidem de suprascriptis ducatibus, id est Tuscano, & Spoletano, suæ auctoritatis præceptum confirmavit: eo scilicet modo, ut annis singulis prædictus census ad partem Ecclesiæ beati Petri Apostoli persolvatur: salva super eosdem ducatus nostra in omnibus dominatione, & illorum ad nostram partem & filij nostri subjectione. Cæterum, sicut diximus; omnia superius nominata ita ad vestram partem per hoc nostræ confirmationis pactum roboramus, ut in vestro permaneant jure, principatu, atque ditione: Et neque à nobis, neque à successoribus nostris per quodlibet argumentum, sive machinationem, in quacunque parte vestra potestas imminuatur; aut à vobis inde aliquid subtrahatur de suprascriptis videlicet provincijs, urbibus, civitatibus, oppidis, castris, viculis, insulis, territorijs, atque patrimonijs, nec non & pensionibus atque censibus: ita ut neque nos ea facturi simus, neque quibuslibet ea facere volentibus consentiamus. Sed potius omnium, quæ superius leguntur, id est, provinciæ, civitates, urbes, oppida, castella, territoria, & patrimonia, atque insulæ, censusque & pensiones ad partem Ecclesiæ beati Petri Apostoli, atque Pontificum in sacratissima illius sede residentium, nos in quantum possumus, defensores esse testamur, ad hoc, ut ea in illius ditione, ad utendum, & fruendum, atque disponendum firmiter valeant obtineri: salva in omnibus potestate nostra, & filij nostri, posterorumque nostrorum, secundum quod in pacto, & constitutione, ac promissionis firmitate Eugenij Pontificis, successorumque illius continetur, id est:

Vt omnis Clerus, & universa populi Romani nobilitas, propter diversas

ſas neceſſitates, Pontificum irrationabiles erga populum ſibi ſubjectum aſperitates retundendas, ſacramento ſe obligent: quatenus futura Pontificum electio (quantum uniuſcujuſque intellectus fuerit) canonicè & juſtè fiat; & ut ille, qui ad hoc ſanctum, atque Apoſtolicum regimen eligitur, nemine conſentiente, conſecratus fiat Pontifex, priuſquam talem in præſentia miſſorum noſtrorum, vel filij noſtri, ſeu univerſæ generalitatis, faciat promiſſionem pro omnium ſatiſfactione, atque futura conſervatione, qualem Domnus, & venerandus ſpiritalis Pater noſter Leo ſponte feciſſe dignoſcitur.

Præterea alia minora huic operi inſerenda prævidimus, videlicet, ut in electione Pontificum, neque liber, neque ſervus, ad hoc venire præſumat, ut illis Romanis, quos ad hanc electionem per conſtitutionem ſanctorum Patrum antiqua admiſit conſuetudo, aliquod faciat impedimentum. Quod ſi quis contra hanc noſtram inſtitutionem ire præſumpſerit, exilio tradatur.

Inſuper, ut nullus miſſorum noſtrorum cujuſcunque impeditionis argumentum componere in præfatam electionem audeat, prohibemus. Nam & hoc omnimodis inſtituere placuit, ut qui ſemel ſub ſpeciali defenſione Domni Apoſtolici, ſive noſtra fuerint ſuſcepti, impetrata juſtè utantur defenſione. Quod ſi quis quenquam illorum, qui hoc promeruerunt, violare præſumpſerit, ſciat ſe periculum vitæ ſuæ eſſe incurſurum.

Illud etiam confirmamus, ut Domno Apoſtolico juſtam in omnibus ſervent obedientiam, ſive ducibus ac judicibus ſuis ad juſtitiam faciendam. Huic enim inſtitutioni hoc neceſſariò annectendum eſſe perſpeximus, ut miſſi Domni Apoſtolici, ſeu noſtri ſemper ſint conſtituti, qui annuatim nobis, vel filio noſtro renuntiare valeant, qualiter ſinguli duces, ac judices populo juſtitiam faciant. Hanc imperialem conſtitutionem quomodo obſervent, qui miſſi, decernimus, ut primum cunctos clamores, qui per negligentiam ducum, ſeu judicum fuerint inventi, ad notitiam Domni Apoſtolici deferant. Et ipſe unum è duobus eligat, aut ſtatim per eoſdem miſſos fiant ipſæ neceſſitates emendatæ, aut miſſo noſtro nobis renuntiante per noſtros miſſos à nobis directos emendentur. Hoc ut ab omnibus fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ, & noſtris firmum eſſe credatur, propria manus ſignaculo & nobilium optimatum noſtrorum ſubſcriptionibus hoc pactum confirmationis noſtræ roboravimus, & bullæ noſtræ impreſſione obſignari juſſimus.

Signum Domni Ottonis, ſereniſſimi Imperatoris, ac ſuorum Epiſcoporum Abbatum & Comitum.

Signum

Signum Adaldagi Hāmmaburgensis Ecclesiæ Archiepiscopi.
Signum Hartberti Curiensis Ecclesiæ Episcopi.
Signum Druogonis Osnaburgensis Ecclesiæ Episcopi.
Signum Votonis Argentinensis Ecclesiæ Episcopi.
Signum Otvvini Hildesheimensis Ecclesiæ Episcopi.
Signum Landvvarti Mindonensis Ecclesiæ Episcopi.
Signum Otgeri Nemetinensis Ecclesiæ Episcopi.
Signum Gezonis Tortonensis Ecclesiæ Episcopi.
Signum Hucberti Parmensis Ecclesiæ Episcopi.
Signum Vuidonis Mutinensis Ecclesiæ Episcopi.
Signum Attonis Fuldensis Monasterij Abbatis.
Signum Guntharij Herolfeldensis Monasterij Abbatis.
Signum Eberarti Comitis.
Signum Guntharij Comitis.
Signum Burgharti Comitis.
Signum Vtonis Comitis.
Signum Cronratis Comitis.
Signum Ernustes.
Signum Thittheris, Ricdages, Liupen, Hārtvviges, Arnolves, Ingilthies, Burchartes, Retinges.

Anno Dominicæ incarnationis nongentesimo, sexagesimo secundo, indictione quinta, mense Februarij, decimo tertio die ejusdem mensis, anno verò Domini Ottonis imperij invictissimi Imperatoris vigesimo septimo, facta est hæc pactio feliciter.

Legis hic præter cætera Ottonis M. & tot Episcoporum testimonia, quibus Pipini Regis, & Caroli M. donatio Romanæ Ecclesiæ facta confirmatur, quam tu cum Conringio inter figmenta habes. Quid nunc dices Nifani? faciesne Ottonem M. & tot Saxoniæ nostræ Episcopos, cæterosque qui subscripsêre mendaces? aut diploma negabis, quod hodiedum aureis literis scriptum extat? nisi omnem fidem humanam è mundo tollere libeat, quando in historijs nihil certius, quàm quod hujusmodi diplomatum fide asseritur. Similis fidei ac formæ est diploma D. Henrici Imp. quo patrimonium Rom. Ecclesiæ confirmat. Leges id apud Baron. & Tom. IX. Conc. Gen. Par. edit. ult.

Sed

Sed quid hic agimus? Homines odio in Romanam Ecclesiam excęcati, qui testimonia divina non recipiunt, humana quomodo admittent? *Qui per fallaciam veniunt*, quærit Tertullianus, *quam fidem obtendunt?* dicam planiùs. Qui per hæresin Deo fidem fefellêre, cui mirum ab his humanam fidem reijci, aut eludi; literis, ac tabulis, quibus Principes vestri politici bona hæreditaria possident, credi vultis, & Ecclesiæ tabulis fidem abrogatis. At quanto satius faceres tu, & Cõringius, si ab Ottone M. & majoribus ejus, Ludolpho nimirum proavo, Ottone avo, Henrico patre, ac Rege, magnis Saxoniæ ducibus; si ab Ottone II. filio, Ottone III. & Henrico S. nepotibus, & magnis è gente nostra Imperatoribus disceres venerationem Romanæ Ecclesiæ, & avitã majorum religionem, quam illi tot donationibus Ecclesiarum, tot fundationibus Collegiorum, Cœnobiorum, & Episcopatuum, tot diplomatum tabulis, tot sacrorum ubique per Saxoniam monumentis, testatam reliquêre. Sed horum spolia vobis gratiora, quàm sincera & Christiana memoria, ne per hæc vestigia antiquitatis, monstretur populo via veritatis.

CAPVT VII.

An Carolus M. ius eligendi Romanum Pontificem ab Hadriano Pontifice acceperit?

Audacter affirmat id Nifanius, in hæc verba: *Carolus M. ab Hadriano Pontifice accepit jus, & potestatem eligendi Romanum Pontificem, & ordinandi sedem Apostolicam. II. ab eodem Hadriano accepit jus investiendi Archiepiscopos & Episcopos. Id verò jus quia Pontifices per tyrannidem eripuerunt, quantum*, exclamat, *recessère Romani & Catholici à Caroli M. religione!* Quantum tu hîc desipis rursum! Duo moves, quæ ordine expedienda. Primum est de potestate eligendi Pontificem, quæ Carolo M. data sit ab Hadriano Pontifice; in quam rem, dicis, habere vos diploma Hadriani Papæ, cujus mentio quoque fit apud Sigebertum. Qua in controversia, ut tecum agam quæro.

Jus

Jus illud eligendi Pontificem, fuitne divinum, an humanum in Imperatore? Non divinum: quia ab Hadriano Pontifice datum agnoſcis Carolo M. ergo humanum fuit; quod vel ex eo clarum eſt, quia Romani Pontifices a S. Petro, ad Conſtantinum M. per trecentos annos ſub ethnicis Imperatoribus fuêre; quibus tamen nullum jus fuit eligendi Chriſtianos Pontifices. Quocirca ſi humanum jus fuit, nulla hîc jactura facta eſt in articulis fidei, qui juris divini ſunt. Deinde, jus illud humanum, fuit à Pontifice Romano, ut fateris: & ſi à Pontifice Romano? ergò ab *Antichriſto*: quando jam inde à tempore S. Gregorij Papæ per ducentos annos, ſcribis, ſediſſe Pontifices Romæ, *in ſedili Antichriſti*: & ſi ab *Antichriſto*, quomodo Chriſtianum eſſe potuit, & à Carolo M. acceptari? aut quâ conſcientiâ ex jure illo potuit Carolus M. & ſucceſſores ejus, eligere Romanos Pontifices, & in throno Antichriſti collocare? *Serve nequam, ex ore tuo te judico.* Tertiò ſcribis Imperatorem habere Primatum, & poteſtatem ſupra Pontificem Romanum; id ſi ex ore tuo verum eſt; ad quid opus erat privilegio, ac jure illo eligendi Pontificem? qui ſuperiori poteſtate poterat conſtituere & imponere Pontifices? Quam hoc abſurdum! Tam delira ſunt cætera, quæ hîc prætermitto. Miræ noctuæ videntur nidum ſtruxiſſe, in muſcoſo cerebro tuo. Sed jam te expediam ex ſomnio tuo.

℟. I. Jus illud eligendi Pontifices, nullo *jure divino* habuêre Imperatores; aliàs nunquam electio Pontificis ſine illo fieri debuiſſet: Neque ex *vi Imperij*: quia ſtatim ab initio Imperij ſibi arrogaſſent Cæſares; tum etiam quia Pontificis dignitas, ſuo modo divina eſt, ex ſupernaturali poteſtate; Imperium verò terrenum, & humanum eſt. Quo ergo modo electio Pontificis ad illos pervenit? duplici nimirum. Primò per vim, & potentiam; quo modo à Juſtiniano ad Conſtantinum IV. qui juri ſuo ceſſit, uſurparunt: ut ſatis deplorat S. Gregorius in pſal. 5. multiſque oſtendit Bellarm. lib. 1. de Cleric. c. 9. Et Baronius ad annum Chriſti 590. ubi Imperatorum violentiam, avaritiam, & Simoniam, in extorquenda pecunia pro confirmatione exponit: duravitque hæc mala conſuetudo ad Agathonem Papam, ut conſtat ex *cap. Agatho, d. 63.* Ex ſumma autem vi, & injuria, nullum jus comprobari legitimum poteſt. Alter modus eſt per conceſſionem, ac privilegia Pontificum. Et hoc modo

ferunt

ferunt, Carolum M. & Ottonem Imperatorem, consecutos privilegium eligendi Pontificem; illum ab Hadriano, hunc à Leone VIII. Pontifice: nixi Gratiano, qui id refert in c. *Hadriani*, & c. *Synodo* d. 63. Verùm ad annum Christi 774. Baronius, & Spondanus; Azorius part. 2. lib. 3. c. 29. alijque id Gratianum ex falsis historijs referre, & privilegia illa à schismaticis conficta fuisse contendunt, simulque Sigebertum imposturæ convincunt, qui schismatis Henrici Imperatoris fautor, scripsit Carolum M. post primum accessum ad urbem Romanam, redijsse paucis post diebus Papia ad Urbem; ubi in Concilio Romano CLIII. Episcoporum, hoc ei privilegium, ab Hadriano datum sit: de quo tamen, nec in Francorum annalibus; nec in actis, & vitâ Hadriani; nec in historicis ejus ævi, ulla est mentio. Et quàm falsò id scribat Sigebertus, vel ex eo constat, quòd Carolum M. quinquies Romam adijsse dicat: cùm cæteri omnes scriptores, non nisi quater id factum memorent. Vnde ergo quintus ille adventus? Vndè diploma illud Hadriani, quod Nisanius cum tanto triumpho producit? quod inter acta Hadriani nullibi reperitur? Figmentum est schismaticorum, & hæreticorum. At Goldastus hæc refert, & tuetur; homo videlicet Calvinista, tot fallacijs & criminationibus convictus: quem in hac re luculenter refutavit Gretserus in Apol. Baronij, cap. 1. lib. 2. c. 1. & 2. contra replicationem Goldasti. Addit Nisanius Marc. Anton. de Dominis, apostatam Catholicæ religionis, Arnisæum, Conringium, qui Sigebertum vindicent: sed hi tam hæresis tuæ, quàm Sigebertus schismatis sui patroni sunt, à quibus hac in re nihil veri exspectare licet; cum his nihil aliud propositum fuerit, quam Pontificis auctoritatem labefactare. Walthramus Naumburgensis, quem tribus annis ante Sigebertum scripsisse refers, eadem schismatis labe per Saxoniam infectus fuerit, quales tum alij scriptores partes Cæsaris secuti sunt. Antiquiorem ex Caroli M. & Ludovici Pij ætate desideramus: hîc hæretis. Ac mirum sanè, si ab Hadriano Pontifice hoc Carolo privilegium sit datum, Carolum in electione Leonis eo non esse usum, quod tamen maximè fieri oportebat: nihil vero in ejus vita, & electione hac super re proditum: ne quidem de legatis Caroli tum præsentibus, refertur q; electio ejus à Sacerdotibus, & Clero in Natali S. Stephani facta, cui Carolus postea in Epist. ad Leonem gratulatur de unanimitate electionis, nihil sibi ex eâ vendicando, Tom. 20. Conc. Gen. Parisiens. edit.

Hinc

Hinc Sigonius multò cautius, Carolum quidem illo privilegio donatum scribit,& mox ultro renuntiasse. Adhæc cum Hadrianus II. eligeretur,fuere in Urbe præsentes Ludovici Pij Imp.Missi seu Legati,questi quidem illi, quod ad electionem vocati non sint, sed responsum: *id non contemptu Cæsaris,sed futuri temporis prospectu factum esse, ne videlicet legatos Principum exspectandi mos per hujusmodi formulam inolesceret.* Quo responso&legati,& Imperator acquieverunt,&collaudarunt factũ. Grat.dist.6.c.21.Imo ipse Imperator Ludovicus Pius lege pòst sanxit,ne quis Francus, aut Longobardus,aut alius ex gente sua, aut publicè, aut privatim se electioni immisceret,dist.63.c.30.31.&32.Omitto hîc Pontificum & Imperatorum decreta de liberâ Episcoporum electione, quâ super re Baronius ad annum Christi 774.

Sed demus vobis ejusmodi privilegium datum esse CaroloM.idque ad successores transijsse,quid inde conficitis aliud, quàm summam Pontificis auctoritatem,& eminentiam,qui tale privilegium Imperatori dare potuerit, quod ex sua potestate non habebat? Id sicut unus Pontifex dare, ita alter etiam ex justis causis,ut post factum, rursum revocare potuit;quòd semper Imperator Pontifici maneat inferior,quando per tale privilegium nulla spiritualis jurisdictio cum Imperatore communicatur:nam jus nominandi,eligendi,vel etiam confirmandi,non est jurisdictio,sed auctoritas quædam circa personam eligendam. Eligunt Cardinales Pontificem,& Canonici Episcopum:nec tamen supra electum postea habent jurisdictionem, cui mox ut electus est, subijciantur : quod maximè in Pontifice valet, qui immediatè à Deo potestatem & jurisdictionem accipit in universum orbem Christianum. Hæc & similia principia Catholicæ religionis te primùm oportebat oppugnare, antequam tam frivola,insulsa & confutata toties proferres in medium , accumulando tot scriptores è sectis tuis,in quibus tantum sapientiæ,quantum in te est. Non illis Philologorum commentis, sed Theologorum placitis, Conciliorum decretis, Apostolica consuetudine & judicio Catholicæ Ecclesiæ res conficitur.

CAPVT VIII.

Vtrum Imperium Romanum auctoritate Leonis Romani Pontificis translatum sit in Carolum M.

VUlgata & nota controversia de translatione Imperij à Græcis in Francos seu Germanos, quæ cum Lutheri hæresi,odio nimirum in Pontificem mota ab heterodoxis : nec tamen ijdem inter se,ut in omni hæresi fit, consentiunt:dum alij jure belli à Carolo M.Imperium acquisitum volunt; alij dono Græcorum Imperatorum, aut transactione cum Græcis; alij successione hæreditariâ;alij electione Senatus populique Romani translatum contendunt. At nulli heterodoxorum quod Catholici asserunt , auctoritate Pontificis factum volunt. Alij hæc omnia miscent,conjunguntq; quo callidius fallant. Hos inter Nisanius ita pronuntiat: *Communis est sententia* (hæreticorum videlicet fratrum ejus) *Carolus Imperium partim armis occupatum sibi vendicavit,partim facta cum Constantinopolitanis pactione obtinuit , partim à senatu populoque Romano ultro sibi allatum suscepit , in quo Pontifex non nisi partes primarij civis,aut unius ex statibus habuit, à quo coronam impositam accepit.* Falsò hæc quidem, sed tamen mitius, quàm Lutherus: nam ut Chytræus testatur in Commentario c.13. Apocalyp. Imperium quidem Germanicum à Papa constitutum,& in Carolum M.translatum,sed Papam in ea re Antichristum, & bestiam in Apocalypsi descriptam præclarè egisse docet; ideoq; Germanicũ Imperiũ non alio jure, quàm Antichristi ad Francos,Germanosque pervenisse. Lutherum secutus Illyricus cum Centuriatoribus,Bibliander,Chytręus,cæteriq; Lutherani:qui tamen in eo nobis gratiam magnam præstant,quod Pontifici adscribant translationem Imperij. Adeo *mentita est iniquitas sibi.* Nunc ordine singula paucis refellamus: nec multis opus, quando de hac re fusè Bellarminus lib.de translatione Imperij, Baronius ad annum Christi 801. Gretzerus Tom.2. defens. Bellarm. Azorius p.2. lib.10.c.2. alijque ab Azorio citati.

I.Non

I. No[illegible]tio est de Imperio Romano, quod à C. Julio Cæsare & Aug[illegible] continuatumque est ad Constantinum M. id enim per vim [illegible]nidem magis, quam per leges & jura cœpit, quamvis postea S[illegible] populique Romani consensu confirmatum sit. Qui deinde Aug[illegible] successerunt Cæsares, nec Christiani fuerunt, ij modo à populo, mo[illegible] Senatu, modo ab exercitu, modo à Prætorianis militibus, modo per vim & tyrannidem, modo ab ipsis Imperatoribus nominati, electi, creatique sunt, accedente tandem Senatus populive Romani aut tacito aut expresso consensu.

II. Neque hic quæstio est de Imperatoribus qui pòst Constantino M. usque ad Carolum M. successere, hi enim licet Christiani fuerint, ac perinde Romano Pontifici, ut Christi Vicario subjecti; attamen magis per successionem, quàm electionem, Romani Pontificis auctoritate Imperatores facti sunt. Quanquam ex his nonnulli per vim & tyrannidem imperium sumpserint, alij vel ab exercitu vel ipsismet Imperatoribus nominati, electique adierint imperium. Quin & de his scripsit D. Thomas in opusc. de regimine Principum lib. 3. cap. 16. eos à Vicario Christi summo videlicet Pontifice dependisse. *Vnde*, ut ipse inquit, *ipsorum imperium ad exequendum regimen fidelium secundum mandatum summi Pontificis ordinabatur, ut merito dici potuerint executores, & Imperatores Dei, ad gubernandum populum Christianum.*

III. Quæstio verò est de Carolo M. & ijs Imperatoribus, qui Carolo M. successerunt, nam ab eo tempore Imperator à Romano Pontifice confirmari, inungi, sacrari & coronari cœpit; atque inde tanquam patronus & protector Ecclesiæ jurejurando promittere consuevit, se Ecclesiam, & Romanum Pontificem Christi Vicarium, ac Petri successorem defensurum. Hinc nunc quæstio procedit de Carolo M. unde is Imperatoriam potestatem consecutus sit: quam in rem multi tituli adferuntur, per quos eundum.

Primò, Carolus M. non accepit immediatè à Deo Imperij dignitatem. Certum quidem est, solius Dei dono id fieri potuisse, quemadmodum olim Deus Moysen, & plerosque alios Judices Hebræorum populo præfecit: ita Saulem & Davidem reges constituit, ita Aaronem in republ. Hebræorum, & Petrum in Ecclesia Christianorum, solius Dei benignitas summos Antistites fecit. Ac licet Pontifex Romanus, Petri suc-

ceſſor à Cardinalibus eligatur, ſupremam tamen in Eccleſia poteſtatem, ac jurisdictionem Spiritualem immediate à Deo accipit. Verum ejuſmodi titulum Carolo M. non convenire, docent omnes veteres auctores, qui de Caroli M. coronatione, aut de modo quo ad imperium pervenerit, ſcripſerunt. Neque hic controverſia eſt, quando aut ex jure belli, aut ex Senatus populíque Romani electione, alijsq; ex titulis illi Imperium adſcribunt.

II. Carolus M. Imperium non acquiſivit armis ac jure belli, ut Niſanius obtendit cum ſuis; id enim fieri debuit, poſtquam regnum Longobardorum in Italiâ occupavit, quod aliquando Romana provincia fuit: at Carolus ex quo ab anno Chriſti 773. Deſiderium Longobardorum Regem captum abduxit in Galliam, regnóque illo potitus eſt, ad annum Chriſti 801. quo à Leone coronatus eſt, nunquam ſibi Imperatoris, ſed Regis tantummodo titulum vendicavit, ut ex innumeris diplomatis conſtat. 2. Si quotquot Romanas provincias occuparunt armis, Imperatores ſunt jure belli? quot ex Gallia, Hiſpania, Germania, Anglia occupata, Romanisque erepta, Imperatores habebimus: id quod nemo ſanæ mentis dicet. 3. Imperium Occidentale extinctum eſt in Valentin. III. Imperatore, inde ad Auguſtulum, cæteri umbræ potius Cæſarũ, quam Cæſares fuêre. Quando & Odoacer Herulorũ Regulus ac primus Germanorũ qui Romam occupavit & Regis nomine per multos annos Italiam obtinuit. Cui ſucceſſit Theodoricus Gothorũ Rex, urbis invaſor, & Rex Italiæ clariſſimus, neuter tamen ex eo ſe Imperatorem tulit. 4. Carolus M. nunquam Romanorum hoſtis ſed patricius Romanorum ab Hadriano Pontifice renuntiatus, urbem Romanam occupavit: Imò dum in primo adventu Romam veniret, petijt à Pontifice facultatem ingrediendi Urbem: inde & nihil unquam hoſtile per omnem vitam egit ad Urbem ſui juris faciendam. Quo ergo jure belli ſibi ex eâ imperium vendicavit? 5. Neq; Carolus ſibi ex illo titulo, neq; ullus ſcriptorum Carolo imperij dignitatem adſcripſit. Unde ergo hic titulus ex jure belli, niſi ex commentis heterodoxorum?

III. Carolus M. Imperium nec donatione, nec pactione, aut transactione à Græcis & Conſtantinopolitanis Imperatoribus acceptum, tranſtulit ad Germanos. Juſtinianus quidem Imperator Orientis, Italiam, Romamque, per Beliſarium anno Chr. 537. receperat, inde Exarchi

ab

ab Imperatoribus in Italiam mitti ſoliti, (poſtquam maxima ejus pars à Francis & barbaris occupata jam eſſet,) ad regendas imperij Occidentalis reliquias; ijque non Romæ, ſed Ravennæ conſederunt. Ac miſer tum ſtatus Imperij, ex quo in Oriente Imperatores plerique aut impij, aut ſchiſmatici, aut hæretici: quales poſtremum Leo Iſauricus, & Copronymus: interim per Occidentem non niſi umbra Imperij apud Exarchos relicta; donec divino tandem conſilio Carolus M. Franciæ, & Italiæ Rex, domitorque Saxoniæ, à Leone Pontifice Imperator eſt coronatus. Qua in translatione imperij, nulla Græcorum Imperatoris, aut donatio, aut pactio intervênit. I. Quòd famâ hujus coronationis perlatâ ad Græcos Imperatores, vehementer illi commoti ſint, & indignati, teſtis Eginardus Caroli M. Cancellarius, ac ſcriptor ejus vitæ; is expoſitâ coronatione, ita ſubijcit: *Invidiam ſuſcepti nominis Conſtantinopolitanis Imperatoribus ſuper hoc indignantibus, magnâ tulit patientiâ, vicitque eorum contumaciam magnanimitate.* Eadem Sigebertus in Chron. & Crantzius lib. 2. Saxoniæ, cap. 8. repetit. II. Crebræ quidem legationes Caroli M. ad Græcorum Imperatores, & viciſſim ab ijs ad Carolum M. quales in Francorum annalibus memorantur, anno Chriſti 798. ante coronationem Irenes, ad Carolum pro captivorum reſtitutione; anno Chriſti 802. poſt coronationem ab Irene, pro pace inter Francos & Græcos; anno Chriſti 803. Nicephori qui Irenę ſucceſſerat, pro impetranda pace; anno Chriſti 812. Caroli legatio ad Michaëlem, qui Nicephoro ſucceſſerat, & Michaëlis ad Carolum, quâ pax confirmata, & legati Carolum Græcâ linguâ laudantes, Imperatorem *βασιλέα*, vel inviti tandem appellarunt. Nulla in his legationibus mentio, aut de donatione imperij, aut pactione cum Græcis Imperatoribus: unde ergo hic titulus aditi imperij, niſi ex cerebro tuo? aut ſi tantus es hiſtoricus, profer hujus donationis, & transactionis tabulas. Ego tibi præter Annales Francorum, ſiſto Aimoinum, lib. 4. c. 90. & 91. Paulum Diaconum lib. 23. Adonem Viennenſem in Chronico, Reginonem lib. 2. Ottonem Friſingenſem lib. 5. c. 31. Cedrenum in compendio hiſt. Zonaram in Annal. Urſbergenſem, Hermannum Contractum, Sigebertum in Chronico, Blondum lib. 1. decad. 2. qui coronationem Caroli à Leone Pontifice factam referunt, nullâ mentione factâ pactionis hujus, aut donationis Græcorum: quod tamen in re tam memorabili facere oportebat.

IV. Non etiam Carolus M. imperij dignitatem consecutus est auctore Senatus populique Romani, id enim si factum fuisset in Carolo M. deberet aliquot Senatus Consultum, aut plebiscitum proferri, in hac imperij translatione; quod nec in Annalibus Francorum, nec ab alijs scriptoribus est proditum. Imò hoc coronationis consilium tam occultum fuit, teste Eginardo in Caroli M. vita: *Se eo die, quamvis præcipua solemnitas esset, Ecclesiam non intraturum fuisse; si Pontificis consilium præscire potuisset:* Viden' ut ad Pontificis consilium, non ad Senatûs consultum referat? unde nonnisi populi acclamatio, post coronationem facta memoratur ab historicis. II. post Monarchiam à C. Julio Cæsare, & ab Augusto constitutam, Cæsares vel ab alio Principe nominabantur, vel ab exercitu creabantur, vel successione quadam hæreditariâ subrogabantur. Quos verò Senatus, aut populus creavit, ij & paucissimi fuerunt, & non diu tolerati. Sanè ex tanto numero Principum Romanorum Onuphrius lib. de Concilijs Imp. duntaxat tres à Senatu populoque delectos numerat: Nervam, Maximum cum Balbino, & Tacitum. Et in his Nerva arbitrio legionum, ut Aurelius; aut favore Præfecti Prætorio, ut Eutropius refert, creatus. Tacitus quidem à Senatu electus, sed jubente milite, ut à Vopisco relatum. Adeoque tum imminuta erat Senatus populique auctoritas, ut per ludibrium *Senatorij* appellarentur *Cæsares*, quotquot illi creaverant. Itaque cùm jam dudum derogatum esset Senatus populique auctoritati, quis credat post annos DCCC. id sibi Senatum populumque in electione Caroli M. sumere ausum fuisse? omnia hæc confirmantur ex potestate Pontificis in urbem Romanam, de qua supra relatum est. III. Pontificis auctoritas & potestas à Christo est data Vicario suo, & successoribus Petri. Unde in hoc est supra Senatum populumq; Romanum Pontifex, ut poscente necessitate Imperatorem creare, & Christiano populo dare possit. Quare omnes Scriptores, uno ferè Onuphrio excepto, coronationem Caroli M. & translationem imperij Leoni Pontifici adscribunt.

V. Igitur quæ verissima est sententia, imperium Romanum translatum est à Græcis ad Francos, & Germanos, summi Pontificis auctoritate. Id primò conficitur ex dictis: Nam cùm nec immediatè à Deo, nec jure belli, nec Græcorum donatione aut pactione, nec Senatus populique Romani auctoritate, nec hæreditariâ etiam successione, ut per se constat

constat, sit factum; relinquitur id solùm Pontificis auctoritati adscribendum esse. Confirmatur primò hæc sententia tam veterum, quàm recentiorum Scriptorum testimonijs, quorum supra triginta adducit Bellarminus, Pontifici coronationem Caroli & translationem imperij asserentium. Unus ferè Onuphrius, post octingentos annos Scriptor, hîc obstat, scribitque: *Carolum à Pontifice, unà cum Senatus populique Romani suffragijs, Augustum appellatum*; addens: *id credibile esse, atque ita fieri decuisse*; ut suam potius opinationem, quàm rem factam, quod historici erat, referat. Cæteros, ut Sigebertum, Blondum, Leopoldum, Beluacensem, & Æneam Sylvium, non diffidêre à nobis exponit Bellarminus: saltem Pontifici primas partes deferunt, quod Novatores non faciunt; minus certe Pontificem *Antichristum* vocant. Neque etiam hæc paucitas Scriptorum alijs triginta præstare debet. Confirmatur II. hæc sententia Catholicorum, testimonijs Pontificum, Cæsarum, ac Principum, qui Leoni Pontifici coronationem Caroli M. & translationem Imperij adscribunt; quos magno itidem numero introducit Bellarm. lib. 1. c. 5. & 6. Res ipsa deinde posteritatis testimonio praxique evincitur.

Enimverò ex quo Carolus M. à Leone Pontifice consecratus coronatusque est Imperator, omnes exinde Imperatores, Cæsares ac Reges Romanorum ritè electi, paucis duntaxat exceptis, qui fatis suis impediti, vel à Pontificis Romani Legato, vel ab Archiepiscopo aliquo, Vicario Pontificis munere fungente, uti id quoque à Pontifice constitutum est, consecrati, uncti, & coronati sunt: qui deinde confirmationem à Pontifice habuerunt. Id ut recognoscat Nisanius, qui hæc cum suis ex insito in Pontificem odio carpit, sistam ipsi paucis omnes Imperatores.

Igitur post Carolum M. Ludovicus Pius consecratus & coronatus est Remis in Gallia, à Stephano IV Romano Pontifice, anno 816. Lotharius Ludovici Pij filius, coronatus Romæ à Paschali II. Pontifice, 813. Ludovicus II. Lotharij filius, coronatus est Romæ à Sergio II. anno 844. Carolus Calvus Ludovici Pij filius coronatus est Romæ in æde S. Petri à Joanne VIII. anno 876. Ludovicus III. cognomento Balbus, filius Caroli Calvi, coronatus est Lugduni in Gallia à Joanne VIII. Carolus cognomento Crassus filius Ludovici Germaniæ Regis, coronatus est Romæ. Arnulphus filius Carolomanni, nepos Ludovici Germaniæ regis, coronatus est Romæ à Formoso Pontifice. Ludovicus IV. coronatus

natus estRomæ à Benedicto IV.Hi ex Carolina stirpe Imperatores.Succedunt ex Saxonum & Germanorum gente Imperatores;ex quibus Otto M.coronatus est Romæ in æde S.Petri à Joanne XII. Otto II. filius Ottonis I. coronatus est Romæ in Basilica Vaticana à Joanne XIII. Otto III. Ottonis secundi filius coronatus Romæ in æde S. Petri à Gregorio V. Henricus I. Rex Germaniæ coronatus Romæ in æde S. Petri à Benedicto VIII. Conradus II, Rex Germaniæ coronatus Romæ in Basilica S.Petri à Joanne XX.Henricus III. filius Conradi II. coronatus Romæ in æde S.Petri à Clemente II.Henricus V. coronatus Romæ in Basilica Vaticana à Paschali II. Lotharius II. Saxo, Imperatorum religiosissimus,coronatus Romæ in æde S.Petri ab Innocentio II. Fridericus Barbarossa coronatus Romæ in æde S. Petri ab Adriano IV. Henricus VI. Friderici primi filius,coronatus Romæ in æde S.Petri à Cœlestino.Otto IV. coronatus Romæ in æde S. Petri ab Innocentio III. Fridericus II, Romanorum Rex electus, confirmatus ab Innocentio III. coronatus vero abHonorio III. Rudolphus Comes Habspurgensis,Austriacorum I. Imperator, confirmatus est à Gregorio X. in Concilio Lugdunensi, eâ lege,ut anno proximo Romam veniret consecrandus & coronandus. Carolus IV. Romæ in æde S.Petri coronatus à Cardinali Hostiensi,Legato Innocentij VI. Sigismundus filius Caroli IV. coronatus Romæ ab Eugenio IV. Fridericus III. coronatus Romæ in æde S. Petri à Nicolao V. Carolus V. coronatus est Bononiæ à Clemente VII. Pontifice. Habes hic tot præclaros Imperatores, & Romanorum Reges à Romano Pontifice consecratos,coronatosque,ut ex scriptoribus discere licet, qui in hanc rem ab Azorio & Bellarmino citantur: cæteri quo minùs Romæ à Pontifice coronati sint, non est factum contemptu Pontificum, ut tu somnias,sed quia vel in schismate electi,aut quia Romam commodè adire non licuit, aut quia bellis, alijsque negotijs impediti fuêre, aut quiá profectiones in Jtaliam sumptuosæ, alijsque malis obnoxiæ.Interim Cæsares & Reges Romanorum consecrantur, unguntur & coronantur ab Archiepiscopis in Germania;quæ coronatio,uti & electio,Romanorum quoque Pontificum auctoritate constituta est:ita tamen,ut confirmationem à Pontifice, quod juri consentaneum est, consequantur.

Adversus hæc Nisanius scribit: *Vtcunq; se ista habeant,hodie* coronatio illa parvi fit; ut facto declarârunt Imperatores, *Rudolphus I. Maximilianus*

ximilianus, I. Ferdinandus, I. Maximilianus, II. Rudolphus, II. Matthias, Ferdinandus II. & III. idque Goldasti, rabidi Calvinistæ, Servini Galli, Garserij, aliorumque scriptorum hæreticorum testimonijs comprobare audet. Sed quis hic non detestetur tuas calumnias in Augustos domus Austriacæ Imperatores? quos ritè electos, consecratos, unctos, & coronatos, totum veneratur Imperium: quemadmodum ex his vivus Leopoldus, gloriosissimus Imperator, ab Archiepiscopo Coloniensi consecratus, unctus & coronatus est. Quo minus Romam profecti nominati à te Cæsares, & ab ipso Pontifice coronati sint, causas jam dedi, quæ cum alijs Cæsaribus illis communes fuêre.

At coronatio, inquis, Imperatores non facit. Ita est: sed potestas conferentis, aut eligentis id facit. Deus immediatè fecit Saulem & Davidem Reges, quos tamen per Samuelem Prophetam inungi voluit, ut per ritus & signa communicatæ à se potestatis Regiæ. Nullum tibi, tuisque, Nifani, in hoc munus relinquitur, quantumvis te Superintendentem & Episcopum feras: nisi textores tuos coronare & inungere placeat, uti Joannem Leidensem anabaptistam sartorem fecêre Regem: sed nulla id potestate facies, qui ne potestatem quidem habes, ut aquam benedictam consecres, multo minus ut oleum, aut chrisma consecres, quo Reges inungantur. Potestas ergo per coronationem & consecrationem constituendi Carolum M. Imperatorem, & transferendi Imperium, penès Leonem Pontificem fuit, eadem communicata cum septemviris in eligendo, & cum Archiepiscopis in consecrando, ungendo & coronando: quemadmodum diximus Pontifices coronasse Imperatores per Cardinales Legatos.

Sed nunc redeamus ad ipsa principia, quæramusque, quo jure Leo Pontifex Carolum M. Imperatorem renunciarit, & Imperium à Græcis ad Francos transtulerit? id ut intelligas, in duobus consistit principijs. Quorum primum est, Pontificem Romanum esse totius Ecclesiæ, omniumque Christianorum Pastorem, à Deo immediatè constitutum: alterum est, summum hunc totius Ecclesiæ Pastorem, Rectoremque ita non modo privatis, sed etiam Regibus & Imperatoribus præesse, ut si causa fidei & necessitas Ecclesiæ exigat, possit regna & Imperia ab alijs ad alios transferre. Quam autem id conveniens & opportunum, & dignum meritis Caroli M. in Ecclesiam fuerit, multis exponit Baron. ad annum 800.

ex præsenti & periclitanti Ecclesiæ statu: quando Exarchi umbræ erant suorum Cæsarum, & Jrene mulier imperitabat, Oriente tot hæresibus lacerato. Unde Caroli coronatio, & Imperij translatio, divini prorsus consilij res fuit sapientum judicio. Et verò, penès quem illud consilium & cura prospiciendi Ecclesiæ? Sanè non apud populum Romanum, sed Pontificem: ut vel inde recognoscas, Caroli coronationem & translationem Imperij, Pontificis fuisse. Hæc principia, tot Theologorum libris & scriptis asserta, ex Scriptura, Concilijs & Patribus, oportebat te primùm oppugnare & evertere: tu verò Andabatarum in modum hîc pugnas, ac cæco ubique impetu ruis; omnia pervolvis, & nihil solidè attingis: multa scriptorum, ex tua secta, testimonia congeris, quibuscũ ut stultus in arena ædificas. Et quo non abis per maledicentiam in Pontifices?

Dicis: à Gregorio M. omnes Romanos Pontifices, in sedili *Antichristi* consedisse, & quod consequens est, omnes inde Pontifices, comprimisque Hadrianum, & Leonem, à quo Carolus M. coronatus est, Imperiumque ad Francos & Germanos est translatum, fuisse *Antichristos* & *bestias* in Apocalypsi descriptas. Quam ipsammet Lutheri doctrinam notavimus supra. Ergò Imperium Romanum per Antichristum à Græcis ad nos translatum est, atque omnes illi Imperatores & Romanorum Reges, quos post Carolum M. à Romano Pontifice coronatos introduximus, ab Antichristo consecrati, uncti & coronati sunt. Tam hæc absurda, falsa, & insana ex tuæ doctrinæ principijs, quàm tu mendax es scriptor, & injurius in gentem nostram: quando Francos, in quos primò translatum est Imperium, constat fuisse Germanos, & origine primâ ex hac regione, quæ est inter Rhenum & Visurgim, quam nunc Westfali incolunt: quemadmodum id à Ferdinando Principe & Episcopo Paderbornensi, in Monumentis suis clarè post tot scriptores assertum est, & à nobis lib. 4. Westfaliæ Francicæ, de origine Francorum commonstrabitur. Ut vel inde hæc injuria gentis nostræ vindicanda fuerit. Quod enim summum fuit Pontificis Leonis beneficium, ac decus gentis nostræ; id serò demum, ac solum vobis sycophantis est summum maleficium, & probrum Francicæ nationis, & tot Imperatorum & Regum Romanorum, qui à Romano Pontifice, (quem *Antichristum* dicitis,) in hunc diem vel coronati, vel confirmati sunt.

Cætera, quæ hîc Nifanius magno auctorum & Novatorum suorum

strepitu

ſtrepitu addit, aut nihil ad rem faciunt, aut pervulgata ſunt, & centies refutata. Conſtat enim Imperium à Carolo M. in filios & nepotes, per ſucceſſionem hæreditariam tranſiſſe. Extinctâ deinde Carolinâ ſtirpe, Pontificis auctoritate & beneficio, ad Saxones Germanoſque translatum eſſe: ex his primus Imperator Otto M. quem per eaſdem ineptias, ſcribit Nifanius habuiſſe Imperium, & Primatum in Pontificem, à quo coronatus eſt: eò quòd Imperium in urbem Romanam, & patrimonium Petri habuerit. Perſtitit deinde Imperium in Ottonis M. filio & nepote, Ottone videlicet II. & III. Demum Ottone III. qui ſine hærede erat filio, facta eſt conſtitutio à Gregorio V. Pontifice, editumque decretum de ſeptem Electoribus, in quorum poteſtate eſſet electio Imperatoris; idq; ob multas, graves, & juſtas cauſas: quamvis alij id cum Onuphrio, poſt obitum Friderici II. à Gregorio X. factum velint: ſed prima verior ſententia obtinet. Quâ ſuper re præter Bellarminum alioſque ſcriptores, eruditè exactéque Azorius p. 2. lib. 10. c. 3 quoquo tandem tempore, ſaltem ad Pontificis auctoritatem jus Canonicum refert: ut Imperator per electionem, & non per hæreditariam ſucceſſionem, Imperio admoveatur. Sed hæc aliena nobis hoc loco, quibus Carolus M. propoſitus eſt, dummodo pòſt novum rurſus & immortali memoriâ dignum Pontificum Romanorum recolatur beneficium, quo imperium tranſtulêre ad Saxones, & electionem Imperatoris apud Germanos Septemviros, non aliam gentem eſſe voluerunt. His beneficijs ſi addas, quos Apoſtolicos viros, à Sergio Pontifice, cæteri exinde Pontifices in Germaniam miſerint, quo ſtudio & labore Gregorius II. Magno illi Gregorio haud impar, cæterique, D. Bonifacium cum Apoſtolicis viris ordinarint ad convertendas Germaniæ gentes ab idolorum cultu, quâ deinde ſollicitudine & ſtudio Hadrianus & Leo Pontifex Saxoniam complexi, ut ad Chriſti fidem tot barbari populi pervenirent; quantum non Apoſtolicæ ſedi, Germania & Saxonia, ex memoria immortalium beneficiorum, obligata eſt? quæ nunc hæreſis adeo convertit in odium Pontificis, ut hæc omnia vos ab Antichriſto nobis præſtita, ſcribere palàm, & apud populum, pro mentiendi libidine, declamare audeatis. Quo vel ſatis declaratis, quàm degeneres filij, à majorum religione & pietate deſciveritis. Et quando tandem erit ut Deus *convertat corda Patrum ad filios*, & filiorum ad Patres? niſi poſtquam magiſtri illi errorum & præcones falſitatis, *qui veritatem Dei in injuſtitia detinent*, ſcribere & loqui aliquando deſierint?

CAPVT IX.

An Carolus M. acceperit ab Hadriano Pontifice privilegium nominandi et eligendi Episcopos?

DUo hic quæruntur: primum est, de privilegio nominandi Episcopos; alterum de eligendo Episcopo. Quæ duo hîc confundit Nisanius, cùm tamen valdè diversa sint: ut constat ex Concilijs, jure Canonico, Canonistis, & praxi Ecclesiæ. Multis interim invehitur in Pontifices, qui investituram, seu privilegium nominandi, præsentandi, offerendique Episcopos, detraxêre Imperatoribus; tanquam juri Imperatorum, quibus primatum Ecclesiæ tribuit, derogatum sit.

℞. Jus nominandi, seu investiendi, eligendique Episcopos, multis olim Imperatoribus, & Regibus datum fuit; uti nunc etiam apud Reges Franciæ, aliosque manet Reges; sed id ex jure humano, non divino habuêre: cùm privilegium sit ex concessione Pontificum; quod ut justis ex causis dari, ita etiam revocari potuit: Neque enim omnes Imperatores Caroli M. Ludovici Pij, Henrici Sancti, Ottones & Lotharij. Pòst ubi Imperatores privilegio abusi sunt, & per cæcam, atque impiam gratiam, per avaritiam & Simoniam, indignos Episcopos obtrusere Ecclesijs, auroque etiam Episcopatus venales esse cœperunt in aulis Cæsarum, sapientissimè Pontifices privilegium revocarunt: Quemadmodum id in Concilio Oecumenico VII. & VIII. est decretum. Inde lis illa & dissidium inter Pontifices & Imperatores, quod tot annis afflixit Ecclesiam, & Imperium, maximè sub Henrico IV. Imperatore, labe illâ Germanici nominis; donec Gregorius VII. fulgentissimus & sanctissimus Pontifex perfringeret, assertor Pontificiæ auctoritatis, & disciplinæ Ecclesiasticæ, vir post obitum multis miraculis clarus, cujus corpus etiam post quingentos annos repertum est incorruptum. Hunc vos *Hildebrandum*, & *Averni titionem* per mendacia appellatis; quem & Nisanius tot falsis proscindit calumnijs.

calumnijs. Gregorij VII. constantiæ inhæsit Alexander, cæteriq; Pontifices: Verùm hac super re Baronius, & innumeri scriptores; neque hîc instituti est, hæc ipsa disceptare tecum. Sanè si revocato privilegio, articulus fidei tollitur cum primatu Imperatoris, ut fingitis, tum certè vos Lutherani innumeros fidei articulos sustulistis, qui tot privilegia, immunitates, & Cleri exemptiones, qui tot jura non modò humana, sed divina sustulistis, seu tollere conati estis ex Ecclesia.

II. Vtrúmne verò Carolus M. jus nominandi & eligendi Episcopos ab Hadriano Pontifice acceperit, hîc potissimum agitur. Id tu ex diplomate Hadriani confici vis: quod diploma etsi cum Bellarmino & Baronio commentitium censeam, ac nihil reperiam hac super re, in actis Hadriani & Caroli M. expressè consignatum; nihil tamen impedit, quo minus Carolo haud secus, quam alijs Regibus, privilegium illud concedi potuerit: præsertim cum Pipino Regi ac parenti Caroli M. privilegium nominandi Episcopos per Franciam, à Zacharia Pontifice datum sit. Regum proinde Francorum jure id facere potuit, idque vel maximè in primis Saxoniæ Episcopis, Wihone, Willehado, Ludgero, Hildegrimo, cæterisque valuerit, quos magno delectu conquisitos, primis Episcoporum sedibus imposuit; quantum id ex singulorum fastis, & Scriptoribus facile æstimare licet. Sanè, cùm Carolus hosce primos Episcopatus fundârit, dotaritque regiâ liberalitate, supra quàm ullus Regum Francorum unquam fecerat, & singularum diœcesium terminos tam amplâ jurisdictione circumscripserit, jure quodam patronatûs id illi debitum erat: verùm Carolus legum sacrarum peritissimus, & observantissimus, Episcopos Saxoniæ, aut Metropolitanis, aut Pontifici, cujus Legati perpetuò illi aderant, confirmandos, haud secùs quàm consecrandos obtulit Episcopis: neutrum enim in ipsius potestate erat, juxta Canon. *Plebs*, Can. *Nosse*, Can. *Episcopos*, Can. *literas*, dist. 63. Can. *Quoniam*, dist. 10. Imò id ex ipsis Caroli M. Capitularium libris, ex Synodis & constitutionibus de Metropolitanorum auctoritate, satis æstimare fas erit; satisque constat ex secundo ejus adventu ad urbem Romanam, & congressu cum Hadriano Pontifice, quo de Episcopatibus per Saxoniam fundandis, & Episcopis imponendis anno Christi 780. actum est. Nihil enim Carolus sine Pontificis consilio & auctoritate in rebus sacris majoris momenti sibi unquam sumpsit. Sed ubi apud Lutheranos *Pontifex*, cujus aucto-

 ritate,

ritate, exemplo Caroli, deferatis confirmationem? ubi Metropolitani? ubi Episcopi? à quibus Episcoporum consecratio, & Pastorum jurisdictio ad vos perveniat? Superintendentem te scribis, id est, pseudoepiscopum, sine consecratione & jurisdictione; aut si qua in te est, illa est à Reformatæ religionis Principe sæculari, à quo, ut in libello adversus Labbadæum scribis, Superintendens es constitutus. Quid ad hæc dicet Labbadæus? cui par erit causa, si hoc ab eodem impetret, quod tu impetrasti.

III. Asserit Nisanius: *Electio Episcopi ita erat in potestate Imperatoris, ut eam ratam, irritamq; facere posset.* Sed hæc ipsa est hæresis, (de qua Baronius ad annum millesimum centesimum undecimum,) asserentium *Investituræ necessitatem*; quam acerrimè oppugnavit Joannes Archiepiscopus Lugdunensis, cæterique Episcopi Galliarum, ad vindicandum ab injurijs Paschalem Pontificem, à quo, uti & ab Vrbano tum proscripta erat: donec Gregorius VII. immortalis memoriæ Pontifex, se murum pro domo DEI objiceret, & pravum investiendi usum tolleret. Ita veteres profligatarum hæreseôn cloacas exhauritis scrutando, ut vestras impleatis. Et verò, quid tantum reponis in electione Episcoporum Nisani? cùm illa tantũ det jus ad rem, si acceptata sit; jus autem in re, ipsa confirmatio Pontificis, aut Metropòlitani, aut Primâtis ex jure veteri sacrorum Canonum. Imò, quid hîc de Episcoporum electione disceptamus? cùm hanc electionem, uti fieri debeat, ipse Carolus M. seu, ut Sirmondus vult, Ludovicus Pius Imper. lege suâ sanxerit? Ita enim lib. I. Capitularium, Tit. 84. *Sacrorum Canonum non ignari, ut in Dei nomine, sancta Ecclesia suo liberius potiretur honore, adsensum ordini Ecclesiastico præbuimus, ut scilicet Episcopi per electionem Cleri, & populi, secundum statuta Canonum, de propria Diœcesi, remotâ personarum, & munerum acceptione, ob vitæ meritum, & sapientiæ donum eligantur: ut exemplo, & verbo sibi subjectis, usquequaque prodesse valeant.* Vides hîc Nisani, qualis Episcoporum electio, secundùm antiquos Canones, Patrum statuta, & Ecclesiæ praxin, ac judicium esse debeat? Quanquam hoc beneficio electionis, (ne hoc dissimulem) ita usæ sunt Ecclesiæ in Francia, ut singulæ mortuo Episcopo, primùm omnium, novi eligendi facultatem per Metropolitanum à Rege peterent, cum Visitatore qui præesset electioni. Tum electionis factæ decretum ad Metropolitanum referebatur; ut postquam Rex probarat electionem, ipse deinde electus ab Episcopis Provincialibus examinaretur, ac demum ordinaretur, mandatumq; ab Ordinatoribus

bus

bus acciperet, quomodò ipsum in Episcopali munere, juxta Canonum statuta, versari oporteret. Ita Jacob. Sirmondus in erudito Scripto, de antiquis Episcoporum promotionibus, quod Tom. VIII. Concil. General. recent edit. Parisiens. leges sub finem, ubi multis id probat Sirmondus.

Sed nunc quid Concilium Trid. præscribat, audiamus: ita enim clarè, veréque decernit, Sess. XXIII. cap. IV. *Docet insuper sacrosancta Synodus, in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & cæterorum Ordinum, nec populi, nec cujusvis sæcularis potestatis, & Magistratus consensum, sive vocationem, sive auctoritatem ita requiri, ut sine eâ irrita sit ordinatio: quin potiùs decernit, eos, qui tantummodo à populo, aut sæculari potestate, ac Magistratu vocati, & instituti, ad hæc ministeria exercenda ascendunt, & qui ea propriâ temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiæ ministros, sed fures & latrones, per ostium non ingressos, habendos esse.* Tibine nunc, an Concilio Oecumenico deferam fidem? Ego Concilijs inhæreo securus; tu qui per ostium non intrasti, vide, quomodo in supremo judicio consistas: cui satis non est, seducere tot animas ab Ecclesia, nisi eandem Christi sponsam calumnijs, & scriptis mendaciorum libris publicè traducas. Pergit interim Prædicans, adducendo aliam Caroli legem ex cap. 90. *Statutum est, ut auctoritate, & consensu Episcoporum, Presbyteri in quibuslibet Ecclesijs nec constituantur, nec expellantur, & si Laici Clericos probabilis vitæ, & doctrinæ Episcopis consecrandos, suisque in Ecclesijs constituendos obtulerint, nulla qualibet occasione eos reijciant.* Quis primum, quis postremum hoc negat inter Catholicos? Ideò jus patronatus est, ut si dignos præsentent, non reijciant. At ubi est illa auctoritas Episcoporum apud vos, de qua hic Carolus M. præscribit? quot veros pastores vos ejecistis contra auctoritatem Episcoporum, & quot falsos per politicorum Principum auctoritatem intrusistis? Sanè si lex hæc Caroli valeret, tu Bilfeldiensis non esses Prædicans; qui sine auctoritate, & consensu veri Episcopi, intrasti in hanc Ecclesiam, quæ à Caroli M. ævo, jurisdictioni sacræ Episcopi Paderbornensis est asserta.

CAPVT X.

CAPVT X.

An contra Caroli M. legem, populus ab electione Episcoporum et Ministrorum Ecclesiæ repellatur?

HAnc controversiam, in qua pro aris & focis agunt causam plebis novatores, hîc nobis intexit plebejus Prędicans, nixus comprimis Caroli M. lege, lib. 1. Capitularium, Tit. 84. suprà à nobis relatâ, quâ Carolus M. decernit, ut secundum statuta Canonum electio Episcopi fiat à Clero, & populo: quemadmodum id in Synodo Aquisgranensi Anno DCCLXXXIX. etiam statutum lego. Fluctuans & mutabilis Prædicans modò in eo totus est, ut Imperatoribus, & Regibus afferat ex jure communi electionem Episcoporum, modò illam Clero, & populo ex jure divino & humano, vindicet. Populum, quem hic designet, faciliùs intellexeris, quàm Clerum: quis enim ille clerus in Lutherana Ecclesia, si apud vos valere debeat electio Episcoporum? Certè longè alius, quàm Caroli M. ævo, & à Caroli ævo ad nos perpetuâ successione traductus. Quod vel satis intelliget, qui Cleri institutum, vitam & mores, ex Caroli M. legibus, & Carolinis Synodis secum revolverit. Larva Cleri est, quem vestra Ecclesia repræsentat; & tam umbratiles sunt Clerici apud vos, quàm tu scenicus es Episcopus, sub fucato Superintendentis nomine. Sexcentis id tibi Caroli M. legibus Clero præscriptis demonstrare possem, sed his missis, paucis rem ipsam, de qua agitur, exponamus.

Jus eligendi Episcopos, inquis, *ab initio nascentis Ecclesiæ, ad Cleri & populi suffragia pertinuit.* Magno in speciem plausu hæc assertio proponitur à vobis, quando ex jure Canonico & Civili, ex Concilijs & Patribus, ex historicis & Imperatorum statutis, convestitam sistere vobis licet; perinde ut Caroli M. testimonio suprà est confirmata. Neque nos negamus fuisse in plurimis provincijs consuetudinem, tempore Cypriani, Chrysostomi, Augustini, Leonis M. imò ut Blondellus contendit, ad annum

num usque millesimum, ut populi consensus, & suffragium in electione Pastoris requireretur. Verùm tota quæstio in eo versatur, utrumne jure divino, an humano id populus sibi vendicarit? vos Lutherani, ut cæteri heterodoxi, ex jure divino id contenditis; nos Catholici id juris humani fuisse dicimus, ex indulgentia & concessione, non ex necessitate: ideoque hæc populi electio abrogari potuit, uti justas ob causas abrogata est, cùm inter Clerum & populum de eligendo, & electo, perpetuæ lites & pugnæ exarderent ad seditiones usque publicas, & cædes. Unde populo relictum est tantummodo testimonium vitæ, & morum; quod in omnibus ordinationibus etiamnum exposcitur palàm per Diaconum à populo: & facilè observare tibi licuit, si quidem unquam ordinationi Catholicorum interfuisti. Id tibi nunc probandum est paucis. Primò, si juris divini est populi *electio*; vel *naturalis* est, vel *positivi*. Si *naturalis*; etiam in lege veteri observari debuit, quod tamen factum non est. Si *positivi*; id ex Scriptura ostendendum est, quod hactenus non præstitistis, nec præstabitis.

II. Christus voluit, ut Apostoli & successores eorum, gubernarent Ecclesiam eâ ratione, qua ipse præsens gubernârat; atqui ipse elegit Apostolos & LXX. discipulos sine ullo populi suffragio: Joan. 10. *Sicut me misit Pater, & ego mitto vos* Luc. 16. *Elegit duodecim ex ipsis* Joan. 6. *Nonne ego vos duodecim elegi?* Joan. 15. *Ego elegi vos, & posui vos ut eatis, & fructum afferatis.*

III. Jure divino & naturali præscriptum est, ut Episcopi sint Pastores, populi verò sint oves, Joan. ult. Act. 20. 1. Pet. 5. Ovibus autem non convenit, ut pascant & regant; sed pascantur & regantur: eligere verò Pastores, ad gubernationem & regimen spectat.

IV. Exemplo & instituto Apostolorum, qui Episcopos passim eligebant, sine ullo populi suffragio. Id vel ex eo clarum, quòd Episcopos à se creatos, mitterent ad infideles & paganos absentes.

V. Conciliorum decretis: Nam Concilium Laodicênum sic statuit can. 13. *Non est permittendum turbis electionem facere eorum, qui sunt ad Sacerdotium promovendi.* Iisdem verbis Concilium Martini Papæ apud Braccarenses, c. 2. *Non licet populo electionem facere eorum, qui ad Sacerdotium promoventur.* Concilium Nicænum II. can. 3. *Omnem electionem, quæ fit à Magistratibus, Episcopi vel Presbyteri, vel Diaconi, irritam manere: oportet enim eum, qui est promovendus ad Episcopatum, ab*

Episcopis eligi. Idem sancitum in Concilio IV. Constantinopolitano, c.28 quod octavum est in ordine Generale. Hinc Sirmondus loco suprà citato: *In Oriente,* inquit, *usus invaluit, ut in Episcoporum electionibus, populi suffragia non expeterentur*; quod ibidem prolixius adstruit.

VI. Exemplis veterum: Hieronymus ad Evag. epist. 85. *Alexandriæ à Marco Evangelista, usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant.* Id verò cumprimis locum habet in Episcopis, qui ad paganos mittebantur: ita Athanasius Frumentium à se creatum Episcopum, misit ad Indos, Ruff. lib. 10. c. 9. Gregorius M. Augustinum cum socijs ad Anglorum gentem, Beda lib. 1. hist. Sergius Pontifex Willibrordum cum socijs ad Frisones; Gregorius II. Bonifacium ad Hassos, Thuringos, & Germanos; alij Pontifices innumeros alios Episcopos ad paganos, ipsis nihil scientibus aut cogitantibus, minus certe petentibus, aut suffragantibus miserunt. Atque ut ab ipso Carolo M. exemplum proferamus: credamne, quando Wihonem Osnabrugum, Willehadum Bremam, Hildegrimum Halberstadium, Bernardum Abbatem, & Ludgerum Episcopum ad Mimigardevordenses, cæterosque primos Episcopos ad infideles & paganos Saxones destinavit, à se nominatos delectosque Episcopos, primùm à barbaris populis suffragium aut testimonium vitæ exegisse? Nemo sanæ mentis id dixerit. Kemnitius, cæterique hoc pressi argumento, dicunt Episcopos hosce primùm à populo electos, ubi ordinabantur. Frivolum hoc, quod nullo testimonio probari potest. Et quid *juris divini* habet populus, ut alienæ genti eligat Episcopos? sanè, qui inter vos, id *jus divinum* asserunt populo, ne populus accipiat pastorem invitus, admittant quoque necessum est, Saxones illos, ad se missos Episcopos ante novisse, quàm suffragium de illis ferrent: quale namque barbari illi populi de Christianis Episcopis suffragium darent? quos omnino non viderant, quos venientes ad se, aversabantur, quos suis è sedibus pellebant, quos diris sæpè tormentis necabant.

VII. Vos Lutherani, vestræ huic doctrinæ, vobismetipsis facto, praxique contradicitis: Nam passim Prædicantes & Superintendentes accipitis, non quos populus elegit, sed quos vel Consistoria vestra, vel Nobiles jus patronatus habentes, vel Principes sæculares eorumq; ministri, pro sua auctoritate imponunt. Sive etiam ipsi Principes sæculares Catholicæ

tholicæ religionis sint, sive Reformatæ ex Calvini doctrina, parum vos sollicitos habet, dummodo Minister verbi populo obtingat. Jam verò si populi simul ad hanc rem electio, ex *jure divino* necessaria est, oporteret vos ipsis Judæis saltem esse constantiores, quàm ut hæc contra jus divinum permitteretis. Sed cui mirum, *vos percolantes culicem, & deglutientes camelum,* laxare omnia jura divina? qui præter Baptismum & matrimonium, in religione integrum nihil reliquistis? qui hæc ipsa, uti & Scripturam, ad speciem solum retinetis?

VIII. Ad electionem pastorum non modò populus, sed & Clerus à Carolo requiritur: at quæso, ubi apud vos Clerus modò? Caroli M. ævo erant Episcopi, Sacerdotes, Levitæ, sive Diaconi, cæterique Ministri, & consecrati Deo homines, ex quibus Clerus componitur, ut in *sortem Domini* vocatus, & à laicis distinctus. Hinc Caroli M. ævo Canonicorum erant collegia, in quibus Præpositi, Decani, Archidiaconi, Scholastici, alijque Sacerdotes, & Clerici, per diversa munia in subsidium Episcopi, & Ecclesiæ distributi: his tanquam primarijs Ecclesiæ administris, Carolus electionem Pastoris sui detulit. Tota hæc forma Ecclesiæ, totumque hoc institutum mutavit Lutherus, qui pro Clero, profanam turbam ministrorum; pro collegijs Canonicorum, Prædicantium Consistoria; pro Episcopis, Superintendentes introduxit. Hos quia sæculari potestati subjecit, quid in his superest, nisi ludicra quædam scena? imò ipsum Cleri nomen sustulistis, ut qui Cleri nomine designantur, eò liberius tolleretis ex Ecclesia. Viden', quàm nunc insulsè per Caroli M. legem, populi jus in eligendis Pastoribus à nobis exigatis, qui Cleri jus, quod primo loco posuit Carolus, subtraxistis Ecclesiæ? Uno oculo luscus es, altero cæcus; & nihilominus Argo oculatiorem te vanissimè existimas.

At Carolus M. dicet quispiam, sibi ipsi opponitur: nam & ille sine consensu Cleri, & populi, delegit & imposuit Episcopos Saxoniæ, qui tamen lege sanxit Clero & populo electionem.

Respondeo, Carolum M. ultrò postea cessisse juri & privilegio suo, quando electionem hanc transtulit ad Clerum: Quemadmodum & alij Imperatores in certis Ecclesijs Clero jus eligendi sanxerunt. Quin Carolus M. lib. 7. Capitularium cap. 61. *Non est permittendum turbis electiones eorum facere, qui sunt ad Sacerdotium provehendi.* Quare hoc Caroli testimonium transilis Nifani, qui ad Carolum temerè provocas?

Tu interim, ut errorem tuum confirmes, adducis etiam Petavium ſcribentem: *In Occidente potiſſimum invaluiſſe, ut laicorum ſuffragia in eligendo Epiſcopo locum haberent.* At dum in Occidente id valuit, ſimul docet, in Oriente non valuiſſe: ergo univerſale jus non fuit. *Nam ut ab Epiſcopis, aut unà cum Clero eligerentur Epiſcopi, recepta,* inquit, *per omnes Eccleſias Canonum ſtatuta ſanxerunt.* Igitur ut paulatim irrepſit mos populi, à quo prius tantum teſtimonium fuit poſtulatum, ut ſibi jus ſuffragij idem vendicaret; ita ſenſim etiam, ſine violentiâ, ob juſtas, de quibus diximus cauſas, id abrogatum eſt in Eccleſia Occidentali, quod Petavius non negat, neque potuit negare.

Cætera deinde quæ ex Scriptura, in electione Matthiæ Apoſtoli, Actor. 1. In electione Stephani & Diaconorum, Act. 6. In electione Presbyterorum, Act. 14. cum multitudine factâ memorantur, non aliud probant, quàm vel præſentiam populi, vel teſtimonium, aut ſummùm jus ſuffragij, per conceſſionem & indulgentiam Apoſtolorum, ex quo nullum divinum jus confici poteſt: perinde, ut ea, quæ ex Cypriano adferuntur. Verùm hæc ſatis ſuperque diluta à Bellarmino, lib. 1. de Cler. c. 7. Suarez, Becano, Valentiâ, Forero, Erbermanno, & alijs Scriptoribus: ut hîc operæ pretium non ſit, tuis ultrà delirijs immorari. Nam in hujusmodi, quæ ex jure humano, conſuetudine, & indulgentiâ Eccleſiæ ſunt introducta, multa ſæpe immutare, & corrigere neceſſe fuit, ut vel Eraſmus te docere poteſt, Epiſt. ad Vulturium: *Multa,* inquit, *ſecum defert tempus, multa rerum ſtatus commutavit in melius. Olim clanculum in ædes privatas conveniebant pauci Chriſtiani; nunc in templum publicum, & conſecratum; olim in cœnis ſumebatur Euchariſtia, nunc à jejunis ſumitur; olim in Eccleſia alius habebat hymnum, alius Apocalypſim, alius loquebatur linguâ, alius prophetabat, & garriebant interim mulierculæ; nunc certis hominibus diſtributa ſunt officia, cæteri aut taciti auſcultant, aut orant; olim in nocturnis vigilijs curſitabatur ad ſepulchra Martyrum à pueris & puellis; atqui flagitia, quæ ſub umbra pietatis committebantur, perſuaſerunt, ut hoc vigiliarum genus tolleretur. Olim corpus Domini dabatur in manus, ut domi cum vellent, ſumerent; at cùm exiſterent, qui indignè tractarent, mutata eſt in melius conſuetudo. Olim per ſuffragia populi creabantur Epiſcopi, & ejuſdem populi libidine deijciebantur, lapidabantur, res plena erat tumultûs & cædis interdum: itaq; res ipſa perſuaſit, ut penès paucos & certos homines*

mines, esset jus eligendi Episcopos. Quid multis? si Paulus hodie viveret, non improbaret opinor præsentem Ecclesiæ statum. Jam ante multo sapientiùs Augustinus: *Insolentissima est insania, disputare an faciendum sit, quod universa observat Ecclesia.* Solùm hæreticorum est, judicium suum anteferre judicio universalis Ecclesiæ.

CAPVT XI.

Vtrúmne Carolus M. habuerit supremam potestatem in convocandis et moderandis Concilijs?

Utrumque asserit Nifanius, ex communi hæreticorum odio in Pontifices & Episcopos, tam simul injurius in religiosissimum Imperatorem Carolum M. cui hæresin suam affingit, quàm impudens in mentiendo. Ita enim scribit: *Carolus M. non solum habuit jus in convocandis Conciliis provincialibus, sed etiam in œcumenicis.* Deinde quæ altera pars est hujus assertionis: *Carolus*, inquit, *sicut habuit supremam autoritatem indicendi Concilia, ita & moderandi*; & quod consequens esse vult, etiam judicandi, tanquam supremum Ecclesiæ caput: nam eò potissimum refert, quæ tot corruptis Conciliorum, & tot falsis scriptorum testimonijs, hîc more suo accumulat. Possem ego uno Caroli M. testimonio omnem hanc mendaciorum machinam evertere: Nam in Capitulis ab Hadriano Papa per Ingilramnum Mediomatricum Episcopum ad Carolum M. missis, (tom. 18. Concil. General.) & à Carolo M. per universam Franciam promulgatis, receptisque, can. 13. qui deinde canon lib. IV. addit. cap. 12. à Carolo approbatus, in eo ita Carolus: *Nullus Episcopus, nisi Canonicè vocatus, & in legitima Synodo suo tempore Apostolicâ auctoritate convocatâ, cui jussione Domini, & meritis B. Petri Apostoli singularis congregandorum Conciliorum auctoritas, ac sanctorum Canonum, ac venerandorum Patrum decretis, multipliciter privata tradita est potestas; si aliter præsumptum à quibuslibet fuerit, in vanum deducatur*

quod egerint. Vides, ut hîc Carolus singularem auctoritatem congregandorum Conciliorum quorumcunq;, non Imperatori, sed Apostolicæ sedi tribuat, & mox causam hujus rei reddat: *Quoniam*, inquit, *eadem sedes, testante veritatis voce, Primatum obtinuit; nec prima diceretur, si aliam super se haberet: quæ est etiam caput omnium Ecclesiarum, à quo omnes sumpserunt originem: Primatum enim non Synodalibus, aut aliquibus commentis meruit institutis, sed Domino largiente, qui ait: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Tam multa ex Capitularium libris, & Scriptoribus coacervas, quare hoc Caroli testimonium supprimis, in quo Catholica est Caroli M. confessio, & jugulum tuæ hæresis? Sed nunc singula quæ adfers expendamus.

I. Concilia de quibus agis, alia sunt *Oecumenica* sive *generalia*; ad quæ vocantur totius orbis Episcopi, quibus præsidet Pontifex, aut alius ejus nomine. Ea Oecumenica Concilia, quæ legitima habentur, cum postremo Tridentino, octodecim fuêre. Alia deinde *Nationalia*, ad quæ conveniunt Archiepiscopi, & Episcopi unius *regni* vel *nationis*, quibus præest *Patriarcha* vel *Primas*, quæ subinde etiam *Universalia* vocantur, non tamen absolutè, ut *Oecumenica*. Alia sunt *Provincialia*, ad quæ conveniunt tantùm Episcopi unius *Provinciæ*, atque his præest *Archiepiscopus* seu *Metropolitanus*; & hujus generis multa sunt in tomis Conciliorum. Alia *Diœcesana*, in quibus tantùm conveniunt Prælati & Presbyteri unius Episcopatus; atque ijs præsidet *Episcopus* suæ diœcesis. His positis:

II. Falsa est assertio Nisanij, Carolum M. habuisse supremam potestatem convocandi *Concilium Oecumenicum*, in eoque *supremam auctoritatem* moderandi & judicandi exercuisse: cùm ejusmodi *Generale Concilium* nullum sit habitum Carolo vivente, præter *Nicænum II.* Anno 787. de cultu Imaginum, adversus iconomachos, & iconoclastas: atque id *Concilium* cum *Nicææ* sit convocatum, celebratum est in *Orientali* imperio, Constantino & Irene imperantibus. *Suprema* illa *potestas* convocandi Carolo M. attribui non potest, in alieno Imperio: quando inter cæteras causas, quare ex auctoritate & consensu Pontificis simul communicata sit potestas convocandi Concilia, hæc erat: quod in Imperiali aliqua urbe id fieri oportebat, ad quod Imperatoris hîc consensus requirebatur, & ipsi Imperatores pro bono Ecclesiæ & concordia religionis id peterent; &

rent; &

rent; & huic Concilio Oecumenico,ut tu fingis & somnias, non præsedit Constantinus,aut Irene mater ejus fœmina, sed Hadrianus Pontifex per Legatos & Vicarios:ut statim primâ actione, & in fronte Concilij exponitur, & in septem actionibus repetitis, qui etiam ante Tharasium Constantinopolitanum Patriarcham collocantur. Aut tu ergo mendax es,aut Concilium falsitatis damnari debet. Accedit, quod post CCCL. Episcoporum nomina, qui cum Tharasio Constantinopolitano Patriarcha interfuerunt, memorentur præsentes fuisse Petronius Proconsul, Theophilactus Comes Imperialis,& Joannes Regius quæstor ærarij militaris. De Imperatore Præside præsente,ut tu fingis,nulla mentio.

III. Principium,quod Nisanius hîc cum suis,ex suâ hæresi statuit, falsissimum est: docent enim à primo Concilio Nicæno, Imperatorum fuisse convocare Concilia,ijsque pro supremâ in Ecclesiâ potestate præsidere,& sententiam ferre de rebus fidei: idcirco id etiam Carolo M. attribuendum esse. Rationes quoad primam partem evidentes sunt.

I. Ex scriptura: Christus in cælum ascensurus non Tiberio Cæsari, sed Petro, ejusque Successoribus commisit gubernandam Ecclesiam,pascendasque oves,Joan.21. *Pasce oves meas.* Quas inter *oves*, etiam *Cæsares* & *Principes* comprehenduntur, ut SS. Patres, & res ipsa docet: non igitur *ovium* est congregare *Pastores*,sed Pastorum oves. Hinc Azorius p.2.lib.5.c.10.certi juris esse docet,penès Imperatores & laicos nullum esse jus & auctoritatem convocandi Episcopos,vel ad generale, vel ad provinciale Concilium, tractandique res fidei & morum, ut dist. 96. can.1.& seqq.dist.17.c.2. habetur. Quidquid verò Imperatores hac in re fecere,id totum auctoritate & consensu Romanorum Pontificum est factum,2.q.5.c. *Mandastis.* Quando etiam ipsi Imperatores à Romano Pontifice Concilia petebant ad hæreses comprimendas, uti ex Bellarm. Baronio,Azorio,alijsque Ecclesiasticis Scriptoribus discere potes.

II. Ejus est indicere Concilium Oecumenicum,qui potest ex toto Orbe,pro amplitudine spiritualis jurisdictionis & potestatis,congregare omnes ad Concilium generale; id verò non est in potestate Imperatoris,quæ nunquam totum orbem Christianum complexa est:idq maximè valet,postquam Imperium divisum est in Orientale & Occidentale.Sanè Caroli M. potestas,non ultra Occidentis Imperium se extendit, nec per omnia quidem regna Occidentis, ut Hispaniæ, Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ,

Hiberniæ, ex quibus tamen regnis Episcopi ad Concilium generale convocandi erant. Deinde si Imperatorum hoc est, etiam hoc Imperatricum erit, quales Pulcheria & Irene, cum solæ imperarent, fuêre. Quàm verò absurdum sit, dicere Christum suas oves mulieri commisisse pascendas, pro supremâ in Ecclesiam potestate. Capax est mulier jurisdictionis politicæ, non tamen Ecclesiasticæ & Spiritualis. Ecce, quò vos hæresis vestra abducit?

III. Primatis est convocare *Nationalia Concilia*, Archiepiscopi *Provincialia*, Episcopi *Diœcesana*; ut pòst vel ex ipsis Caroli M. decretis ostendam: Ergo Pontificis erit, pro supremâ potestate in totum orbem Christianum, convocare Oecumenica Concilia. Id si Imperatori permittitur, etiam Regi in regno suo, Duci in provincia, & Magistratui civili in suo territorio permittendum erit: quòd sanè inauditum est in Ecclesia; quantumvis tu multa in hanc rem facta Regum in speciem adducas, ut ex Imperatore Pontificem, ex Rege Primatem, ex Duce Archiepiscopum, ex Principe vel Consule Episcopum, insanâ metamorphôsi efficias.

IV. Id asseritur in Concilio *Nicæno*, *Constantinopolitano*, *Lateranensi*, Pontificum veterum decretis, & SS. Patrum sententijs, de quibus fusè Bellarminus, alijque scriptores.

Contrà Nifanius nobis adducit multa Concilia Oecumenica, quæ referuntur ab Imperatoribus congregata, in quo tota ejus farrago scriptionis versatur: nec aliud ferè adfert, quàm quod Calvinus, Magdeburgenses, alijque hæretici scriptores attulere, ex quorum scriptis hæc ejus rapsodia est. Verùm hæc Bellarminus, alijque jam satis refutarunt; nec ultra evincunt vestra argumenta, quàm quòd auctoritate Pontificis aliquando concessum sit Imperatoribus, convocare Concilia; idque ob has causas: tum quòd Imperatoria lex adhuc valeret, quæ prohibebat conventus fieri sine Imperatoris auctoritate; tum quòd in aliquâ Imperatoris urbe conventus ille Episcoporum fieri deberet; tum quod multi sumptus & subvectiones Episcoporum poscebantur Imperatorum liberalitate. Quemadmodum Constantinus M. tempore Concilij Nicæni, omnes Episcopos suis sumptibus aluit. Demum etiam Principibus ob has aliasq; causas permissum non modo convocare Concilia, sed ijs quoque interesse, ut suâ auctoritate securitatem præstarent, & quæ in Concilijs

cilijs decreta erant, juvarent, quò expeditius ad effectum venirent. Quò spectant illa, quæ tam inani plausu refers de Carolomanno, Caroli M. patruo, de Pipino Rege, atque de ipso etiam Carolo M. sed de his infra agendum explicatius. Tandem desine è scrutario foro antiquas & putridas merces venales exponere. Hæc quæ adfers, centies recocta, centumq; libris explosa sunt.

Unum ego vicissim à te audire vellem, an in vestra Lutherana Ecclesia Concilium Oecumenicum & generale convocari possit? qualia tam multa legis à Spiritu S. congregata in Ecclesia Catholica; dummodo intelligas, quid sit Oecumenicum Concilium? ad quod primò requiritur, ut Ecclesia illa, in quâ convocatur, sit Catholica & universalis, seu Oecumenica; quod de vestra ecclesia Lutherana nunquam præstabitis.

Secundò, ut qui convocat Concilium illud, habeat potestatem convocandi Episcopos ex toto orbe Christiano; nec illud præstare potestis. Imò nec Regem aut Principem sæcularem potestis exhibere, qui pro suâ potestate *nationale Germaniæ Concilium* convocare possit.

Tertiò, ad Concilia celebranda requiruntur Episcopi, qui judicum munere fungantur: hinc in omnibus Conciliis illa Episcoporum multitudo, nec ullum unquam Concilium sine Episcopis fingi potest. Apud vos Lutheranos autem, ne ullus quidem verus Episcopus cum potestate Ordinis & jurisdictionis repertus est. Hinc defectu jurisdictionis, ne Concilium quidem diœcesanum apud vos convocari & haberi potest: quapropter nec à vobis ulla Ecclesiæ legitima ordinatio, minus verò certa in controversijs fidei decisio fieri potest. *Spiritus* enim *Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Meræ Lamiæ, Nifani, apud te habitant, quæ domi cæcæ, foris omnia videre; carpere, & corrigere volunt.

Quartò, altera quoq; pars tuæ assertionis, quâ Carolum M. & cæteros ante ipsum Imperatores, cum *Calvino* Conciliorum præsides & judices facis, falsissima est. Constat id primò, ex Concilio Apostolorum Act. 15. in quo Petrum præsedisse affirmat D. Hieron. epist. ad Augustinum, cujus sententiam cæteri secuti sunt: Eò & in hoc Concilio forma cæterorum præscripta est. Secundò, ex eminentiâ & amplitudine potestatis, quâ Christus Petro & successoribus oves suas pascendas commisit, Joan. 21. Tertiò, ex traditione & praxi Ecclesiæ, quæ hic certa re-

MM gula

gula esse debet. Hinc Baronius & Bellarminus *octo Concilia* prima *generalia* introducunt, ostenduntque in singulis Pontificem Romanum per Legatos ijsdem præsedisse; qui primo loco consederint, qui primi sententiam rogati, & primi ante alios Patriarchas & Episcopos subscripserint: exceptâ Constantinopolitanâ II Synodo, quòd eo tempore Damasus Romæ Concilium celebraret, & tàm Orientis, quàm Occidentis Episcopi, junctis animis Macedonium, Spiritum S. abnegantem, condemnarent. Hæc tu, cum scire deberes, fallaciter prætermittis. Cur autem Pontifices non per se, sed per Legatos præsederint, (maximè in Concilijs Orientalibus,) causas varij varias adferunt, quas apud Bellarm. leges. Falsum igitur, quod scribis, quædam Concilia, (si quidem de Oecumenicis id intelligas,) sine omni præsentia Romani Pontificis esse celebrata: falsum quoque quod scribis, Turrecremâtam lib.3.c.11. asserere, in octo primis Concilijs nullum Papam præsedisse. Nam etsi per se non interfuerit Pontifex, interfuit tamen & præsedit per Legatos, quod Turrecremâta negare non potuit.

Quòd verò multo minus Imperatores & Reges, cum laici sint, Judices in Concilijs esse possint, in quibus causæ fidei & morum tractantur, & deciduntur, per se notum est: Non enim *Spiritus S. posuit* Imperatores, sed *Episcopos regere Ecclesiam Dei,* Act. 20. Hinc soli illi in Concilijs Judices, quæ communis Patrum & Theologorum sententia est. Non hanc auctoritatem Constantinus M. sibi vendicavit unquam, quam tu Carolo M. affingis: Nam ille in Concilio Nicæno, quod primum Generale fuit, palàm professus, se ab Episcopis debere judicari, ijsque subjectum esse, Ruffinus lib. 10. cap. 2. nec ausus sedere nisi in humiliore, quàm Episcoporum esset, sede, & annuentibus Episcopis, Theodorêtus lib. 1. c. 7. & post omnes demum Episcopos subscripsit, ut testis est Basilius Imp. in fine Synodi VIII. Quin Hosius Apostolicæ sedis Legatus in eo Concilio, scribere ausus Constantino: *Ne nobis in hoc genere præcipe, sed ea potius à nobis disce: tibi Deus Imperium commisit, nobis ea, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit.* Athan. in 2. Apol.

Pòst, ubi Constantius Imperator, & Arianæ hæresis propugnator, primas sibi partes vendicavit in Concilio; objecêre se Episcopi Catholici, quos inter Athanasius Apologia 2. *Si judicium Episcoporum est, quid cum eo habet commune Imperator?* Et Hosius Episcopus de eodem: *Quis*

enim

enim videns eum in decernendo principem se facere Episcoporum, & judicijs præsidere Ecclesiasticis, non meritò dicat: illum hanc ipsam esse abominationem desolationis, quæ à Daniele prædicta est? Et quid hoc aliud est, quàm Antichristum dixisse? aut quis alius spiritus vester, quàm hujus hæretici Imperatoris exemplo, tollere supremam in Ecclesijs Pontificum & Episcoporum potestatem, & ad politicos Principes transferre? Quam in rem recole ea, quæ supra ex Conciliorum, & SS. Patrum judicio sunt allata, de Primatu sedis Apostolicæ.

Adversus hæc non aliud profert Nifanius, quàm Imperatorũ ac Regum exempla, qui Concilijs aut per se, aut per suos Legatos interfuere, id quod nemo Catholicorum negat: cùm non ut Præsides & Judices, sed ut defensores, adjutores, testes, & conscij decretorũ adessent; ut transgressores & contumaces pœnis corporalibus punirent. In quo etiam temporalis potestas subordinata est Ecclesiasticæ: sunt enim Reges custodes legis divinæ, non interpretes & judices; uti Augustinus docet Epist. 48. Epist. 50. & 166. Et patet ex L. *Cunctos populos*, de summâ Trinitate & fide Cathol. & toto titulo de hæreticis, eodem Codice. Nec aliud professi sunt Constantinus M. Theodosius, Martianus, Valentinianus, cæteríque Christiani Imperatores, quorum exemplis Carolus M. toties se profitetur defensorem & tutorem Ecclesiæ.

At cætera, quæ hîc attexit Nifanius de Concilio Trullano, seu Quinisexto, prorsus frivola sunt: cùm Concilium illud inter illa sit, quæ partim reprobata, partim probata sunt; quâ super re Bellarm. c. 7. Turianus lib. de VI. Synodis, Baronius, & alij. Quemadmodũ & alia Concilia prorsus sunt reprobata; quale est Constantinopolitanum sub Leone Isauro, & Constantinopolitanum sub Constantino Copronymo, utrumque verò iconomachorum fuit adversus sacras Imagines abolendas. Hisce ac similibus Concilijs præsidere potuerunt Imperatores hæretici, quia pseudosynodi fuerunt hæreticorum: quales & vestræ fuerunt Synodi, in quibus tantum potestatis habent Reges & Principes vestræ religionis, quantum vos Superintendentes & prædicantes: quando apud vos nulla est vera Ecclesia, nec potestas sacra, nec spiritualis jurisdictio. Dicimus enim cum Cypriano, Epist. 6. *Schismaticos & hæreticos nihil habere juris & potestatis in Ecclesia*: inde profanorum & laicorum *conciliabula* sunt, non *Concilia* Episcoporum.

Unde denuo unum hic mirari subit, & reponere tibi. Legis enim tot Concilia generalia, tot Nationalia, tot Provincialia, à primo Nicæno in Ecclesia esse celebrata per Orientem & Occidentem, per Asiam, Africam, & Europam, quæ tot Conciliorum tomis continentur: ac nullum ex his Concilijs legis sine Episcoporum conventu, eorumque decretis & subscriptionibus. Hinc in omnibus Concilijs legis nomina *Episcoporum* subscripta, in nullo verò nomen *Superintendentis*, vel ut alij apud vos vocari volunt, *Superattendentis*; nullum *Prædicantis* nomen subscriptum legis, sed ubique *Episcopi* nomen, & locum Sedis & diœcesis Episcopalis. Jam verò dum vestras synodos revolvo, cumprimisque *Wittenbergense concilium*, quod vos Lutherani *generale* dicitis, CCC *pastorum*, præside *Luthero*, anno MDXXXVI. congregatum; in eo nullum ego *Episcopum* reperio, sed tantummodò *Prædicantum*, & *profanam maritorum & patrum* turmam. Par est ratio de synodo *Dordrechtanâ*, quam *Calvinistæ* rigidiores, & *Gomoristæ* congregarunt adversus *Arminianos*, molliores & meliores Calvinistas. In hac synodo, quam *Nationalem* illi esse volunt, nullum denuo Episcopum reperio, præter unum ex Anglia, qui tamen nec ex Calvinistarum, nec Puritanorum, sed Protestantium Anglorum secta fuit *scenicus Episcopus*. Quæ ergo insania hujus sæculi, contra omnem antiquitatem, consensionem, & veritatem orbis Christiani, Concilia sine Episcopis celebrare? Sanè prisci hæretici, quos inter Ariani, Donatistæ alijque, in hoc genere multo conformiùs cum antiqua Ecclesia, multóque sapientiùs, & tolerabiliùs se offerunt, quòd apud eos Concilia Episcoporum reperiantur; cùm ne ullum quidem Episcopum vos repræsentetis, vel ex nomine etiam Episcopi, quod simul cum potestate Ordinis & Jurisdictionis ab ortu Lutheri proscripsistis. Quam nunc Ecclesiam apud vos esse credam, quando *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei?* Nisi ut supra priscos etiam hæreticos insanire vos dicam. Adeo enim sine Episcopis Ecclesia esse non potest, ut Cyprianus dixerit: *Ecclesiam esse in Episcopo, & Episcopum in Ecclesia.* Ut vel hic Episcoporum defectus, nullam apud vos Ecclesiam veram unquam fuisse, certò convincat. Similia hîc deberes expendere, qui tot fallacijs & mendacijs Catholicis illudere quæris perperàm adductis Conciliorum locis, qui pro *Episcopo* larvam *Superintendentis* induisti, & *Doctorem* te venditas, cùm *impostor* sis.

CAPUT XII.

CAPVT XII.

Carolus M. falsò Francofurtensis Concilij Præses, et Judex à Nisanio asseritur.

PRæter Concilia *Generalia*, quæ Carolo M. Rege & Imperatore sunt habita, alia *Nationalia*, alia *Provincialia*, alia *Diœcesana*, alia *mixta*. Expendamus ordine singula.

Ad *Nationale* referamus Concilium *Francofurtense*; quamvis propriè *Nationale* non fuerit, quòd in eo conveniant Archiepiscopi, & Episcopi unius regni vel nationis, quibus Patriarcha aut Primas aliquis præsidet: nam & hujus muneris esse convocare Archiepiscopos, & Episcopos ad hæc Concilia, docet Augustinus Epist. 217. & Concil. Afric. c. 22. Neque ullus in Francofurtensi Concilio Primas exprimitur, à quò Concilium illud indictum sit. Convenere autem jussione Pontificis & Caroli M. Archiepiscopi & Episcopi Germaniæ, Galliæ, & Aquitaniæ: inde Suarez lib. 3. defens. Cath. c. 27. Binius, alijque inter *Provincialia* potiùs referunt. Sed de hoc contentio non sit: demus *Nationale* fuisse, certè *Generale* non fuit, ut falsò obtendunt hæretici.

I. Quæstio est, an Caroli M. solius auctoritate congregatum sit? & an in eo Carolus supremum judicem egerit? quod hic Prædicans contendit. Res ita se habet: Elipandus Toletanæ Ecclesiæ in Hispania Episcopus, ut hæresis suæ virus, de filio Dei adoptivo, per Gallias & Germaniam diffunderet, scripsit ad Carolum M. rogando suam sententiam Theologis examinandam proponi: addidit ejusdem argumenti literas ad Galliæ Episcopos. Carolus his literis acceptis, quibus argumenta hæresis exposuerat Elipandus, transmisit exemplar ad Hadrianum Pontificem, missâque semel atque iterum legatione Romam ad Pontificem, rogat, ut ad Synodum suo hortatu in Germania hac de causa celebrandam Pontifex perscriberet, quid de ipsa Elipandi nova doctrina sentiret. Hadrianus petitioni Regis obtemperans, Elipandi doctrinam discussit:

quam cum hæreticam inveniſſet, ſcripta ad Galliarum & Hiſpaniarum Epiſcopos epiſtolâ, hæreticam doctrinam declaravit, & anathematis ſententiâ condemnavit. Uti hæc in epiſtola Caroli M. ad Hiſpaniæ Epiſcopos, & actis Concilij Francofurtenſis tom. 20. Concil. Pariſienſ. edit. fusè exponuntur.

Hic primùm tua fraus apparet, qui Carolum nobis ex Catholico in Lutheranum transformare vis. Nam cum cauſa fidei hîc ageretur, Carolus eam ad ſedem Apoſtolicam retulit, & Pontificis judicium expetivit. Facitisne hoc vos Lutherani, quibus nullum judicium magis execrabile, quàm Romani Pontificis? Carolus deinde hac ſuper re Concilium Epiſcoporum à Pontifice decerni petijt. Quid Lutherus, quid vos Lutherani magis per omnium ludificationem ſubterfugiſtis, quàm ne nova Lutheri doctrina, judicio Concilij & Epiſcoporum ſubijceretur? Carolus poſtquam Elipandi hæreſim à Pontifice damnatam accepit, judicio Pontificis acquievit, & nihil ſollicitius habuit, etiam bello Saxonico tantiſper dilato, quàm conventum Epiſcoporum accelerare, ne hæreſis illa per Galliam & Germaniam ſerperet, quam in fomite ſuppreſſam voluit: ſecus quàm Germani Principes, qui Lutheri doctrinam in tot malorum Iliades aluêre.

II. Poſt acceptam Hadriani Pontificis epiſtolam, ejus conſenſu congregata eſt Synodus Francofurti ad Mœnum, anno Chriſti 794. ſive per Carolum, ut Francorum annales memorant; ſive per Legatos Apoſtolicos, quos Carolo & Concilio adfuiſſe dicemus, parum id refert. Id verò falſiſſimum eſt, dum Carolum Regem ſolùm præſediſſe Concilio refers, ut Imperatoris poteſtatem, ſupra Pontificis Legatos Apoſtolicos, & Epiſcopos in Concilijs attollas: quamvis eo tempore tum nondum Carolus Imperator eſſet: ergo non potuit pro Imperatoriâ dignitate id ſibi vendicare. Deinde ſcribis, congregatam Synodum *præcipiente & præſidente pijſſimo Rege Carolo.* Quod verbum, *Præſidente*, in Concilio non legis.

Hinc altera fraus tua eſt, quam manifeſtè oſtendo ex Canone primo Concilij, quo ita Synodus præfatur & teſtatur: *Conjungentibus Deo favente Apoſtolicâ auctoritate, atque pijſſimi Domini noſtri Caroli Regis juſſione, anno XXVI. Principatûs ſui, cunctis regni Francorum ſeu Italiæ, Aquitaniæ, Provinciæ Epiſcopis, ac Sacerdotibus Synodali Concilio; inter quos*

quos ipse mitissimus, sancto interfuit conventui. Viden', ut Synodus ipsa, Apostolicam auctoritatem conjungat cum jussione Regis? eamque primo loco collocet, & Caroli præsentiam post Episcopos ponat, quorum in Concilio primæ partes sunt? Secundò Concilium dicit: *mitissimum regem interfuisse*, non verò *præsedisse:* Quod ex cerebro tuo commutas. Nisi idem apud te sit *interesse* Concilio, & *præsidere*. Quare hæc verba Canonis & præfationis, non integrè & syncerè recitas? nisi quia more tuo & hæreticâ fide agis; omittendo ea quibus hæc tua in ipso limine falsitas retegitur.

Deinde si annales Francorum consulas, *Præses* Concilij non Carolus sed *Apostolici Legati.* ita enim illi: *Adfuerunt etiam in eâdem Synodo Legati Romani Pontificis, Theophilactus ac Stephanus Episcopi, vicem tenentes ejus, à quo missi erant, Adriani Papæ.* Ita præterea Adelmus, Ado, cæterique Francorum scriptores. Prorsus ad illum modum Conciliorum, quo Romani Pontificis Legati Concilijs Generalibus interfuerunt, & præsederunt: ut vel eò, quidam hanc *Francofurtensem Synodum,* ad Generales referant. Urges interim ex epistola Synodica Episcoporum ad Elipandum, & Hispaniæ Episcopos, quâ Patres fatentur: *Assidente & auxiliante* sibi Carolo, *præcepisse* Carolum libellum adferri in medium, & prælegi *mandasse* Elipandi argumentum: hinc infers, Carolum *præsedisse* Concilio. Quid hic dicis? est ne *assidere*, & *auxiliari* in Concilio, *agere Præsidem* Concilij? Næ tu mirus interpres es! neque ex eo quod interfatus Carolus, jusserit libellum ad se scriptum legi, *Præsidis* munus conficitur: cum id pro *auctoritate Regis* fecisse PP. velint, non ex imperio *Ecclesiastici Præsidis*, cujus se incapacem sciebat Carolus. Tam frivolis argumentis causam vestram agitis.

III. Tertia, (quam hîc committis,) fraus est, quod Carolum M. hujus Concilij supremum judicem asseras; id ex ipsâ Caroli epistola nobis persuadere vis, in quâ ita scribit Carolus: se ab Elipando rogatum esse, *ut per semetipsum arbiter esset suæ* per Epistolam scriptam *sententiæ, de adoptivo Dei filio.* Ad quæ ita denuo Carolus: *Ecce ego vestris petitionibus satisfaciens, congregationi Sacerdotum Auditor & Arbiter assedi, discrevimus, & Deo donante decrevimus, quid esset de hac inquisitione firmiter tenendum.* Ex his Nifanius infert: Ergo Carolus Rex in Concilio Francofurtensi fuit *supremus judex* inter Episcopos & Sacerdotes.

Quasi

Quaſi idem *auditor* & *arbiter* in Concilio, etiam ſit *judex* cum jure ſuffragij deciſivi. Admittuntur ad Concilia *Generalia*, *Nationalia*, & *Provincialia*, Presbyteri, Clerici, Monachi, laici; non ideo jus ſuffragij deciſivi habent, quod Epiſcoporum eſt. Theologi adeo non ut Judices, ſed Conſultores interſunt Concilijs. Et tu judicium, quod Epiſcoporum eſt, hîc in rebus fidei Regi laico, ante Pontificis Legatos, & Epiſcopos, & Sacerdotes tribuis; ipſum verò Epiſcoporum judicium, in quo ſe Carolus fundat, & quod in eâdem Epiſtola perſcribit Elipando, & Hiſpaniæ Epiſcopis, hîc tu fraudulenter pro more tuo, & genio hæreſis tuæ, omittis & ſupprimis: ideo res poſcit, ut hoc loco recitemus. Ita enim Carolus in eâdem Epiſtolâ: *Idcirco vobis per ſingulos libellos dirigere curavimus, quid prædictorum Patrum pia unanimitas & pacifica perſcrutatio auctoritate Eccleſiaſtica inveniret, ſtatuiſſet, & confirmaret.*

Primò, quid Dominus Apoſtolicus cum ſancta Romana Eccleſia, & Epiſcopis illis in partibus quaquaverſum commorantibus, & Catholicis Doctoribus ſentiret, ſub unius libelli tenore ſtatuimus.

Deinde ponit, quid *Eccleſiaſtici Doctores & Sacerdotes Eccleſiarum Chriſti, de propinquioribus Italiæ partibus, cum Petro Mediolanenſi Archiepiſcopo & Paulo Forojulianenſi, vel Aquilejanenſi Patriarchâ, viris in Domino valde venerabilibus, intelligi & firmiter credi voluiſſent, ſuis proprijs reſponſionibus exaratum libellum poſuimus; quia ipſi quoque præſentes noſtro Synodali conventui adfuerunt.*

Poſt hæc tenet & tertius libellus Orthodoxam Sanctorum Patrum, Epiſcoporum, & virorum venerabilium fidem, qui in Germania, Gallia, Aquitania & Britanniæ partibus, dignis Deo deſerviunt officijs, veſtriſque objectionibus ſanctarum Scripturarum teſtimonijs roboratas obtinet reſponſiones. Hæc ſedis Apoſtolicæ, hæc Epiſcoporum judicia, quibus Carolus ſubnixus, non ut horum *Præſes* aut *judex*, ſed conſentiens *auditor* & *arbiter*, ſuam quoque ſententiam ſubjunxit, in hæc verba:

Dein quarto loco mea propria unanimitatis cum his ſanctiſſimis prædictorum Patrum decretis, & Catholicis ſtatutis Conſenſum ſubnexui, ſicut vosmetipſi in veſtra epiſtola, quam meo ſpecialiter aſſignaſtis nomine, rogare curaſtis. Tanquam diceret: poſt Epiſcoporum judicium, non neceſſarium fuiſſe ſuum conſenſum & arbitrium ſubnectere, niſi id ſpecialiter

Elipan-

Elipandus rogaſſet. Hinc cum Epiſtolâ Hadriani Pontificis, cum libello ſacroſyllabo Epiſcoporum Italiæ, cum Synodica epiſtola Epiſcoporum Galliæ & Germaniæ, Epiſtolam ſuam quoque Carolus ad Elipandum & Hiſpaniæ Epiſcopos conjunxit.

Sed inſtat Niſanius, adducitque ex libello ſacroſyllabo hæc Epiſcoporum verba: *Cum jubente Rege, publicâ voce recitata fuiſſet*, epiſtola videlicet Elipandi ad Carolum, *ſtatim ſurgens venerabilis Princeps de ſella regia, ſtetit ſupra gradum ſuum, ac locutus eſt de cauſâ fidei prolixo ſermone, & adjecit: Quid vobis videtur?* Hîc verò Niſanius, ſublato plauſu, *Egregium*, inquit, *præſidentiæ & directionis argumentum!* Imò verò egregius tu impoſtor es, qui ex eo, quod Carolus Rex ſe Epiſcoporum ſubjecit judicio, ſupremum Concilij *Præſidem* & *judicem* falsò tuis perſuades: cùm Præſidis & judicis ſit in ſuis Concilijs ferre ſententiam, deinde primò ſubſcribere, uti Legati Pontificis, & cæteri ex ſuâ ordinis dignitate & ſeſſione fecerunt. Quin dum Carolus ad Epiſcopos inquiebat: *Quid vobis videtur?* ſatis oſtendit ſe id omnium judicio Epiſcoporum tribuere.

Unde tu hîc denuò deliras. Fundamentum enim Catholicorum, aſſerentium penès Epiſcopos eſſe judicium deciſivum in Concilijs, tibi ſubvertendum erat, quod illi multis revincunt ex Scriptura Act. 20. Eph. 4. Joan. ult. Jerem. 3. Deinde ex Concilijs, & conſuetudine Eccleſiæ, quæ eſt optima Scripturarum interpres. Nam in omnibus Conciliis ab Apoſtolorum tempore celebratis, hic ordo ſervatus, ut ſoli Epiſcopi fuerint judices, unde ante omnes etiam ſubſcripſerunt. Hinc ex Chalcedonenſi Concilio, Clerici, Monachi, & laici expulſi, paucis exceptis, quos Epiſcopi ſecum duxerant. Et cum in eodem Concilio pro Dioſcoro Monachi & laici ingreſſi eſſent, Patres exclamarunt: *Mitte foras ſuperfluos, Concilium Epiſcoporum eſt.* Hæc & Patrum ſententia, *Cypriani* Epiſt. ad Jubai. *Hilarij* lib. de Synod. *Ambroſij* Epiſt. 32. *Ruffini* lib. 10. hiſt. *Athanaſij* Epiſt. ad ſolit. vit. agent. Horum una vox Concilia Epiſcoporum eſſe. Nec aliter Chriſtiani Imperatores ac Reges ſenſêre, quibus vos hæretici tribuitis poteſtatem, quam illi nunquam agnovere, neque affectarunt. Quocirca Theodoſius junior Imperator Epiſtola ad Epheſinam Synodum: *Illicitum eſt eum, qui non ſit in ordine ſanctiſſimorum Epiſcoporum, Eccleſiaſticis immiſceri tractatibus.* Uti hæc

NN ſupra

ſupra ex Conſtantini M. & Theodoſij ſenioris, & Valentiniani Imperatorum exemplis retulimus. Imò verò, cùm Carolus M. id Conſtantini M. ſuum eſſe voluerit, Capitularium lib. 6. c. 301. *Mihi homini conſtituto, de hujuſmodi rebus non licet habere auditorium Sacerdotum:* quod eſt Sacerdotum cauſas dijudicare: Quomodo quis ſibi perſuadere poterit, Carolum M. ſibi ſupra omnes Epiſcopos in cauſa fidei judicium ſumpſiſſe? idque in tam ſubtili quæſtione, quæ de filio Dei adoptivo agitabatur. Igitur etſi *auditor arbiterq;* rerum geſtarum aſſederit, non tamen *judex* cum ſuffragio deciſivo: quemadmodum Act. 15. *Convenerunt Apoſtoli & ſeniores videre de verbo hoc:* Apoſtoli videlicet, ut judices ad definiendum, Presbyteri ad conſultandum, plebs & laici ad audiendum: ita *Epiſcopi* in hoc Concilio *ad decidendum, Doctores* quos Carolus ex Britannia ob id evocavit *ad conſultandum*, cæteri ad *audiendum.* Proinde, cùm *Epiſcopi* ejus Synodi, ſententiam ſuam perſcripſiſſent Elipando ut *Judices,* Carolus ad eundem ſcripſit ut Synodi *protector* & *defenſor.*

At ſcio, veſtra eſt hæreſis, omnem poteſtatem Eccleſiaſticam, & juriſdictionem ſpiritualem tollere ex Eccleſia; & unam tantùm poteſtatem ſtatuere in politico Principe, qui *Sacra* juxta, ac *Civilia* adminiſtret, decernatque, ſeu per ſe, ſeu per miniſtros ſuos. Hinc ſupremum judicium rerum Eccleſiaſticarum vobis eſt penès Reges & Principes, & Magiſtratus politicos: hinc etiam illa confuſio in veſtra Lutherana eccleſia, ut tot ſint ritus diverſi, & tam multiplex religio, & tam variæ ſectæ, quàm hæc politicus Princeps vult eſſe diverſa. Quàm verò ordinata & pulchra *Hierarchia* in *Catholica Eccleſia?* quod vel ex hoc Francofurtenſi Concilio recognoſces: dum ad Pontificis judicium ſeſe Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Sacerdotes & Doctores, unà cum Carolo Magno, tanquam ad unius machinæ rotam commovent, ne vel in uno dogmate Elipandi hæreſis, concordiam religionis diſſolveret: hâc formâ regendi cœpit, crevit, & ſtetit ad hunc diem Catholica Eccleſia.

CAPUT XIII.

CAPVT XIII.

Concilia Provincialia ac cætera, quæ falsò supremæ Caroli M. auctoritati attribuuntur.

DE his ita pronuntiat Nisanius: *Carolus M. in suis provincijs, quas vel armis subegit, vel hæreditate adierat, nulla habita Pontificis Romani ratione, regiâ auctoritate convocavit, & constitutiones in illis factas confirmavit.*

Id ut probet, adducit I. Concilia, quæ Carolomanno & Pipino Rege sunt habita in Germania. Secundò ea Concilia, quæ Carolo Rege & Imperatore celebrata sunt. Verùm nullus huic Prædicanti, calumniandi mentiendique aut modus, aut finis. Ordiamur à primo. Concilia, quæ Carolomanno Caroli patruo, & Pipino Rege sunt habita, tria fuêre, eaque auctoritate Pontificis Gregorij, per D. Bonifacium sunt celebrata; quòd is per Germaniam Legatus Apostolicus renunciatus, ad Cleri populique mores formandos, Episcoporum Synodos pernecessarias duxerat, earumque convocandarum potestatem à Pontifice impetrarat, adjuvante cumprimis, & præsente etiam Carolomanno ferventissimo Principe, à quo deinde acta decretaque Episcoporum haud secus, quàm à Pipino Rege sunt approbata, eorumque etiam auctoritate accedente sunt vulgata in publicum: quò in contumaces & transgressores, etiam manus politicæ opis præstò esset; nihil interim jurisdictionis superioris, vel Carolomannus, vel Pipinus Rex in ipsos Episcopos, aut Episcoporum Synodos sibi sumpsit. Uti hæc omnia ex Epistolis Bonifacij ad Pontifices, & Pontificum ad Bonifacium, & Carolomannum, & Pipinum Regem, tum ex actis Synodorum planum est; multisque hæc refert Serrarius in Moguntina historia, & Sirmondus, alijque in Concilijs: uti & à nobis suprà satis est relatum de Bonifacio, lib. 1. cap. 14. & 20.

Inter Concilia Provincialia, quæ Carolo M. Imperatore sunt habita, quinque cumprimis celebriora memorantur, quæ Anno Christi

NN 2 DCCCXIII.

DCCCXIII. per regnum Franciæ, ante supremum annum vitæ Carolus probavit congreganda, ad Cleri populique mores constituendos. De his ita Francorum Annales, seu Eginardus in Chronico: *Concilia quoque jussu ejus super statu Ecclesiarum corrigendo, per totam Galliam ab Episcopis congregata sunt, quorum unum Moguntiæ, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Cabillone, quintum Arelate congregatum est: & constitutionum quæ in singulis facta sunt collatio, coram Imperatore, in illo conventu habita.* De his Concilijs Annales Francorum, Pithæus, Adelmus, Regino, cæterique scriptores, uti hæc extant in tomis Conciliorum.

Quam in rem primò advertendum, cum provincialia hæc fuerint Concilia, non indiguisse Carolum Pontificis auctoritate, quòd in Metropolitanorum potestate sit, ejusmodi Concilia convocare, præsidere cum Episcopis, leges sancire: id cùm ex communi Theologorum sententia, & praxi Ecclesiæ certum sit, tum ex ipsis Caroli legibus evidens: Ita enim constitutio Caroli ex Cap. Aquisg. *Episcopi cum Metropolitano bis in anno Concilia celebrent.* In eâdem constitutione: *Ad Metropolitanum Episcopum Suffraganei Episcopi respiciant.* Lib. 6. Capitularium, cap. 252. *Placuit definiri, ut paternis institutionibus obsequentes, in Metropolitanâ sede, tempore quo omnes comprovinciales elegerint, Pontifices ad Synodum faciendam devotis studijs conferantur.* Similia habes lib. 6. Capitularium c. 87. lib. 7. c. 81. lib. 7. c. 775. In Capitulari Caroli anno regni XI. *Metropolitanis suis Suffraganei Episcopi secundum Canones subjecti sint.* Igitur tota potestas in convocandis hisce Concilijs, judicandisque rebus sacris penès Metropolitanum & Episcopos fuit, non Regem aut Imperatorem.

Secundò advertendum, in hujusmodi Concilijs tempore Caroli & Regum Francorum, consuetum fuisse simul tractare quæ ad Civilem politiam, & populi mores spectabant: valuitque id cumprimis in Vernalibus & Autumnalibus Synodis per singulos annos convocatis, quarum Francica historia & Caroli M. vita plena est; quæ ob id etiam mixtæ Synodi appellantur, & ordinariæ fuerunt, eóque Regum potestas in ijs convocandis partem sibi vendicabat.

Forma ac modus harum Synodorum in Moguntino Concilio, (quod XXX. Episcoporum & XXV. Abbatum fuit) traditur, in quo & horum conventuum ordo per tres classes, in hunc modum accuratè perscribitur. *In*

In prima turma consederunt Episcopi, cum quibusdam notarijs legentes atque tractantes Sanctum Evangelium, nec non Epistolas & Actus Apostolorum, Canones quoque ac diversa sanctorum Patrum opuscula, Pastoralemq; librum S. Gregorij, cum cæteris sacris dogmatibus diligenti studio perquirentes, quibus statum Ecclesiæ Dei, & Christianæ plebis profectum, sanâ doctrinâ & exemplis justitiæ inconvulsum, largiente gratia Dei, perficere & conservare potuissent. In alia verò turma, consedêrunt Abbates ac probati Monachi, regulam S. Benedicti legentes, atq; tractantes diligenter, qualiter Monachorum vitam in meliorem statum atq; augmentum, cum gratia Dei, perducere potuissent.

In tertia deniq; turma sederunt Comites & Judices, in mundanis legibus decertantes, vulgi justitias perquirentes, omniumq; advenientium causas diligenter examinantes, modis quibus poterant justitias terminantes. Quanquam in *Moguntina* Synodo sub Rabano Archiepiscopo, non nisi in duas turmas & ordines, Episcopi & Abbates consederint, intermissâ tertiâ sæcularium hominum classe; ut constat epistolâ Synodi ad Ludovicum Germaniæ Regem.

Synodo huic Moguntinæ præsedit *Hildebaldus sacri palatij Archiepiscopus, Ricolphus, & Arno Archiepiscopi, unà cum reliquis Coëpiscopis, atq; Abbatibus, & cætero Clero:* primus Coloniensis, secundus Moguntinus, tertius Salisburgensis Archiepiscopus ac Metropolitanus erat. Nec prius Synodum in Claustro S. Albani exorsi, quàm cum Litanijs triduanum jejunium celebrassent ex jussione & præscripto Augusti, divinam implorando clementiam. Ita *Arelatensis* Synodus præside Joanne Arelatensis Ecclesiæ Archiepiscopo, & Nebridio Narbonensis sedis Archiepiscopo; *Rhemensis*, præside Vulfario Rhemensis sedis Archiepiscopo. Ad hunc modum *Turonensis* Synodus, & *Cabilonensis*, sub suis Archiepiscopis & Metropolitanis congregatæ, celebratæque sunt, Carolo in nulla harum præsente. Singularum interim acta ad Carolum relata, factaque illa de qua Francorum annales, collatio. Quo in genere non aliud sibi munus sumpsit Carolus, quàm defensoris & adjutoris; ut ea, quæ decreta erant, rogaratque Carolus decerni, ejus quoque præsidio & auxilio sicubi opus esset, executionem haberent.

Multa ex his Concilijs conati sunt afferre in medium hæretici *Anglicani* scriptores, ad asserendum *Regis Primatum* in Ecclesiam: quemadmo-

ad Romanæ Ecclesiæ normam, quam matrem omnium Ecclesiarum dicebat, conformatum voluit. Hoc instituto vita Cleri populique, ad Lutheri tempora, per Saxoniam constituta mansit: modò omnia inversa per hæresin vestram. Id facilè cognoscet is, qui Capitularia & constitutiones Caroli Magni, qui Synodorum decreta revoluerit. Imò qui vel quinque hæc postrema Concilia, quibus Carolus M. jam senex regnum & imperium à se bene constitutum relinquere voluit, secum pervolverit: perpenderitque, quæ decreta Clero, Monachis, sacratis Deo virginibus, & populo præscribuntur; videbit is, nonnisi umbram quandam antiquæ religionis, quæ Carolo M. viguit, apud vos Lutheranos superesse.

CAPVT XIV.

An Carolus M. supremam potestatem sibi sumpserit, exercueritque in ordinandis Ecclesiis, et ferendis legibus Ecclesiasticis?

ASserit id Nifanius: nec veritus hanc quoque calumniam aspergere religiosissimo Imperatori, ad patrocinium hæresis suæ, quæ supremam jurisdictionem tam in temporalibus, quàm Ecclesiasticis, suis defert Regibus, & Magistratui politico. Ita enim primò: *Quemadmodum penes Carolum fuit ordinare Rempub. civilem Romæ alijsq; in locis; ita quoque Ecclesiasticam: semper enim sibi reservavit Primatum in Ecclesiasticis, quoad jurisdictionem exteriorem.* Hinc tuæ falsæ propositioni nihil deest, nisi ut *Carolum M. Imperatorem & simul summum Pontificem* pronunties, aut schisma Anglicanum hæresinque illam transmarinam, in Germaniam introducas, spoliando Pontificem & omnes Episcopos suâ jurisdictione. Sed quàm falsa hæc tua sit assertio, jam tot libris, contra *Primatum regium* scriptis, confutatum est: ideo hîc supersedeo. Si quid in te ingenij aut doctrinæ est, refelle

Beca-

Becanum, aut Suarez, aut aliquem ex innumeris Theologis, qui adversus hunc fictitium Primatum scripserunt. Interim id unum adfers ex Eusebio lib. 4. c. 24. de Constantino M. quòd is Episcopos allocutus dixerit: *Vos estis Episcopi in Ecclesia, ego extra Ecclesiam seu templum Episcopus à Deo constitutus sum.* O te insipidum interpretem ejus dicti! si enim *Episcopi* in Ecclesia sunt, quos *Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei*; ergo jurisdictionem non modò internam sed & externam habent. Nam *regere* est *actus jurisdictionis externæ.* Quin ex ipso *Constantino* te refellam. Magnus ille Imperator, teste Ruffino lib. 1. hist. in Concilio Nicæno, cùm judicium inter Episcopos recusaret, palàm dixit: *Deus vos constituit Sacerdotes, & nobis à Deo dati estis judices, & conveniens non est, ut homo judicet Deos; sed ille solùm de quo scriptum est, Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat.* Quid ad hæc dicis? nunquid *judicare* est actus *jurisdictionis externæ*? quem sibi in Episcopos, (quia simul sacræ erat jurisdictionis,) non est ausus vendicare Constantinus M. Haud secùs quàm Theodosius M. Valentinianus, cæterique Imperatores ac Reges Christiani, palàm toties professi sunt. Quorum exemplo, Carolus M. Pontifici & Episcopis plenam potestatem regendi, judicandi, & ordinandi Ecclesias reliquit, uti id suprà satis superque relatum est. Et quâ fronte audes tu scribere, Carolum M. Romæ ordinasse Ecclesiasticam Rempublicam? qui Apostolicam sedem ut matrem, & magistram veneratus; qui Adrianum Pontificem ut Patrem, & Pastorem universalis Ecclesiæ coluit; qui Leoni, ut Vicario Christi, omnia detulit; qui & Romanam Ecclesiam, ut exemplar in omnibus proponendam censuit, ad quam cæteræ Ecclesiæ per Franciam, & Germaniam formarentur, uti hæc toties memorata sunt. Quid ergo illud Constantini sibi vult? Potestne Episcopus esse extra Ecclesiam? Imò, quod Episcopi sunt Pontificali, id Imperator est Imperiali potestate: ut quod illi jurisdictione sacrâ ordinant, id Imperator politica jurisdictione tueatur, & conservet. Eò defensor Ecclesiæ, & per analogiam impropriè *Episcopus* dici potest. Quid hîc mysterij, quod tyro non capiat?

Altera Nifanij propositio de legibus sic habet: *Carolus M. præter leges civiles etiam Ecclesiasticas plurimas promulgavit; tum enim nondum orbi persuasum erat, solis Pontificibus datam esse ferendarum Ecclesijs legum potestatem: unde in rem Ecclesiæ Canones colligi fecit ex Conciliorum,*

veterum Patrum & Pontificum ſententiis, uſus operâ Albini & Paulini Aquilegienſis Epiſcopi. Hîc tu denuo deliras in Carolo M. Id vel unica ratio tibi oſtendat. Quicunque fert Eccleſiaſticas leges, in eo debet eſſe poteſtas Eccleſiaſtica & jurisdictio ſpiritualis externa; at hæc in Carolo M. non fuit; ergo nec leges Eccleſiaſticas tulit, nec ferre potuit. Hæc enim extra ſphæram poteſtatis politicæ ſunt, quæ ſolùm fert leges Civiles: Poteſtas verò ferendi leges Eccleſiaſticas in Eccleſia penès Pontificem & Epiſcopos eſt. Quâ ſuper re inter innumeros alios Bellarminus lib. 4. de Pont. c. 15. 16. 17. Imò has ipſas Caroli leges, quæ à te adferuntur, dicis fuiſſe Pontificum & Conciliorum veterum: quomodo ergo Caroli, ut non ſint Pontificum & Conciliorum? Imò ideò Caroli, quia Pontificum & Conciliorum fuêre: neque ſuâ auctoritate Carolus M. eas leges denuo præſcripſit, ſed aut Pontificis, aut Epiſcoporum: ob id tot Synodi Epiſcoporum convocatæ celebratæque. Certum enim eſt, Carolum M. ab Hadriano Pontifice accepiſſe librum Canonum ſacrarum, quæ Capitula vocantur Hadriani, ex Græcis & latinis Canonibus, tum ex Synodis Romanis ac Pontificum Romanorum decretis collecta, & in LXXX. leges digeſta: quæ, uti Conſilio Hadriani ſunt tranſmiſſa per Ingilramum Metenſem Epiſcopum; ita ejuſdem auctoritate, aut Epiſcoporum acceptata ſunt. Et Caroli intererat promulgare, quòd multa contineantur de immunitate Clericorum, alijſque, quæ ſcire oportebat ejus judices & miniſtros. Pari modo ſelecta Caroli M. Capitula Eccleſiaſtica, quæ habentur tom. 20. Concil. non tam ſuâ auctoritate, quàm Epiſcoporum promulgavit. Ita enim Cap. 1. Carolus de ſe: *Quapropter nos unà cum conſenſu Epiſcoporum noſtrorum, Abbatum, nec non aliorum Sacerdotum, hæc inſtituta partibus noſtris direximus.* Hæc Capitula ad judices, Vaſſos, Vicarios, Centenarios, ac Miſſos, ſunt tranſmiſſa, de honore & juſtitiâ Sacerdotibus præſtandâ. Idem eſt de Capitulari Caroli anno imperij ejus 13. edito, poſt quinque Synodos celebratas; quo tantùm promulgantur ſelecta Capitula, quæ Epiſcopi in unum congregati decreverant.

Obijcis cum Conringio, & ſcribis: *Ejuſmodi leges Eccleſiaſticas in alijs etiam Conventibus, ac Synodis à Carolo latas, quibus non tantum laici ſed & Clerici, Sacerdotes, Epiſcopi, adeoq; Pontifices ipſi paruerunt, & parere coacti ſint.* Addere & Monachos eodem modo poteras.

R.Sy-

℞. Synodi sub Carolo celebratæ, vel purè Episcoporum & Sacerdotum fuerunt, ut Francofurtensis, & si quæ aliæ: in his nihil à Carolo decretum, nec ab eo ulla lex lata, sed ab Episcopis id factum est, qui Conciliorum sunt judices, & in his legislatores. Unde ut decreta fidei, ita & morum decreta, quæ ad disciplinam Cleri aut Monachorum pertinent, ab Episcopis statuta sunt. Vel *mixtæ* fuerunt *Synodi*, ad quas secundùm tres ordines convenêre Episcopi cum Sacerdotibus, Abbates cum Monachis præstantis doctrinæ, ac tertiâ classe Comites, judices, cæterique Regis administri, uti supra ex Concilio Moguntino pluribus relatum est, convenerunt: & in his Synodis quia mixtæ fuerunt, latæ sunt leges Ecclesiasticæ pro Clericis & Monachis, ab Episcopis & Abbatibus: ac simul leges Civiles per Comites & judices, jurisque consultos pro laicis & populo, quales potissimum fuêre Synodi Vernæ & Autumnales, bis in anno ex veteri instituto Regum Francorum habitæ; & in his primas partes habuere Archiepiscopi, & Episcopi: quemadmodum ex ijs delecti, *Missi Dominici* ad placita & publica judicia habenda, uti hæc ex tot Francorum scriptoribus discere poteras. Nullas in his denuo leges Ecclesiasticas Carolus præscripsit Clericis aut Monachis, quòd ad id nullâ potestate jurisdictionis Ecclesiasticæ præditus esset; id Carolus melius de se intellexit, quàm vos illi affingitis: qui de rebus nostris sacris haud aliter, quam Ethnici olim de Christianis judicabant. Et quia vos Novatores finxistis vobis & constituistis Rempublicam, in quâ omnis & unica potestas est penès sæculares Principes, & politicos Magistratus: hinc ex vestro cerebro & hæresi nobis formare vultis Ecclesiam, & Carolum per caput & collum trahere in vestras partes, risu magis quàm refutantis calamo digni.

Obijcis 2. in legibus Francorum lib. 3. c. 67. præscribitur à Carolo: *Episcopi, Abbates, Comites, & potentiores quique, si causam inter se habuerint, nec se pacificare voluerint, ad nostram venire jubeantur præsentiam.* ℞ malè, nec integrè pro dolo tuo, citas hanc legem: extat enim lib. 3. Capitularium c. 77. *de justitia intra patriam facienda.* Hinc continenter additur: *Neque illorum contentio alicubi dijudicetur, ne propter hoc pauperum, & minùs potentum justitiæ remaneant.* Agitur igitur de Civilibus causis, non Ecclesiasticis: in quibus si Episcopi & Abbates, & Comites in *Synodis* aut *placitis* convenire non possint, remit-

tantur ad judicium Regis. Vides præterea Episcopos, Abbates, & Comites simul fuisse judices in publicis illis Conventibus, & placitis; atque hoc ipso jurisdictionem Civilem etiam exercuisse: tantùm abest ut hìc jurisdictio externa & Spiritualis Episcoporum à Carolo (quod vos facitis,) proscribatur.

Obijcis 3. legem lib. 4. Capitularium c. 69. quâ præscribit Carolus: *ut omnis Episcopus, Abbas & Comes exceptâ infirmitate in nostrâ jussione nullam excusationem habeat, quin ad placitum Missorum nostrorum veniat, aut talem vicarium mittat, qui in omni causa pro illo rationem reddere possit.* ℞. rursum perperam citas legem, est enim LXXI. deinde ubi Carolus scribit, exceptâ infirmitate & *vestrâ* jussione, tu in *nostrâ* jussione ponis. ℞. 2. nihil hoc est contra jurisdictionem Episcoporum, sed totum pro Episcoporum potestate, quæ illis in causis Civilibus etiam cognoscendis & dijudicandis commissa fuit à Carolo M.; ut una cum Missis Dominicis ad placita, mallos & judicia publica venirent judices, perinde ut Comites ex officio tenebantur. Aut non intelligis hæc, aut totus ex fraudibus consutus es. Si Capitularia hæc legisti? quare non addis legem 69. lib. 4. qua ita præscribit Carolus: *Vt Missi nostri, qui vel Episcopi, vel Abbates, vel Comites sunt, quamdiu prope suum beneficium fuerint, nihil de conjecto accipiant.* Viden', ut Episcopi summum illud munus publicum pro Vicaria Regis potestate exerceant? Quare non addis legem LXX. quæ sic habet: *Vt Vassi nostri, & Vassi Episcoporum, Abbatum & Abbatissarum, & Comitum qui anno præsente in hoste non fuerint, heribannum revadiant.* Ergo tum Episcopi & Abbates habuerunt suos Vasallos & ampla feudorum bona. Lege LXXIII. præscribitur à Carolo M. dispensa Missorum Dominicorum: Dentur videlicet Episcopo panes XI. Friscingæ III. de potu modij tres, porcellus unus: pulli tres, ova XV. annona ad caballos modij quatuor: similiter Abbati & Comiti assignatur. Hic denuo ex publicis impensis publicum Episcoporum munus legis: quemadmodum enim in Synodis leges ferebantur per Episcopos, Abbates & Comites, ita per hosce Missos Dominicos legum executio in provincijs ordinata erat à Carolo. Hunc in modum intellige, quod eâdem fraude ex vitâ Ludovici Pij adfers: *Statutum erat, juxta antiquum morem ut ex latere Imperatoris mitterentur, qui judiciorum exercentes potestatem justitiam omnem populo facerent.* Atqui inter hos apud Carolum

rolum M. & Ludovicum Pium primi erant Episcopi & Abbates, ministri justitiæ: ut ex omnibus fere Caroli M. legationibus & judicijs recognosces: cumprimis in Leonis Pontificis causa, quòd Ecclesiastica esset, in supremo Vicario Christi læso.

Tertia propositio Nisanij, quam in prolegomenis habet §.12. *Non adstrinxit Carolus M. homines sibi subjectos ad humanas constitutiones, traditiones, ad hæc vel illa ingenij commenta, ad hujus vel illius Pontificis decreta, sed ad scripturam Canonicam.* Primo. Quomodo hæc cohærent cum altera tuâ propositione paulò ante relata? in qua doces Carolum Ecclesiasticas leges sanxisse: quam in rem Canones veterum Conciliorum & Pontificum collegerit, ut vere fecit Carolus. Itane immemor tui, ut hanc antilogiam scriberes? 2. Si his legibus Ecclesiasticis, nec Clericos, nec Monachos, nec laicos adstringi voluit, quorsum ergo tot leges quibus Synodorum acta, & libri Capitularium pleni sunt? an in speciem & ludibrium, & vexationis gratia hæc Carolus fecit? aut cur tam severæ mulctæ ac pœnæ constitutæ in transgressores, quæ passim in Synodis & Capitularium libris leguntur? An dicere vis, nullas leges humanas, sive Civiles illæ sint, sive Ecclesiasticæ, non obligare in conscientia? & contra Scripturam, Concilia Patrum, & Sapientum doctrinam, atque ipsam rationem pugnas? utraque enim lex tam Civilis quàm Ecclesiastica, si justa sit, obligat: quòd obligatio sit de natura legis, ut Bellarm. lib. 4. de Pontif. c.16. & lib.3. de laicis c.11. fusè, & cum eo innumeri scriptores docent. 3. Augustana vestra Confessio passim, cumprimis c.7. de Potestate Ecclesiastica, & Apologia de eadem, nihil magis damnat, quam traditiones, & leges illas Ecclesiasticas: quod si verum est, quid Carolo M. cum tot legibus Ecclesiasticis, quibus Synodorum acta, Capitularia & Capitularium libri pleni sunt? Aut tu cum Augustana tuâ Confessione insanis, aut Carolus M. insanijt, qui has leges ex Conciliorum veterum decretis, Pontificum scitis, & Patrum statutis, & quidem ab ipso Hadriano Romano Pontifice accepit, promulgavitque per Archiepiscopos & Episcopos, ijsque Clericos, Monachos, & laicos adstringi voluit.

Dicis, Carolum M. nullam legem sanxisse, quæ non in Canonicâ Scriptura contineatur: Quid ergo dices de legibus, quibus Sacrificium Missæ, cœlibatus Sacerdotum, vota Monachorum & Sanctimonialium, & totum illud vitæ genus tot legibus sancitur? quid de Primatu Petri, &

Pontificis potestate, de unctione Episcoporum, & Sacerdotum, de Clericorum vita, & immunitate Clericorum & bonorum Ecclesiasticorum, de invocatione Sanctorũ, cultu Imaginum, Ecclesiæ cærimonijs, de Quadragesimæ jejunio, sub pœnâ etiam capitis sancito. Quid de festis diebus B. Virginis, Apostolorum & Sanctorum, alijsque compluribus? Admittisne hæc in Scriptura contineri? Si admittis, Lutheranus non es; si non, certe Carolus Lutheranus non fuit, à quo tot legibus hæc præscripta & confirmata sunt. Hic totum tuum Cerebrum eversum est: aut fallunt nos omnes Synodi, Capitularia, Capitularium libri, & constitutiones Caroli M. religiosissimi & sapientissimi Imperatoris, à quo Saxonia cum hoc cultu religionis ad Christi sacra traducta est: falluntque nos omnes Episcopi, Sacerdotes, Monachi, Cæsares, Reges, Principes & majores nostri, qui ut hæc à Carolo acceperunt, ita ad vestram usque hæresin per Saxoniam coluere. At vos Lutherani, nunquid in singulis vestris Ecclesijs habetis præscriptas leges de Ordine Ecclesiæ? sed unde hæ leges? ex qua Scriptura? ex qua potestate? aut quis Angelus de cœlo alium vobis Ecclesiæ ordinem in Dania, alium in Saxonia, alium in liberis Imperij urbibus præscripsit? Hic tu Prædicans primùm domi habites.

CAPVT XV.

Lutherani Prædicantes ex principiis à se positis, nullam habent jurisdictionem Ecclesiasticam, nec aliam in suâ Ecclesia; quam non Urbanus prætor habeat, aut mulier etiam habere poterit.

HActenus de potestate Sacerdotali actum, & cumprimis de jurisdictione Ecclesiasticâ Spirituali; nunc reflectenda quæstio in ipsos Lutheranos: videndumque, quænam inter ipsos statuatur potestas gubernandi Ecclesiam.

Quo in genere id primò principium ponunt, unam tantùm esse potestatem à Deo datam in Republica Christiana, quâ Civilia & Ecclesiastica simul administrentur, eamque non apud Ministros Ecclesiæ suæ, sed apud Reges, Principes & Magistratus politicos esse. Hinc proscripta extra

extra Ecclesiam omnis jurisdictio Spiritualis & exterior, quam Catholici omnes Pontifici & Episcopis asserunt; id cumprimis ex Apostolo Paulo ad Romanos c. 13. confici volunt: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita est, non enim est potestas nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt, itaq; qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Hic inquiunt, una tantum sæcularis potestas traditur ab Apostolo, quæ penes Politicos Principes resideat. Similiter, inquiunt, 1. Petri 2. *subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi tanquam præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, &c.*

Respondent Catholici, hanc Pauli sententiam generalem esse, nec restringi ad potestatem sæcularem, sed de omni potestate, in genere loqui, sive illa sæcularis sive Ecclesiastica sit: cum utraque à Deo sit, illa mediatè, hæc immediatè: ac multo sane illustriùs potestas Ecclesiastica in Scriptura continetur, quam politica Principum: cum Christus non propter temporale regnum, sed spirituale, quod est Ecclesia, immutandum & ordinandum venerit in mundum. Vel eo dixit: *regnum meum non est de hoc mundo:* qui tamen regnum Ecclesiæ, & in eo *Regale Sacerdotium* instituit. At inquiunt: *Apostolus* subdit, *non sine causa gladium portant*, ergo de sæculari potestate hic agit. ℞. Apostolum de eâ expressius quidem postea loqui, quòd eo tempore Christiani seditionis & rebellionis traducerentur auctores inter Ethnicos, non tamen hoc loco excludere Ecclesiasticam jurisdictionem, quam 2. Cor. 13. Hebræ. 13. 1. ad Timoth. 5. ad Titum c. 2. explicatius ante alios Apostolus tradit. Imò dum dicit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita est*; primo jurisdictionem Spiritualem designat, quæ omni Regum & Principum potestate sæculari altior & sublimior est, uti supra relatum est. Et quis prudens existimare potest, dum Apostolus Ethnicis etiam Regibus obediendum docet, voluisse tum illos capita Ecclesiarum in suis regnis constituisse? itaque respectivè obedientiam commendat, & cum partitione accommoda, tam erga politicos, quam Ecclesiasticos Magistratus. Neque Apostolus sibi ipsi contradicere potuit, dum Act. 20. apud Lucam in actis Apostolorum dixit: *Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Par est ratio de S. Petri testimonio allato, nam dum dicit: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ*; intelligitur, de omni creaturâ potestatem habente. Quapropter explicatè S. Bernardus in Epist. 183. ad Conradum Imperatorem:

torem: *Legi*, inquit, *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*; *quam sententiam cupio vos custodire in exhibenda reverentia Petri Vicario, sicut ipsam vultis ab universo servari Imperio.*

Propius nunc accedamus ad ipsum Lutheranorum dogma, audiamusque quid Augustana confessio doceat; ea sic habet cap. VII. de potestate Ecclesiasticâ: *Sic autem sentiunt*, nostri videlicet Lutherani, *Potestatem Clavium seu potestatem Episcoporum, juxta Evangelium potestatem esse seu mandatum Dei, prædicandi Evangelium, remittendi & retinendi peccata, & administrandi Sacramenta: nam cum hoc mandato Christus mittit Apostolos, sicut me misit Pater, ita & ego mitto vos.* Hæc prima illorum professio: Potestatem à Christo datam vertere in mandatum, idque ad duo tantum restringere, Prædicationem verbi, & administrationem Sacramentorum. Quasi vero mandatum, quo Episcopi mittunt ad docendum Pastores & Sacerdotes, non sit actus jurisdictionis Spiritualis; aut quasi potestas Ordinis eadem sit cum potestate jurisdictionis externæ, de quâ hic agitur. Sed planius eadem confessio subjungit suam doctrinam: *Cum igitur de jurisdictione Episcoporum quæritur, discerni debet imperium ab Ecclesiasticâ jurisdictione: porro secundum Evangelium, seu ut loquuntur de jure divino, nulla jurisdictio competit Episcopis ut Episcopis.* Et tamen mox subjungit: *Episcopis competit cognoscere doctrinam, & doctrinam ab Evangelio dissentientem rejicere, & impios excludere à communione Ecclesiæ:* quasi vero judicare de falsâ doctrina, quod maximè in Concilijs fit, & deinde hæreticos atque impios excludere, & per anathemata ejicere è cœtu fidelium, non sit actus jurisdictionis externæ & Spiritualis; quæ duo nulli Cæsari aut Regi conveniunt ex politicâ potestate. Quam crassa & cœca hæresis Lutherana! jurisdictionē Episcoporū damnat, & simul asserit. Quæ Augustana confessio, eadem multis Apologia profitetur cap. postremo de potestate Ecclesiastica; quam non aliam asserant, quam potestatem quandam Ordinis apud se circa Ministerium verbi, & duorum Sacramentorum: Nam pœnitentia & remissio peccatorum ad quam etiam extendunt potestatem suam, non jam amplius Sacramentum est apud illos, sed annuntiatio tantùm remissorum per specialem fidem peccatorum: quanquam nec ipsa cœna in re ipsâ apud illos Sacramentum, cum Sacerdotes non sint ritè ordinati, cum potestate conficiendi Sacramentum illud. Matrimonium etsi verum & propriè dictum

Sacra-

Sacramentum sit, Lutherani tamen Sacramentorum numero excludunt. Igitur tota potestas relinquitur apud illos circa Baptismi Sacramentum, quod etiam mulier æquè validè administrat quàm Prædicans. Verbum Dei quòd docent, id ex nullâ potestate missionis administrant, cùm nec ordinariè nec extraordinariè missi sint: hinc non nisi corruptum etiam est verbum Dei; habetque mulier eandem potestatem: quia nullam habent prædicantes, nisi quam à Politico Magistratu aut Principe sæculari in speciem acceperunt. Ecce in quantas angustias contraxistis vestræ Ecclesiæ potestatem Ecclesiasticam, & quales populi impostores estis; qui omnia sacra & divina ex thesauro Ecclesiæ sustulistis, ut ex omnibus Sacramentis non nisi Baptismus integer sit relictus. Sed nunc ad propositam de potestate & jurisdictione quæstionem procedamus, ex quâ ea quæ diximus clariùs patebunt.

Dogma vestrum hoc est: *Secundùm Evangelium, seu jure divino, nulla jurisdictio competit Episcopis.* Ratio vestra hæc est: quia una est tantùm potestas & jurisdictio externa in Ecclesia, quæ solùm est penès Imperatorem, Reges & Principes sæculares, ergo nulla alia relinquitur penès Pontificem, aut Episcopos. Ita quoque Nisanium sentire clarum est: quia Primatum Ecclesiæ tribuit Carolo M., quem per consequens omnes ab eo Cæsares, Reges, Principes, & Politici Magistratus intrinsecè conjunctam habent in suis regnis & provincijs. Verùm hoc dogma quàm falsum sit;

Primò constat: Quia vel illam potestatem Ecclesiasticam habent intrinsecè conjunctam ex jure naturali, vel divino. Non jure naturali; quia hæc potestas est Spiritualis, ac supra naturam: quippe immediatè à Christo data, ut suprà assertum, & longè altioris est ordinis, quàm ut ex jure naturæ deduci possit, aut humanâ etiam dispositione conjungi cum potestate politicâ Principum. Non etiam ex jure divino; quia tale jus ex auctoritate divina, aut ex principio aliquo revelato probandum esset, quod nullibi extat: cùm omnia prorsus in contrarium huic dogmati repugnent. Obstat & finis utriusque potestatis, quando alia est beatitudo temporalis, alia supernaturalis hujus vitæ: Principum est curare ea, quæ ad temporalem beatitudinem; Sacerdotum quæ ad supernaturalem spectant. Ob quam causam in Ecclesia Christi Sacerdotium nunquam cum Regno conjunctum fuit. Neque etiam ex jure Canonico probari potest:

P P tum

tum quia jus Canonicum ex jure divino derivatur, eique se conformat; tum quia jus Canonicum, ut & Patrum judicia supra relata, huic Principum præsumptioni omnino repugnant.

II Constat: quia si potestas Spiritualis esset in sæcularibus Regibus & Principibus, tot essent in Ecclesia supremi Pontifices Spirituales, quot sunt sæculares Reges & Principes; quod sanè absurdum est: cum Ecclesia Christi sit unum corpus mysticum, sub uno capite, & Vicario Christi visibili, sub quo Episcopi, & cætera Hierarchiæ membra. Id quia in nulla alia heterodoxorum Ecclesia invenitur, ubi tot capita Ecclesię, quot Reges & Principes: hinc illa sectarum multitudo, religionum diversitas, & credendi libertas. Neque unquam generale Concilium in ijs convocari potest, quo per supremam aliquam potestatem ministri verbi Dei, & populus in unam fidei concordiam componatur.

III Constat: nam si suprema potestas Spiritualis est in Rege, aut Principe sæculari, ergo Reges Christiani si velint, possunt per se ipsos exercere omnes actiones proprias Episcoporum, Sacerdotum, aut ministrorum verbi Dei, quales sunt ordinare Sacerdotes, offerre sacrificium, administrare Sacramenta, absolvere à peccatis, publicè docere verbum Dei, excommunicare, ferre censuras, & omnia per se ipsos præstare, quæ ad cultum divinum spectant: quod non minus absurdum, quàm inauditum est, tam in Christi Ecclesia, quàm Synagoga Hebræorum. Deinde posset easdem actiones sacras exercere mulier in Ecclesia, cumprimis Reginæ & Principes fœminæ: cùm hæ capaces sint omnis potestatis, quam Reges & Principes viri habent: quod etsi multo absurdius sit, id tamen ex principijs vestræ religionis sequitur, & permisit Lutherus.

At dicunt, ac distinguunt: Potest Rex aut Princeps sæcularis exercere omnes actiones, quas jurisdictio Spiritualis, non quas potestas Ordinis requirit: quales sunt apud Lutheranos, docere verbum Dei, & Sacramenta administrare, ordinare Ministros verbi Dei, absolvere, sive renuntiare absolutionem à peccatis.

Contra est: Potest Rex aut Princeps per se exercere actiones jurisdictionis temporalis & Spiritualis, quas per Magistratus inferiores aut Ministros exercet: cur ergo non possit omnes etiam actiones per se exercere, quę potestas Ordinis requirit? quando tam Prędicantes eorum, quàm

quàm cæteri politici eorum Ministri sua agunt ex communicatâ Principum potestate.

Dicitis: indecens esse, ut Princeps reos plectat per se gladio; pari modo indecens esse, ut per se administret quæ potestatis sunt Ordinis: at non hîc quæritur quid indecorum sit, sed quid possit fieri: imò quomodo indecorum, quod divini est muneris? quando Regum & Principum filij apud nos Episcopi & Sacerdotes, hæc Ordinis sacra munia obire, honorificentissimum habent: quia illa, quæ Christus & Apostoli fecere, ex officio obeunt.

Et ratio à potiori urget hîc vos: quia Principes sæculares apud vos obeunt illa munia, quæ Episcopi ex potestate jurisdictionis habent apud nos: ergo & illa quæ Ordinis sunt, non erit indecorum obire per se; imò Episcopi hæc munia jurisdictionis exercent, quia potestas Ordinis in illis est per excellentiam: ergo si in uno Episcopi munus exercent per se in regendis Ecclesijs, in deputandis Ecclesiæ ministris, in præscribendis legibus sacris, & ordinandis cærimonijs, alijsque quæ jurisdictionis sunt Spiritualis: cur non in ijs etiam, quæ potestatis sunt Ordinis? cùm sæcularem hanc potestatem omnes in Ecclesia potestates consequantur, in eaque intrinsecè conjunctæ sint. *Non enim est potestas nisi à Deo, & quæ à Deo est, in solo Principe est,* ut dicitis.

Vel ergò hæc potestas ordinis est in Principe sæculari unà cum potestate jurisdictionis, vel non est: si est, ergo per se exercere potest. Si non est, unde ergò ad vos Prædicantes pervenit? sanè vel immediatè à Deo, quod ex nullâ Scripturâ, nec ullo Concilio, aut lege Ecclesiæ probabitis. Vel ergò mediatè per superioré aliquam potestatem, quæ vos ministros verbi Dei & Sacramentorum constituit: hoc autem à Principe sæculari aut Magistratu politico per deputationem Ministrorum, ad vos pervenit: ergò in illis est hæc potestas Ordinis: nam ordinationem, quæ ab Episcopis Catholicis fieri debet, reijcitis; & quæ per cærimonias in scenica ordinatione vestrâ fit, illa nihil aliud confert, quàm quod habetis à superiore potestate Politici Principis. Inde consistoria illa vestra Ministrorum verbi Dei, tàm dependent à supremo Principe sæculari, quàm Consistoria Ministrorum laicorum: utraque enim ab eo communicatam habent potestatem. Et si Regina aliqua regnum, aut Princeps mulier administret provinciam cum supremâ Regis & Principis potestate,

 cur

cur non etiam hæc omnia per se præstare poterit? Quis enim credat, inquit Suarez, fœminam posse esse caput Ecclesiæ, & non posse esse ministrum in ijs, quæ spectant ad cultum religionis & sanctificationem fidelium? Dicent: potestas Ordinis apud Lutheranos est in Prædicantibus, per ordinationem, quæ fit à Superintendente & Presbyterij præsentiâ, sed hoc ipso evertunt generalem suam assertionem, quod omnis potestas à Deo sit in Principe sæculari, nec alia extra illam sit, & per eam ordinata à Deo in ministros tam verbi Dei, quàm in laicos. Secundò, si hæc potestas ordinis est per ordinationem à Superintendente factam in conventu Presbyterij: Quomodo hæc apud vos Lutheranos sola est, ut non eodem jure sibi vindicent Calvinistæ à Calvino, Zwingliani à Zwinglio, alij ab alijs suæ religionis auctoribus? hîc labyrinthum denuo ingrederis, ex quo nullus se Prædicans expedivit. Tertiò. Quàm hæc eorum responsio falsa sit, ostensum est supra de successione Apostolicâ. Verè enim Cyprianus lib. 1. epist. 6. *Dicimus omnes omnino hæreticos & schismaticos nihil habere potestatis ac juris in Ecclesia Christi.* Quocunque te vertes, non nisi confusam apud vos Hierarchiam Ecclesiæ reperies, ex quo primùm ab Ecclesia Catholica recessistis: & quàm non confusa hæc in te ipso, qui scribis ministerij tui Lutherani potestatem accepisse te à Reformatæ religionis Principe.

IV. Ex vestris principijs sequitur, non modò apud Magistratus inferiores (maximè si liberarum imperij urbium, & immediati sint status,) sed etiam in ethnico Cæsare aut Rege, posse esse jurisdictionem Spiritualem. Ratio est: quia una tantùm est potestas apud vos à Deo data, quæ apud sæculares Principes residet. Atqui ethnici Cæsares & Reges tam perfectam habuerunt potestatem jurisdictionis, quàm Christiani Cæsares ac Reges; neque ex Scriptura probari potest, ad usum talis jurisdictionis magis necessarium esse Baptismum, quàm Episcopatum. Exempli causa: Constantinus M. priusquàm Christi fidem susciperet, habebat supremam potestatem temporalem: vel tum simul habebat jurisdictionem Spiritualem, & sic admittitur quod hîc inferimus, quod prorsus absurdum est: vel si Constantinus M. non habebat, profectò apud S. Sylvestrum Pontificem erat jurisdictio Spiritualis, & Sylvester post baptizatum Constantinum retinuit. Quis enim illam transmutationem & translationem, à Sylvestro in Constantinum effecit? aut quo verbo Dei id factum est,

ctum est, ut Constantinus per solum Baptismum ex ove factus sit Pastor, & Primatum Ecclesiæ obtinuerit, uti tu in Carolo M. fingis: quæ profectò incredibilia sunt. Igitur ut Constantinus M. solam temporalem potestatem habuit, ita transmisit ad posteros & consequentes Cæsares. Eadem est ratio in Regibus & cæteris Christianis Principibus. Nec sanè aliter credidit Carolus M, quod ex Epistola Hadriani Pontificis ad Carolum M. intelliges, quæ habetur tomo xx. Concil. Paris. ad finem Act. VII. Concilij Nicæni II. Ita enim Pontifex ad Carolum M. *Evangelium scientibus liquet, quod voce Dominicâ sancto & Apostolorum Principi Petro, claves regni cælorum, & totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippe dicitur: Petre amas me, pasce oves meas. Ipsi dicitur: Ecce Satanas expetivit cribrare vos sicut triticum, & ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Ipsi dicitur: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunq; ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlo, & quodcunq; solveris super terram, solutum erit & in cœlo. Ecce cura ei totius Ecclesiæ & Principatus committitur, & ipse vices suas vicarijs suis Pontificibus relinquere dinoscitur, Ecclesiæ curam gerendi.* Eadem docet Carolus lib. 5. Capitularium c. 163. multisque in locis de Episcoporum potestate, de quibus infrà agendum.

Quid in hanc rem aut clarius scribi potuit à Carolo? aut quid aliud à Carolo M. creditum est? quem supra toties adduxi, in Pontifice venerantem Vicarium Christi & successorem Petri, expressisque verbis ipsum Primatum Ecclesiæ Romanæ asserentem. Quid enim illud in Capitulis per Ingilramum acceptis, & à Carolo promulgatis c. 23? *Salvo in omnibus Romanæ Ecclesiæ Primatu.* Rursum: *Quoniam eadem sedes testante veritatis voce Primatum obtinuit.* Eadem habes lib. 7. Capitularium c. 341. Ubi nunc ille Primatus Ecclesiæ, quem Carolo M. attribuis? quem nec Carolus M. nec ullus ab eo Cæsarum, aut Regum Christianorum, aut Principum sibi vendicavit: aut orbis deliravit hactenus, aut Nifanius cum suis: qui eversa Hierarchia Ecclesiæ, omnem jurisdictionem sacram ad politicos Principes demum cum sua hæresi transtulit. Vastet, & exurat barbarus hostis totam Saxoniam, non tantùm damni inferet, quantum hæresis intulit, sublatâ potestate Ordinis & jurisdictionis Spiritualis,

illa enim fortunarum sunt damna, hæc animarum: nec reparabilia, nisi reditu ad veram Ecclesiam. Non hæc mea sunt argumenta, sed Catholicorum Theologorum, apud quos explicatiùs hæc legere poteris, qui tantam Scriptorum turbam nobis ubique obtrudis.

CAPVT XVI.

De distinctione Episcopi et Presbyteri; ac primùm, an Episcopus jure divino major sit Presbytero?

HAnc controversiam hîc multis movet Nisanius, asseritque Episcopum & Presbyterum, jure divino eâdem potestate Ordinis & jurisdictionis præditum esse. *Quanam autem hac in re Caroli M. fuerit sententia*, inquit, *non satis liquere. Nullum tamen dubium esse, quin cum Doctoribus sui sæculi senserit, quos nullum discrimen* ait *fecisse, inter Episcopum & Presbyterum.* Sed quàm falsò hæc scribat ac doceat cum suis, paucis ordine exponemus.

Nam I. falsam & hæreticam esse hanc Lutheranorum doctrinam, vel ex eo satis constat, quòd hæc eadem fuerit hæresis Aërij asserentis, nihil inter Episcopum & Presbyterum interesse, uti id referunt Epiphanius hæresi 75. & Augustinus lib. de hæresibus c. 53. quæ doctrina, cùm damnata tum fuerit inter hæreses, satis hoc ad falsitatem Nisanij demonstrandam esse potest. Post Aërium hæreticum, qui hanc doctrinam primùm invexit, teste Epiphanio, ut se ipsum consolaretur, quod Episcopus factus non esset, amplexus est Wiclefus hæresiarcha teste Thoma Waldensi lib. 2. art. 3. c. 60. & post illum Lutherani & Calvinistæ: nec alia magis ex causa, quàm quod nullos Episcopos nacti sint, qui cum illis defecerint, & novas illas hæreses probarent; seu quod nullos in Ecclesia sua Episcopos haberent, ad quos successionem quæ in potestate Ordinis & jurisdictionis consistit, referrent. Itaque novam Ecclesiam sine Episcopis, ex solis Presbyteris commenti sunt.

II. Igi-

II. Igitur Episcopum Presbytero tam potestate Ordinis, quàm jurisdictione majorem esse; idque jure etiam divino convenire Episcopo, definitum est in Concilio Tridentino Sess.23. c.4. idque ex ordinatione divinâ assertum. Hinc can.6.&.7. *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, anathema sit.* Multis hanc doctrinam Catholicam probat Bellarm.lib.1.de Clericis c.14.cæterique Doctores ac Theologi apud Magistrum distin.24.cum S.Thoma in 22.q.184.art.6. Sanè quod ad primum attinet de potestate Ordinis, res evidens est, non modo ex damnatione Aërij, sed communi SS. Patrum consensu: idque ex eo Patres asserunt, quòd solius Episcopi sit ordinare Presbyteros & Sacerdotes: ita enim Epiphanius hæresi 75.adversus hanc Aërij hæresin, quam furorem appellat: *Dicere ipsum Episcopum & Presbyterum æqualem esse, quomodo erit possibile? Episcoporum enim ordo, Patrum generator est: Patres enim generat Ecclesiæ: Presbyterorum autem ordo non potens generare Patres, per lavacri generationem, generat filios Ecclesiæ.* Idem in Concilio Antiocheno c.10. & Ancirano c.12. præscribitur, idem Damasus Pont. in Epist.3. idem Chrysostomus, Theodoretus, Theophilactus, Oecumen. in c.4. & 5. primæ ad Timoth. docuit. Expressè Hieron. Epistola 85. ad Evagrium: *Quid facit Episcopus exceptâ Ordinatione, quod Presbyter non faciat?* Ambrosius 3. in 3. c. ad Timoth. *Vterque Sacerdos,* inquit, Episcopus videlicet & Presbyter, *sed Episcopus primus est, ut omnis Episcopus Presbyter sit, non tamen omnis Presbyter Episcopus.* Unde quemadmodum Episcopus ordinet, ostendit: neque enim fas erat, ut inferior ordinaret majorem, nemo enim tribuit, quod non accepit. Idem, si cætera etiam deficerent, Traditio, & consuetudo Ecclesiæ evincit: inauditum enim à Presbyteris ordinari Presbyteros, ac Sacerdotes, aut Diaconos, nedum Episcopos. Hinc ordinatio à Chorepiscopis irrita semper habita, uti Damasus Papa Epist.3.de Chorepiscopis: *Vacuum & inane est, quicquid in prædicto Sacerdotis summi egerunt ministerio.* Agit verò de Chorepiscopis, qui Episcopi non erant consecrati. Nam quidam etiam veri Episcopi erant ordinati: haud secùs, quàm nunc titulares & Suffraganei Episcopi, & hi verè ordinant: quia veri Episcopi consecrati sunt. Postremùm cum ordinatio Sacramentum sit, ut Calvinus admisit, & Sacramenta omnia à Deo sint instituta, sequitur qui major est Ordinis potestate per Sacramentum collatâ, hunc quoque majorem esse divinâ institutione. Sed

Sed his omissis, quæ enucleatè pertractata sunt ab innumeris scriptoribus, ad Carolum M. accedamus. Hunc autem Episcopum Presbytero majorem credidisse, triplici argumentorum genere probo.

I. Sub Carolo M. & majoribus ejus, Episcopi non aliter quàm à tribus vel duobus Episcopis ordinati sunt, nunquam à Presbyteris vel Presbytero assistente. Ita enim præscribit Gregorius III. Epistolâ ad S. Bonifacium. *Quoties Episcopum consecraveris, duo vel tres conveniant tecum Episcopi*, tom. 17. Concil. Parisiens. Zacharias quoque Papa Epist. ad Bonifacium. *Si quos reperiat pseudosacerdotes, erroneos, simulatores sub nomine Episcoporum vel Presbyterorum, qui nunquam ab Episcopis Catholicis fuerunt ordinati, hos inter Satanæ ministros haberi & tractari jubet*, tom. 17. Concil. Paris. can. 9. epist. in Epitome Canonum ab Hadriano ad Carolum M. missa can. 1. sancitur: *Episcopus à duobus vel tribus ordinetur.* Rursum can. 2. *Presbyter & reliqui Clerici ab uno Episcopo ordinentur.* lib. 7. Capitularium 674. *Si necessitas fuerit; tres Episcopi, in quocunque loco sint, Archiepiscopi præcepto ordinare possunt Episcopum.* Prorsus hæc ex Caroli M. ætate vides, uti ordinatio Episcopi ab Apostolis in Canonibus, & Concilio Nicæno præscripta & inde toto orbe Christiano observata erat. Ad hunc modum in Concilio Francofurtensi can. 10. Gerbodus ab Episcopatu dejectus, quod nec Presbyter Canonicè ordinatus esset, nec deinde testes proferre posset ordinationis suæ in Episcopum. Rursus can. 22. sancitum: *ne Episcopi in villis aut vicis ordinentur*, in quibus tamen locis, non alij quàm Presbyteri ordinati constitutique erant Pastores.

Inter Capitula Ecclesiastica Caroli M. capite 3. tom. 20. Concil. Paris. lex lata de servis Dei, quibus castra sequi & cum exercitu in hostem ire concessum, idque illis tantummodo permissum: *Qui propter divinum ministerium, Missarum scilicet solemnia adimplenda, & Sanctorum patrocinia portanda ad hoc electi sunt, id est unum vel duos Episcopos, cum Capellanis Presbyteris Princeps secum habeat, & unusquisque præfectus unum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus judicare & indicare pœnitentiam possit.* Id quod jam ante sub Carolomanno à D. Bonifacio statutum quoque erat, refertùrque etiam lib. 7. Capitularium c. 91. Quàm autem hic manifesta distinctio Episcopi & Presbyteri, quando Presbyteri etiam inter Episcopi Capellanos recensentur.

II. Epi-

II. Episcopi & Presbyteri distinctio manifesta est, ex ijs quæ de Chorepiscopis à Leone Pontifice consulto rescripta sunt ad Carolum M, & à Carolo M. pòst novâ lege sancita titul. 4. cap. 2. habenturque tom. 20. Concil. Paris. inter Caroli M. Capitula Ecclesiastica, & lib. etiam 7. Capitularium cap. 328. in hæc verba: *Placuit, sicut Leonis Papæ & omnium Episcoporum nostrorum, ac reliquorum fidelium generali & Synodali consultu decrevimus, ut nullus Chorepiscopus per manus impositionem Spiritum tradere, aut Sacerdotes vel Levitas, aut Subdiaconos sacrare, vel virgines velare, aut sanctum Chrisma conficere, vel Ecclesias aut altaria sacrare, aut benedictionem in publica Missa populis tribuere præsumat. Quæ omnia summis Pontificibus, id est, Cathedralibus Episcopis debentur, & non Chorepiscopis, vel Presbyteris; quorum formam juxta sanctorum Canonum decreta Chorepiscopi gerunt: si autem aliquid ex his agere tentaverint, irrita erunt, quæ ab ijs geruntur, & ipsi omni Ecclesiastico honore funditus priventur.* Ita Carolus, uti hæc pluribus à Leone Pontifice in responso ad Carolum M. tit. 401. decernuntur. Dicti autem Chorepiscopi non à Choro sed χωρὰ quod & locum & regionem significat: *inde villani Episcopi inter Presbyteros statuti* à Leone nominantur. Eadem repetit Carolus capit. 329. Multa de his Carolus in Capitularium libris. Habes hîc duo cumprimis, munus Episcopi, & distinctionem Episcopi ac Presbyteri, ac ni cæcus sis, vides, quàm vestra Lutherana Ecclesia in arena sit posita, & à Caroli religione remota; quæ cum Luthero nullum Episcopum sortita est, à quo Presbyteri & Sacerdotes, ordinari potuerint. Idem est de Calvinistarum aliorumque hæreticorum Ecclesijs. Quantâ proinde fraude populum circumagatis, necesse est, qui in divinissima illa munia Episcoporum vos obtruditis, cùm ne Presbyteri quidem & Sacerdotes sitis; quales tamen Chorepiscopi erant, & vicariâ etiam fortè jurisdictione Episcoporum donati erant per villas & oppida, qualem Archidiaconi, Decani rurales, & commissarij Episcoporum nunc communicatam habent: ut vel inde per errorem & sacrilegam temeritatem, cætera Episcopi munia sumpserint. Sanè Lutherus, eo quod privatus monachus esset, nulla etiam hujusmodi jurisdictione præditus: ac tantum abfuit, ut pro sublimi Episcopi munere & potestate, Presbyteros aut Sacerdotes consecrare ordinareque per Ecclesias potuerit. Hinc licet cætera Episcopi munia in consecrando Chrismate, in confirmationis Sacramento populo

Sed his omissis, quæ enucleatè pertractata sunt ab innumeris scriptoribus, ad Carolum M. accedamus. Hunc autem Episcopum Presbytero majorem credidisse, triplici argumentorum genere probo.

I. Sub Carolo M. & majoribus ejus, Episcopi non aliter quàm à tribus vel duobus Episcopis ordinati sunt, nunquam à Presbyteris vel Presbytero assistente. Ita enim præscribit Gregorius III. Epistolâ ad S. Bonifacium. *Quoties Episcopum consecraveris, duo vel tres conveniant tecum Episcopi*, tom. 17. Concil. Parisiens. Zacharias quoque Papa Epist. ad Bonifacium. *Si quos reperiat pseudosacerdotes, erroneos, simulatores sub nomine Episcoporum vel Presbyterorum, qui nunquam ab Episcopis Catholicis fuerunt ordinati, hos inter Satanæ ministros haberi & tractari jubet*, tom. 17. Concil. Paris. can. 9. epist. in Epitome Canonum ab Hadriano ad Carolum M. missa can. 1. sancitur: *Episcopus à duobus vel tribus ordinetur.* Rursum can. 2. *Presbyter & reliqui Clerici ab uno Episcopo ordinentur.* lib. 7. Capitularium 674. *Si necessitas fuerit; tres Episcopi, in quocunque loco sint, Archiepiscopi præcepto ordinare possunt Episcopum.* Prorsus hæc ex Caroli M. ætate vides, uti ordinatio Episcopi ab Apostolis in Canonibus, & Concilio Nicæno præscripta & inde toto orbe Christiano observata erat. Ad hunc modum in Concilio Francofurtensi can. 10. Gerbodus ab Episcopatu dejectus, quod nec Presbyter Canonicè ordinatus esset, nec deinde testes proferre posset ordinationis suæ in Episcopum. Rursus can. 22. sancitum: *ne Episcopi in villis aut vicis ordinentur*, in quibus tamen locis, non alij quàm Presbyteri ordinati constitutique erant Pastores.

Inter Capitula Ecclesiastica Caroli M. capite 3. tom 20. Concil. Paris. lex lata de servis Dei, quibus castra sequi & cum exercitu in hostem ire concessum, idque illis tantummodo permissum: *Qui propter divinum ministerium, Missarum scilicet solemnia adimplenda, & Sanctorum patrocinia portanda ad hoc electi sunt, id est unum vel duos Episcopos, cum Capellanis Presbyteris Princeps secum habeat, & unusquisque præfectus unum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus judicare & indicare pœnitentiam possit.* Id quod jam ante sub Carolomanno à D. Bonifacio statutum quoque erat, referturque etiam lib. 7. Capitularium c. 91. Quàm autem hic manifesta distinctio Episcopi & Presbyteri, quando Presbyteri etiam inter Episcopi Capellanos recensentur.

II. Epi-

II. Episcopi & Presbyteri distinctio manifesta est, ex ijs quæ de Chorepiscopis à Leone Pontifice consulto rescripta sunt ad Carolum M, & à Carolo M. pòst novâ lege sancita titul. 4. cap. 2. habenturque tom. 20. Concil. Paris. inter Caroli M. Capitula Ecclesiastica, & lib. etiam 7. Capitularium cap. 328. in hæc verba: *Placuit, sicut Leonis Papæ & omnium Episcoporum nostrorum, ac reliquorum fidelium generali & Synodali consultu decrevimus, ut nullus Chorepiscopus per manus impositionem Spiritum tradere, aut Sacerdotes vel Levitas, aut Subdiaconos sacrare, vel virgines velare, aut sanctum Chrisma conficere, vel Ecclesias aut altaria sacrare, aut benedictionem in publica Missa populis tribuere præsumat. Quæ omnia summis Pontificibus, id est, Cathedralibus Episcopis debentur, & non Chorepiscopis, vel Presbyteris; quorum formam juxta sanctorum Canonum decreta Chorepiscopi gerunt: si autem aliquid ex his agere tentaverint, irrita erunt, quæ ab ijs geruntur, & ipsi omni Ecclesiastico honore funditus priventur.* Ita Carolus, uti hæc pluribus à Leone Pontifice in responso ad Carolum M. tit. 401. decernuntur. Dicti autem Chorepiscopi non à Choro sed χωρα quod & locum & regionem significat: *inde villani Episcopi inter Presbyteros statuti* à Leone nominantur. Eadem repetit Carolus capit. 329. Multa de his Carolus in Capitularium libris. Habes hîc duo cumprimis, munus Episcopi, & distinctionem Episcopi ac Presbyteri, ac ni cæcus sis, vides, quàm vestra Lutherana Ecclesia in arena sit posita, & à Caroli religione remota; quæ cum Luthero nullum Episcopum sortita est, à quo Presbyteri & Sacerdotes, ordinari potuerint. Idem est de Calvinistarum aliorumque hæreticorum Ecclesijs. Quantâ proinde fraude populum circumagatis, necesse est, qui in divinissima illa munia Episcoporum vos obtruditis, cùm ne Presbyteri quidem & Sacerdotes sitis; quales tamen Chorepiscopi erant, & vicariâ etiam fortè jurisdictione Episcoporum donati erant per villas & oppida, qualem Archidiaconi, Decani rurales, & commissarij Episcoporum nunc communicatam habent: ut vel inde per errorem & sacrilegam temeritatem, cætera Episcopi munia sumpserint. Sanè Lutherus, eo quod privatus monachus esset, nulla etiam hujusmodi jurisdictione præditus: ac tantum abfuit, ut pro sublimi Episcopi munere & potestate, Presbyteros aut Sacerdotes consecrare ordinareque per Ecclesias potuerit. Hinc licet cætera Episcopi munia in consecrando Chrismate, in confirmationis Sacramento populo

administrando, in consecrandis templis & altaribus abrogarit: quia tamen Ecclesiam, sine ministris sacrorum constituere non poterat; larvam hanc ministrorum sub nomine Presbyterorum introduxit, paresque Episcopis confinxit: Carolus verò M. sapientissimus Rex & Imperator, nihil hac in re egit sine Episcoporum sententia prius audita, nihil sine Apostolicæ sedis auctoritate accepta: & nihil Apostolica sedes decrevit, quod non ex verbo Dei scripto & tradito, per successionem à majoribus ex Petri Ecclesia acceperat. Quanto nunc consultius & certius nos Catholicæ Ecclesiæ salutem populi committimus, quam vos Lutherani, quorum tota Sacerdotalis potestas & Ecclesia, arundini, à ventis agitatæ subnixa est.

III. Id discrimen inter Episcopos, & Presbyteros ostenditur, ex rebus gestis factisque Caroli M. Quippe Sapientissimus Rex, cùm per Saxoniam nostram Christi Ecclesiam per Archiepiscopos & Legatos Apostolicæ sedis ordinaret, nec Episcopos haberet idoneos, quos primis Episcoporum sedibus imponeret: primùm Presbyteris & Sacerdotibus, virisque Apostolicis commisit; ita D. Willehadum per septem annos Bremensi Ecclesiæ; ita Bernardum Abbatem Monasteriensi, eoque defuncto D. Ludgerum, qui deinde XII annos jurisdictione Spirituali tantummodo rexit Ecclesiam; ita Ansgarium Hamburgensi Ecclesiæ; ita alios alijs locis præfecit. Pòst ubi religio devictis barbaris firmata erat, omnes primos Saxoniæ præsules, Episcopos consecrari voluit; uti id in historia Caroli M, ac rebus per Saxoniam ab eo gestis pluribus enarravimus. Inde D. Ludgerus ab Hildebaldo Coloniensi Archiepiscopo, Wiho, Willehadus, alijque ab alijs Episcopis consecrati, & inuncti Episcopi. Inde lex illa Carolina lib. 1. Capitularium c. 136. *Episcoporum ordinationem non oportet diu differre.* Quorsum nunc illa Episcoporum ordinatio, si Episcopus & Presbyter idem sint, & in eodem gradu consistant? sanè omnes illi jam ante recensiti Presbyteri erant & Sacerdotes, ac viri etiam Apostolici multis laboribus perfuncti, clariquе etiam miraculis, & tamen necesse erat Episcopos ordinari, crescente indies & firmatâ per Saxoniam Ecclesiâ, ad Sacerdotes initiandos, imponendosque populo Pastores; ad templa, & altaria consecranda, & alia Episcoporum munia: sine quibus nec religio propagari, nec Ecclesia ritè fundari poterat.

Hunc

Hunc in modum accidit, postquam XII Apostolici viri, quos inter principes Divi Willibrordus & Suibertus, ex Anglia advenerunt Ultrajectum, Pipino Heristallo, & Carolo Martello Principe, avo Caroli M, magna se messis per Frisiam aperuisset Evangelio, quo in successu operis sacri nihil sollicitius habuerunt, quàm ut D. Willibrordus Romam contenderet consecrandus Episcopus, & Suibertus eodem consilio in Angliam remearet, ex quâ Episcopus consecratus redijt; jam omnes illi, uno excepto, Presbyteri, & Sacerdotes erant: Et quid hac profectione & consecratione opus, si Episcopus & Presbyter in eodem gradu sint Ordinis? Ita D. Bonifacius post imensos labores per Hassiam, Thuringiam & Germaniam, Presbyter, Romam demum profectus, à Gregorio Pontifice Episcopus consecratus est: ac deinde ampliante se inter barbaros Christi religione, jussus à sede Apostolicâ alios Episcopos consecrare; quos inter D. Burchardus primus Herbipolensis, primusque vicario munere Paderbornensis Episcopus, uti hæc multis exponit Othlon & Serrarius in vita D. Bonifacij. Quorsum, inquam, hæc tam impensè curata provisaque? nisi quia idem omnium sæculorum sensus fuit. Quò Cyprianus scripsit, Epistola 69. *Scire debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo, & si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse; & frustra sibi blandiri eos, qui partem cum Sacerdotibus Dei non habent.*

Obijcit 1. Nifanius, Episcopi nomen olim commune fuit Presbyteris cum Episcopis: quam in rem, omissis Scripturæ locis, quæ ab alijs adferuntur, adducit Vasquez, Alfonsum à Castro, Alcuinum, Oecumenium aliosque. ℞. non tanto Scriptorum numero opus erat; ultrò id cum Chrysostomo etiam largiamur: quando interim res ipsæ & potestates distinctæ erant, ut vel ex solo Hieronymi dicto cognoscas: *Quid facit Episcopus exceptâ Ordinatione, quod non facit Presbyter?* Ac rectè etiam Azorius p.2. lib.3. c.17. *Apostolorum temporibus passim Presbyteri qui in civitatibus continebantur, simul quoque erant Episcopi, ut adessent, qui omnia Sacramenta conferre possent*, uti in Ordinationibus veterum & SS. Pontificum sæpè totidem Episcopos, quot Presbyteros, ac subinde plures etiam ordinatos legimus. Nomen præterea Episcopi commune fuit, seu quòd primus Presbyterorum in Episcopum legeretur, seu quòd Presbyteri amplissimâ jurisdictione præditi erant. Sed hac super re lege Bel-

 larm.

larm. lib. 1. de Cler. c. 15. Erbermannum lib. 3. de Cler. c. 4. Forerum & alios. Trita enim non vacat hic repetere.

Verùm his non opus, cùm ipse Nisanius se ipsum refellat: scribit enim: *Constitutiones suarum Ecclesiarum, electionem ministrorum suorum, tribuere statibus Hierarchicis, ordinationem verò Superintendenti & Presbyterorum præsentiæ.* Hinc licet omnes Lutherani Ministri communi nomine Presbyteri sint, ordinationem tamen Superintendenti & Episcopo tribui ab alijs, asserit. Quid hoc aliud est, quàm redire ad Catholicorum doctrinam? Sed *alij*, inquit, *hoc tribuunt Superintendenti*: ergo per constitutiones Ecclesiæ vestræ nihil adhuc est certi. Enimvero quàm fluctuaris & lubricus es in tuâ navi? dic tandem aliquid finitè, si tibi tuisq; Vertumnis confidas. Catholicam sententiam damnatis, & ex vestrâ nihil certi audetis proferre. Quid hoc aliud est, quàm scepticum Philosophum, ac semper dubitantem agere, & populum circumducere ludibrio?

Objicit 2. *Carolus M. quidem ordinariè Episcopis reliquit potestatem ordinandi, nullibi tamen Presbyterorum Ordinationem irritam esse dixit.* Quid hic ais Nisani? nonne satis audivisti, quam irritam pronuntiarit Carolus M. Chorepiscoporum ordinationem, quod soli Presbyteri essent, & non ordinati Episcopi? scribis tam audacter, quàm imperitus es Caroli M. constitutionum.

Urget: Nicolaus I. Pontifex Epist. ad Rudolphum Archiepiscopum Bituricensem scribit: *Chorepiscoporum consecrationes non esse iterandas, quòd ad formam septuaginta discipulorum facti sint, quos quis dubitet Episcoporum habuisse officia?* Jam respondi, Chorepiscopos alios fuisse ritè ordinatos Episcopos, uti Titulares & Suffraganei sunt Episcopi nostri, quod & lib. 5. Capitularium cap. 169. indicat Carolus: alios intra gradum Presbyterorum constitisse, quo in gradu passim in Capitularium libris signantur, quorum Ordinatio irrita erat: tametsi illis alia quædam minora Episcoporum officia, ut consecrationes sacrorum vasorum ac vestium, aliaque committi concedique potuerint. Et vero dum ad formam 70. discipulorum institutos dicit, intra Presbyterorum Ordinem reponit, & Episcopis minores facit, qui Apostolis succedunt; & hoc ipso, jure divino Episcopi majores agnoscuntur Presbyteris.

Objicit 3. & inquit: *Intolerabile prorsus est asserere, quod ad successionem*

sionem Apostolicam requiratur ordinatio facta ab Episcopo, qui in fidei professione faciat cum Romanâ Ecclesiâ: proferatur vel unus apex Scripturæ, quo hoc monopolij jus roboretur. Hæc stolida & stupida tua jactantia est. An tu nescis olim in ordinatione Sacerdotum moris fuisse, rogare ab ordinando, an Catholicus esset?ne quis hæreticus cum Catholicis ordinaretur. Quod & Hussitæ fecerunt: nondum enim tam perversi hi tum erant hæretici, quàm vos modò estis, qui sine ordinatione Episcopi, docetis posse veros Presbyteros & Sacerdotes esse. Romana verò & Catholica Ecclesia una est; eo, ut supra retuli, modo.

Non etiam Monopolium hoc est, sed Hierarchia Catholicæ Ecclesiæ, quæ ex ordinatione divinâ constat Episcopis, Presbyteris, & cæteris Ecclesiæ ministris: ut rectè definitum in Concilio Tridentino diximus. Inter Episcopos verò unus est successor Petri, & Episcopus omnium Episcoporum, ut suprà toties assertum. Jam verò tot Scripturæ sunt apices hac super re, quot testimonia Scripturæ de Primatu Petri, & Episcoporum potestate, ordinandi, regendique Ecclesiam Dei. Quæ si non vides, inter Prædicantum *talpas* censeri poteris. Contrà optarem ego scire, quinam apud vos Lutheranos *sint status Hierarchici*, à quibus scribis electionem ministrorum fieri? Quis Scripturæ apex extat de hoc vestro Hierarchico statu? uti supra expendimus; in quo non Monarchiæ, non Hierarchiæ species, sed mera ataxia, & anarchia conspicitur. Sanè si electio ministrorum apud vos, ut dicitis, fiat à populo & Magistratu civili; atque illi Hierarchico statui inducuntur: consequens est, non tantùm politicos Principes, sed & Consules, Senatores, mercatores, textores, & omne opificum genus, statum vestrum Hierarchicum ingredi. Viden', in quam non anarchiam & absurditatem vos hæresis vestra abducat? quanta verò Hierarchiæ majestas in Catholica Ecclesia, in quâ sub Pontifice & Vicario Christi, Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, & sub his Prælati Ecclesiæ, Presbyteri ac Sacerdotes, Diaconi seu Levitæ, Subdiaconi, cæterique inferiores Ministri: ex his nemo est, qui non sacris initiatus: ut vel inde Hierarchiam ex ipso nomine agnoscas, si modò Græcam linguam intelligas.

Objicit 4. Episcopi nomen, quod cum Græcum sit, Hieronymus vertit in Superintendentis nomen; ita enim ille Epistolâ ad Evagrium: *Episcopi nomen significantius Græcè dicitur, nam ἐπισκοποῦντες, id est, Superin-*

 perin-

perintendentes, unde Episcopi nomen tractum est. Addo ego Augustinum lib.19.de Civit.Dei,c 19.*Gracum enim*,inquit ille,*vocabulum,quod ille qui praficitur,eis, quibus praficitur,superintendit,curam eorum gerens.* ℞. Episcopi nomen esse Græcum, & apud Ethnicos veteres fuisse nomen magistratus; cujus erat panis, & cæterarum rerum, quæ ad annonam spectant,curam habere: ut constat ex L. Munerum ff. de muneribus & honoribus. Hinc Cicero ad Atticum: *vult me Pompejus esse, quem tota hic maritima ora habeat ἐπίσκοπον.* Hinc Augustinus, ut habetur c. *Qui Episcopatum. Episcopi nomen est operis non honoris:* ut nominis etymologiam significaret, ab officio & curâ deducit. Igitur nomen Episcopi à profano Magistratu,ad sacros Ecclesiæ Præsules translatum est,quod eorum muneris sit, commissi gregis mores & vitam, inspicere & moderari. Unde c.*Clericus*,dist.21.*Speculator* dicitur: quin Psalmo 108.uti Latina & vulgata versio habet, *Episcopatum ejus accipiat alter*,inHebræo est, Pekuda, quod præfecturam significat, Pekudatho ikkach acher: idque S.Petrus Act.1.ad Judam retulit, in cujus locum successit Matthias. Itaque Episcopi nomen non modò officij & unctionis, sed utriusque potestatis est nomen, Ordinis videlicet & jurisdictionis sacræ: quemadmodum id in Apostolis fuit. Nec dubium cuiquam esse potest, ejusmodi nomina imponere, penès Ecclesiam esse; uti ex innumeris alijs nominibus constat: quæ illa ex profano usu vocis ad sacrum transtulit. His positis, etsi Superintendentis sive superattendentis nomen, quo nunc promiscuè Novatores gloriantur, Episcopi munus ex parte significare possit, Ecclesia tamen Episcopi nomen, constanti sæculorum usu retinuit, nec ex aliâ significatione, quàm ex potestate Ordinis & jurisdictionis, quâ majores Sacerdotes designantur, uti Apostolus ad Hebræ. c.7. Minores à majoribus benedictionem accipere dixit. *Sine ulla autem contradictione, quod minus est, à meliore benedicitur:* in Græco est κρείττων, id est melior, major, ac dignior. Testatur id Scriptura, Patrum scripta, & Concilia omnia Oecumenica, à Nicæno ad Tridentinum, cæteraque nationalia, & provincialia, in quibus nemo Superintendentis nomine, sed Episcopi subscripsit. Unde nunc ista insania vestra, abrogato Episcopi nomine Superintendentis introducere? nisi quia Episcopos non habetis, cum potestate Ordinis & jurisdictionis; aut quia Lutherus auctor vestræ religionis

gionis Episcopus consecratus nunquam fuit, ut fateri vos necesse est; aut quia vel ipsum nomen Ecclesiam vestram destruit: nam Cypriano teste, *Episcopus est in Ecclesia, & Ecclesia in Episcopo.* Sanè si *Ecclesia non est, quæ Sacerdotes non habet*, judice Hieronymo; Ecclesia non erit, quæ Episcopos & majores Sacerdotes non habet. Hic si ad Carolum M. appelles, quo totus tuus liber spectat, quid aliud quàm Episcopos legis in Synodis Carolinis, Capitularium libris, & constitutionibus, ipsisque Caroli literis ac monumentis omnibus? vel in solis Capitularium libris, centies & septuagies Episcopi nomen leges, nullibi Superintendentis nomen.

Obijcis 5. Nomen Superintendentis, quo te jactas, teste Hieronymo, quia Latinum est, significantius esse, falleris: usu tot sæculorum, Episcopi nomen significantius est; nec ante hæresin vestram cognitum, auditumque in populo, & ab Hieronymo & Augustino, nonnisi explicationis gratiâ, est allatum, non ut Episcopi nomen abrogarent. Nec unquam D. Augustinus se Superintendentem scripsit, aut subscripsit in Concilijs Africanis. Sed & Presbyteri nomen Græcum est, quod Seniorem significat; cur illud toleratis, aut non mutatis in Latinum nomen Senioris? Verùm quia id Sacerdotem non ita apertè significat, integrum relinquitis, perosi Sacerdotis nomen. Nam propriè dictos Sacerdotes vos non esse, jam antè confessus es. Imò cur Episcopi nomen in Dania & Suecia primarij vestri Ministrorum retinent, & in Saxonia ferre non potestis? nec tamen ita abrogare licuit, quin Politici Principes cum Episcopatibus à se occupatis diu retinuerint. Cur Diaconi nomen, quod Græcum est, retinetis, & Subdiaconi quod pari antiquitate nominis valet, abijcitis? Verbo, ut absolvã, Novatores estis, qui ut res sacras omnes, ita & nomina invertitis: ideò priscis hæreticis acceditis, quibus ab αἱρέω, quod Latinè est eligo, datum est nomen: eo quod rejectis antiquis, nova semper pro ingenio hæresis elegerint: quâ tamen in re non tam insani fuere Ariani, Donatistæ, cæterique veteres hæretici, qui Episcopi & Sacerdotum gloriosa nomina, nunquam ausi sunt tollere ex Ecclesijs suis: unde in Concilijs suis Episcopi, non Superintendentis nomine subscripserunt.

Ingeris postremùm Lutherum: *Etsi is*, inquis, *non fuerit Episcopus, nec potestatem habuerit ab Ecclesia Romana, habuit tamen ab Ecclesia Catholica,*

tholica, cujus civis fuit. Non hic repetam, quod suprà ostendi, Ecclesiam Romanam & Catholicam esse eandem; tantum quæro, quam potestatem habuerit? sanè Episcopi non habuit, cùm nunquam Episcopus consecratus fuerit; proinde nec ordinare Sacerdotes potuit, nec Ecclesiam regere: *Spiritus* enim *Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* Act.20.

At civis fuit Ecclesiæ Catholicæ: quasi verò omnis civis Reipub. Christianæ, sit Episcopus & Presbyter, cum potestate Ordinis & jurisdictionis. Hæc Lutheri est insania asserentis, omnes nasci Sacerdotes, etiam mulieres: credo quia impropriè sunt Sacerdotes, offerendo preces, laudes, & dona ad altare.

Pergis, & dicis: *esto non habuerit Lutherus potestatem ex intentione ordinantis Episcopi, habuit tamen à Deo juxta intentionem Scripturæ, sicut Christus, præter intentionem Pilati, vocatus est Rex Judæorum.* Nugæ sunt prædicanticæ: quasi verò materialis Scriptura ex cerebro Prædicantum explicata, faciat Episcopos & Sacerdotes, idque sine ministerio hominum, & communicata per Episcopos potestate Ordinis & jurisdictionis. Christum fuisse regem, constat ex Scriptura: At Lutherum fuisse Episcopum, quæ obsecro Scriptura id dicit? Ideo Pilatus rectius pronunciavit de Christo, quàm Nisanius de Luthero. Hoc argumentum si valeat, eodem jure Calvinus, Zwinglius, Menno, cæterique hæresiarchæ summam in Ecclesia sibi potestatem Ordinis & jurisdictionis vendicare poterunt. Quam hîc januam aperis omni hæresi in Ecclesiam! Hoc commentitio jure etiam Labbadæus sibi potestatem docendi, haud secus, quàm Nisanius, vendicare poterit.

Postremùm dicis: *Lutherus fuit Doctor Academicus, cujus gradûs auctoritate licuit illi universum orbem docere:* Hîc denuo deliras: si enim solus gradus Doctoris dat hanc potestatem ubique docendi, quid ergo facit missio? *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Rom. 10. Nec aliter Apostoli docendi munus suscepere Matth. 10. & 28. Marc.16. Interim largiamur tibi, quod prætendis. Fuit sanè Lutherus ritè ordinatus Sacerdos, à Catholico Episcopo; accepit quoque potestatem docendi è Cathedra Scholæ: verùm juxta professionem fidei, & doctrinam Catholicæ Ecclesiæ, quàm jurarat. At Lutherus postquam contra juramentum cœpit hæreses, & dogmata fidei Catholicæ contraria docere, per-

jurus

jurus fuit, neque hanc potestatem docendi ex gradu Doctoris habuit, minus certè potestatem Episcopalem Ordinis & jurisdictionis, de qua hic agitur, cum eam nec ordinariâ, nec extraordinariâ viâ probare possit, nec magis ostendere, quàm Calvinus, aut Zwinglius, aut alius novæ Religionis auctor.

Imò inquis: *Lutherus fuit Presbyter, cujus est jure divino præesse.* Ecce quales Vertumni estis: Quando de jurisdictione externâ regendi Ecclesiam quærimus, negatis eam esse penès Episcopos & Presbyteros, sed omnem potestatem defertis politicis Principibus; quam ob causam Carolo M. primatum Ecclesiæ tribuis: Hic ex jure divino facis Presbyteros Ecclesiæ præsides. Distinguis tu quidem potestatem in externam & internam, atque illam Principibus tribuis, hanc Presbyteris, verùm quam tu internam vocas, hæc externa & Spiritualis est in regenda Ecclesia: nam illam internam in Sacramento Pœnitentiæ ad absolvenda peccata non admittitis, neque Sacerdotes in hoc foro judices agnoscitis ex potestate clavium, neque eâ indigetis, qui soli fidei remissionem peccatorum adscribitis. Hic Nifanius supra omnes Theologos sapit, aut non intelligit quid scribat: aut explicet nobis, quæ sit illa interna potestas regendi Ecclesiam in Ministris Ecclesiæ vestræ, distincta à potestate externa politicorum Principum; quando eo ipso quod potestas sit regendi Ecclesiam, in sacrorum Ministris externa esse debeat: haud secus quam in politicis Ministris, ut supra à nobis commonstratum est.

CAPVT XVII.

An Episcopus potestate jurisdictionis major sit Presbyteris, idque jure divino ei competat.

ALtera hæc pars est hujus quæstionis: Negant heterodoxi, interque hos Nifanius, qui ut Presbyteros potestate Ordinis, ita potestate jurisdictionis, pares facit Episcopis. Asserunt Catholici

tholici & multis confirmant. I. ex figurâ veteris Testamenti, in quo unus erat Sacerdos summus, deinde minores Sacerdotes,& post illos Levitæ: constat autem hosce gradus jure divino fuisse distinctos,perinde ut consecrationes etiam eorum distinctæ erant Exod.28.& 40.Levit.8.Num.3.4.& 20.Fuisse autem penès Pontificem jurisdictionem, non penès cœtum minorum Sacerdotum,clarum ex Deut.c.17. *Qui superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, ex decreto judicis morietur homo ille.* Jam verò Episcopos id esse in Ecclesia Christi, quod Pontifices in veteri Lege; & Presbyteros,quod minores Sacerdotes; Diaconos, quod eorum Levitæ erant, docet nos analogia novi Testamenti ad Vetus comparata, ac Patres passim,Damasus Epist.3. de Chorep.Hieronym. epist ad Evagrium,Leo Epist.ad Episcopos Germaniæ,Concil.Hispalense II.c.7. aliiq; permulti graves auctores. Quod cumprimis in Concilio Aquisgranensi sub Ludovico multis clarè exponitur,interque cætera ita Canone 9. *Si enim filij Aaronis,qui minores Sacerdotes erant,Presbyterorum figuram faciebant,& Aaron summi Sacerdotis,id est Episcopi; Moyses cujus? Indubitanter Christi:& verè per omnia Christi,quoniam fuit similitudo mediatoris Dei,qui est Christus Jesus verè Princeps Sacerdotum.*

II. Asseritur id ex distinctione Apostolorum,& septuaginta discipulorum Christi. Nam Apostolis succedere Episcopos, discipulis septuaginta Presbyteros ac Sacerdotes; constans est Patrum sententia,quos magno numero sistit Bellarm.lib.1.de Clericis c.14. Apostolos verò jure divino majores fuisse septuaginta discipulis,satis constat ex institutione diversa. Hinc & illud Matth.24.*Fidelis servus, quem constituit Dominus super familiam suam.* Hilarius, ac cæteri Patres de Episcopis intelligunt,quibus gubernatio Ecclesiæ commissa est: quemadmodum Act.20. *Spiritus S.posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei,*id clarè exponitur.

III. Si jure divino Presbyteri Episcopis pares sint, inveniretur certum aliquod principium hujus institutionis pòst tempora Apostolorum; At contrarius erat usus Apostolorum tempore, ut Presbyteri subessent Episcopis: ideò Paulus ad Timoth.1.c.5.*Adversus Presbyterum accusationem noli recipere*, quò satis docet, Episcopum fuisse Presbyterorum judicem & superiorem jurisdictione.

IV. Accedunt Patrum sententiæ apud Bellarm. capite citato, Vasquez, Suarez, Valentiam, cæterosque Theologos.

Eadem

Eadem prorsus Caroli M. omniumque eâ ætate sententia fuit: nam lib. 5. Capitularium c. 170. de honore & obedientia Episcoporum in hæc verba Carolus: *Constat Christianam religionem per successores Apostolorum salubriter administrari, quorum locum Episcopi nunc in Ecclesia tenent.* Chorepiscopos autem cap. 168. ad exemplum & formam septuaginta discipulorum institutos esse docet, ideóque Episcopis subjectos esse; quanto magis id de Presbyteris intelligas, necesse est. In Concil. Aquisgranensi multis id exponunt Patres, ac planè c. 9. *Apostolis decedentibus successerunt Episcopi.* Jam verò de ipsâ potestate Episcoporum in Presbyteros ac Clerum omnem, quàm multa & illustria ex Carolinis legibus? lib. 1. Capitularium c. 82. ita ad Episcopos: *Summopere vobis videndum est, Rectores Ecclesiarum, ut Presbyteri, quos mittitis per parochias vestras ad regendum, & prædicandum per Ecclesiam, rectè & honestè prædicent.* Vides, ut missio Presbyterorum tribuatur Episcopis? lib. 2. Capitularium c. 5. monet Imperator: *De Sacerdotibus ad vestram curam pertinentibus magnum adhibete studium, ut verbo & exemplo prosint, & ut faciant, pontificali auctoritate constringantur.* Lib. 5. Capitularium cap. 2. ex decreto Carolomanni & D. Bonifacij: *Decrevimus quoque juxta sanctorum Canones, ut unusquisque Presbyter in parochia habitans, Episcopo subjectus sit.* Cap. 39. ejusdem libri: *Omnes Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi sub potestate Episcopi maneant.* cap. 50. *Nullus Presbyter præsumat in alia parochia baptizare, nec Missas celebrare, sine jussione Episcopi in cujus parochia est.* lib. 6. Capitularium, c. 56. *Presbyteri civitatis sine jussu sui Episcopi nihil jubeant.* c. 58. *Presbyteri rem Ecclesiæ, sine licentia vel scientia Episcopi sui non vendant.* Lib. 7. Capitularium c. 56. *Unusquisque Episcopus habeat sua parochia potestatem, & regat juxta reverentiam singulis competentem.* c. 58. *Episcopus Ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum erga omnes qui indigent.* c. 182. *Qui Episcopum suum noluerit audire & excommunicatus fuerit, & renuerit, perennem condemnationem Episcoporum apud Deum sustineat, & insuper palatio nostro sit omnino extraneus.* In Concilio Francofurtensi can. VI. *Statutum est à Domino Rege & sancta Synodo, ut Episcopi justitias faciant in suis parochijs, si non obedierit aliqua persona Episcopo suo, de Abbatibus, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Monachis, & cæteris Clericis in ejus parochia, veniant ad Metropolitanum suum:* In eadem Synodo can. 70. ut i l. 7. Capitular. c. 70.

Episcopi diligenter discutiant per suas parochias Presbyterorum fidem, Baptisma Catholicum, & Missarum celebrationem: Concilium Moguntinense sub Carolo habitum, & ab eo confirmatum, ita sanxit can. 8. *Volumus ut Episcopi potestatem habeant res Ecclesiasticas providere, regere, gubernare atque dispensare, secundùm Canonum auctoritatem.* Concilium Aquisgranense can. 9. *Statutum est ut sine auctoritate, sivè consensu Episcoporum, Presbyteri in quibuslibet Ecclesijs nec constituantur, nec expellantur.* Legatur totum illud Concilium, in quo postquàm de Ostiarijs Lectoribus, Exorcistis, Acolythis, Subdiaconis, Diaconis, de Presbyteris ac Sacerdotibus, per singulos gradus actum, ad Episcopos Apostolorum successores transit, eorumque supremum in Ecclesia munus ex Scripturâ & Concilijs supra omnes Clericorum ordines accuratissimè exponit. Huc spectat illa constitutio adducta imperialis, Aquisgrani anno 798. promulgata, & à te ex Goldasto relata: *Episcopus Canonicorum vitam regat, sicut Abbas Monachorum.* Inter Canonicos verò multi Presbyteri erant. Tuum nunc est Nisani ostendere, ubi Carolus M. hanc potestatem Presbyteris commiserit; id cum præstare non possis, consequens est, aut te cum Lutheranis delirare, aut Carolum M. cum omnibus suis Episcopis nos fallere. Et quid præterea de Archiepiscopis & Metropolitanis dicemus? quorum potestas ex amplitudine muneris, haud minus, quàm Episcoporum, Carolinis Synodis, & Capitularium libris ubique exponitur. Hos verò Archiepiscopos & Metropolit. quâ nominis umbrâ ostendes in Lutherana Ecclesia? Superintendentis opinor: ergo, Nisanius Superintendens Bilfeldiensis, etiam Archiepiscopus & Metropolitanus erit, aut inter generales Superintendentes, (uti apud quosdam Lutheranos novo vocabulo appellari quandóque comperimus,) numerare necesse est. Viden', ut omnia apud vos conturbata, postquam ex verâ Ecclesiæ Hierarchiâ commentitiam illam vestram, sine ordine, sine consecratione, sine ullâ potestate ordinis & jurisdictionis introduxistis? At nunc denuo audiamus quid obtendas.

Obijcis primò illud vulgatum D. Hieronymi in Comment. 1. cap. Epist. ad Titum, & Epist. 85. ad Evagrium: *Idem est Presbyter qui Episcopus*, quando ut subdit: *Ex eo tempore quo dici cœpit in populo: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur.* Addit: *Episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispositio-*

dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris esse majores, & in communi debere regere Ecclesiam. Diversi hunc Hieronymi locum, diversè explicant, quos Bellarminus refert. ℞. Hieronymus primò non negat Episcopum esse majorem potestate ordinis. Nam ad Evagrium scribit: *Quid facit Episcopus exceptâ ordinatione, quòd non faciat etiam Presbyter?* Quoad jurisdictionem verò, etsi jure divino non agnoscat discrimen, agnoscit hoc tamen ipsum discrimen ad vitanda schismata, ab Apostolis necessariò introductam, aliàs enim Aërij hæresi accessisset, qui Presbyteros pares fecit Episcopis, quod de tanto Doctore opinari fas non erit. Quanquam ut ostendit Bellarminus, Hieronymus non satis sibi hac in re constans fuerit. Quando in Epistola ad Evagrium comparat Episcopum Aaroni, Presbyteros verò Aaronis filijs, qui Sacerdotes minores erant; deinde ad Marcellinum docet Episcopos Apostolis succedere: atqui Aaron & Apostoli jure divino majores erant Sacerdotibus & Presbyteris. Deinde Hieronymus addit in Lucam, illam manus impositionem, quâ baptizati accipiunt Spiritum Sanctum, solis Episcopis datam esse, negatam Presbyteris. Ita D. Ignatius epist. 7. ad Tarsens. epist. 9. ad Philadl. & 12. ad Smirnenses, ubique docet ex Hierarchiâ Ecclesiæ, Presbyteros Episcopis subjectos esse.

Quâ in re observandum in primitivâ Ecclesiâ, cùm pauci essent Episcopi, jurisdictionem regendi Ecclesias cum Presbyteris amplè communicatam fuisse, perinde ut cum Chorepiscopis factum est: ex quo etiam obtinuit, ut Presbyteri Episcopi suo modo dicerentur, sicuti contrà Episcopi subinde vocati sunt Presbyteri: postea autem ob varias causas desijt ea potestas committi Presbyteris, & retrahi ad Episcopos in fontes jurisdictionis. Rectè Epiphanius contra Aërium hæresi 75. hac super re: *Non potuerunt Apostoli statim omnia constituere, sed Ecclesia accepit complementum dispensationis pro locorum, & temporum opportunitate; nam singulæ res non ab initio omnia habuerunt, sed progressu temporis ea, quæ ad perfectionem requiruntur, parabantur.* Hinc distinguenda potestas jurisdictionis in actum primum, ex quo tanquam ex debito jus divinum plus tribuit Episcopis; & in actum secundum, ex quo æqualis potestas potest tribui Episcopo & Presbytero, uti in Chorepiscopis constat: ac nunc etiam Archidiaconi nonnulli in Germaniâ, ampliorem habent jurisdictionem dependentem ab Episcopis, quàm multi Episcopi in Italia, quod

lia, quod nihil derogat veritati Catholicæ ; frustra igitur ille numerus scriptorum a Nisanio adductus. Si in Carolinis rebus adeò versatus, ut te jactas, quare non addis Concilium Aquisgranense? in quo hæc D. Hieronymi sententia lib. 1. cap. 10. relata, rejectáque est: quòd indifferenter olim Episcopi & Presbyteri, uno communi nomine dicerentur; cæterum ut Concilium hoc Episcopos successores Apostolorum asserit, ita ad institutionem divinam refert, ac distinctum Episcopi & Presbyteri gradum profitetur. Cætera hac super re legas apud Bellarm. Vasq. Suarez, Petavium, Baronium ad annum Christi 58.

Obijcis II. *Concilium Tridentinum non definire, quod Presbyteri jure divino non possint ordinare, sed in genere dixit, dissimulato jure divino.* Imò in Concilio inquit disceptatum esse, an institutio hæc juri divino adscribenda sit? ℟. Concilium can. 6. decernit. *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divinâ ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris & ministris, anathema sit.* Capite verò 4. docet *Episcopos in locum Apostolorum succedere, & positos esse à Spiritu S. regere Ecclesiam Dei, eosq́; Presbyteris superiores esse.* Nonne hæc satis divinam institutionem, divinumque jus tibi significant? Quod verò disceptatum sit hac super re inter Patres, nihil novi, cùm & in alijs quæstionibus fidei id factum sit; quando humanæ industriæ ista primùm reliquit Spiritus sanctus, ut in omnibus Concilijs factum est, ita tamen ut Spiritus sanctus adstiterit, ne errare possent: quemadmodum & multis hagiographis usu venit. Quid verò hac super re actum sit, disces ex historia Tridentina, non illa, quam Petrus Suavis scripsit apostata, sed quam Cardinalis Pallavicinus. Cætera quæ in hanc rem mota sunt à Puritanis in Anglia, aut à Palmasio contra Catholicos, eruditè discussit Petavius tom. 3. Theolog. dogm. & quæ Amesius Calvinista aliquando subtiliùs objecit, quàm vos Lutherani: ea verò refutavit Erbermannus, Forerus & alij. Quin ipsi Protestantes in Anglia, Episcopos à Presbyterorum ordine distinctos retinent. Acerrimè hanc sententiam tuentur, Petavius adversus Puritanos, cumprimis Davidem Blondellum, & quem tu identidē patronum adducis. Adeò ipse Jacobus Rex Britanniæ rescripsit: *Episcopos in Ecclesia esse debere, tanquam institutionem Apostolicam, ac ordinationem proinde divinam, contra Puritanos semper sensi.* Cur ergò tu mavis Calvinistis & Puritanis, quàm Catholicis, ac tuis etiam in Dania, cum gente Danus

sis,

fis, accedere? qui Episcopos in Ecclesia & veteri possessione nominis retinent.

Dicis quidem, non reijci à vobis omne discrimen inter Episcopum & Presbyterum, sed esse hanc εὐταξίαν tantùm & ordinationem Ecclesiasticam, quæ ob concordiam utilis sit, ut conservetur. Hoc tu verbis dicis, & re ipsâ evertis, quando ne nomen quidem Episcopi ferre potes, ut sub larvâ Superintendentis hæresin tuam alas, & nomini tuo consulas, qui Superintendentis titulo te extollis supra cæteros prædicantes, qui tamen nullis sacris magis initiatus es, quam Hecuba tua. Deinde hæc εὐταξία & ordo, qui fit confusionis evitandæ gratia, nihil erit aliud, quàm humana deputatio ad ministerium: nam cùm ex Lutheri doctrina omnes Sacerdotes nascantur, nihil aliud requiritur ad ministerium vestrum, quàm à Magistratu civili deputatio; interque Superintendentes, & vulgarem prædicantem nihil interest, nisi εὐταξία quæ deputatione fit, unde nec aliâ ordinatione opus est ad Superintendentes, quam designatio personæ, quæ etiam à Reformatę aut Catholicę religionis Principe fieri potest. Quo non abîtis cum divino Episcopi munere? Carolum M. si consulas, reperies ex ejus constitutionibus ad ordinationem Episcopi, tres Episcopos requiri, quemadmodum id Ecclesia ex Apostolorum ævo & instituto possidet.

III. Obijcis, multas Ecclesias sine Episcopis, per Presbyteros administratas esse, quam in rem Blondellum Puritanum, cum magnâ turba auctorum introducis, ac postremò etiam Bucherium Jesuitam, quòd is doceat Christianitatem stare & crescere posse sine ullis Episcopis, idque D. Piati primi Tornacensium Doctoris exemplo confirmet. ℞. Bucherium crimine falsi traducis, nullibi id Bucherius docet, imò an D. Piatus Episcopus fuerit, magnopere controverti scribit. Interim multarum Ecclesiarum initia cœpisse per Presbyteros, & Sacerdotes Apostolici muneris, haud controversum; quemadmodum S. Xaverius in Indijs, & Japonia, & multi per Indiam religionis & conversionis gentium exordia fecêre, donec formaretur Ecclesia, & potestas fieret inter barbaros Episcoporum sedes figere, uti id in Frisia, Thuringia, Hassia, & Saxonia factum diximus. Cæterùm constans Ecclesia sinè Episcopis esse non potest, cum Episcopi Patrum & Sacerdotum sint generatores, & successio

Aposto-

Apoſtolica, ex poteſtate Ordinis ab Epiſcopis pendeat. Agnovit id Hermannus Bonnus, quem cum Oſnabrugenſes Lubecâ evocaſſent, ad Lutheranam religionem apud ſe introducendam, atque is jam totam propè diœceſim ad Lutheri Evangelium formaſſet; rogarunt ab eo Oſnabrugenſes, ut Sacerdotes à ſe creatos imponeret parœcijs, reſpondit: ſe quidem Superintendentem eſſe, ſed Sacerdotes ordinare non poſſe, ideò opera profugorum Monachorum & apoſtatarum Sacerdotum uſus, donec ſumptâ tandem audaciâ, paſſim per Weſtphaliam & Saxoniam Prædicantes & Superintendentes mutuò ſibi manus imponerent, & poteſtatem adminiſtrandi Sacramenta, docendíque ex Lutheri ſcena communicarent. Bene Tertullianus lib. de præſcrip. *Ordinationes eorum temeraria, leves, inconſtantes, nunc neophytos collocant, nunc ſæculo obſtrictos, nunc apoſtatas noſtros, ut gloriâ eos obligent, quia veritate non poſſunt. Nuſquam facilius proficitur, quàm in caſtris rebellium, ubi ipſum eſſe illic, promereri eſt. Itaq; alius hodiè Epiſcopus, cras alius, hodiè Diaconus, qui erat Lector, hodiè Presbyter, qui erat laicus, nam & laicis Sacerdotalia munera injungunt.*

CAPUT XVIII.

De Officio Epiſcoporum.

MUnus Epiſcopi quod in Eccleſia Chriſti ampliſſimum, & honorificentiſſimum eſt, Niſanius ad duo potiſſimum contrahit munia, Prædicationem videlicet verbi Dei, & Curam Scholarum, atque id nobis ex Caroli M. conſtitutionibus inſulſus homo perſuadere vult. Credo equidem, quia Niſanius ex Pædotriba & Scholarcha Corbacenſi Comitatus Waldecenſis, factus eſt Bilfeldiæ Prædicans, & Superattendens in Comitatu Ravensbergenſi: ideò ex ſuo præpoſito munere, nobis Epiſcoporum munera fingit; & Epiſcopos ex primaria functione, Scholarchas procudit. Cæteri Lutherani munus Epiſcopi ad prædicationem verbi, & duorum Sacramentorum adminiſtrationem ferè adſtringunt: & mirum ſanè Niſanium qui Pſeudoepiſcopum

pum agit ex Superintendentis nomine, ita proprium suum munus arctare.

I. Catholici, uti & Carolus M, ex potestate Ordinis & jurisdictionis, duplicis quoque generis officia in Episcopo docent. Ex potestate Ordinis Episcopus Sacerdotes & Episcopos ordinat, Clericos creat, Chrisma conficit, Sacramentum confirmationis confert, oleum infirmorum, itemq; Virgines, templa, altaria, vasa & vestes consecrat. Inter quæ tamen hoc discrimen, ut quædam illi ex jure divino, hoc est, Christi auctoritate, & institutione conveniant, cujus generis sunt: ordinare Sacerdotes & Episcopos, conficere Chrisma, conferre Sacramentum confirmationis, creare Clericos, oleum infirmorum sacrare. Cætera Canonico jure ad Episcopum pertinent: ut consecrare Ecclesias, altaria, vasa, vestes, Virgines, hæc enim munia Episcopis reservavit Ecclesia. Quâ super re Patres, Concilia, Theologi, & juris Canonici interpretes, in c. *Quamvis*, dist. 68. & c. *Inter corporalia* de Translat. Ep. Sanè verò in ordinatione Sacerdotum, & Episcoporum ita est ordinarius minister Episcopus, ut ne quidem ex Pontificis commissione, Sacerdos simplex, aut Presbyter id Sacramentum conferre possit: uti id ex perpetuâ Ecclesiæ traditione constat, inauditumque est Sacerdotem à simplici Sacerdote ordinari: nec apparet, ad quid Ordo Episcopalis Ecclesiæ absolutè sit necessarius, si hæc functio penès Sacerdotes & Presbyteros esse possit. Quâ super re Vasquez disp. 243. Suarez, Azorius, Coning, Præpositus, Comptonus, alijque innumeri Theologi.

II. Ex potestate jurisdictionis Episcopi est regere Ecclesiam, cognoscere causas Ecclesiasticas, judicare & ferre sententiam, mittere ad Prædicandum Sacerdotes, Pastores parochijs imponere, convocare Synodos, ijsque præsidere, beneficia conferre, delicta punire, reos excommunicationi, suspensioni & interdicto subijcere, communioni restituere; & quæ ejusmodi sacra jurisdictio, ad ordinandam gubernandamque Ecclesiam requirit, uti hæc ab Apostolorum ævo per universum orbem Christianum, vel sola traditio, & praxis docere potest. Quemadmodum & Caroli M. ætate servata, & sub Carolo M. etiam in tot Synodis præscripta, & ab ipso Carolo M. tot constitutionibus confirmata sunt, atque inde per Germaniam & Saxoniam ad nos usque pervenerunt, donec Lutheri primùm doctrina, hæc omnia invertere cœpit.

III. Inter munia sua Episcopi quædam communia habent cum Presbyteris, & Sacerdotibus: ut Sacrificium Missæ offerre, absolvere à peccatis, baptizare, administrare cætera Sacramenta, prædicare verbum Dei, docere Clerum, administrare Ecclesias, scholas instituere, verbo, omnia facere quæ Sacerdotis sunt, & Parochi. Ex hoc postremo genere officiorum, quæ omnibus Presbyteris communia sunt, Nisanius duo tantùm adscribit Episcopis, tanquam primaria & propria munia, prædicationem videlicet verbi Dei, & scholarum præfecturam curamque; ea verò munia, quæ propria sunt Episcoporum, seu ex institutione Christi, seu ex Ecclesiæ ordinatione, prorsus tollit, aut cum Presbyteris communicat.

Igitur I. Nisanius, ut persuadeat Episcopos teneri ad prædicationem verbi Dei, producit antiquos Patres, & Episcopos ex Ecclesia; deinde D. Bonifacium, ac primos per Frisiam ac Saxoniam Episcopos: post illos Brunonem Coloniensem Archiepiscopum, aliosque. Demum Turonensem & Cabilonensem Synodum, sub Carolo celebratas, atq; ipsum etiam Caroli M lib. 2. Capitularium c. 4. & 11. alio quodam edicto adhortantem Episcopos, ut prædicandi munus verbo & exemplo expleant. ℞. non negare nos, docendi munus unum ac præcipuum etiam esse ex Episcopi muneribus, sed tale tamen, quod cum Sacerdotibus alijs, atque etiam Diaconis commune habent, quodque per alios explere possint, ac sæpè debeant, si aut linguâ, aut invaletudine, aut alijs publicis ac magis Ecclesiæ necessarijs occupationibus impediti sint: ita enim Concil. Trident. sess. 24. de Reform. c. 4. *Prædicationis munus, quod Episcoporũ præcipuum est, cupiens sancta Synodus exerceri, &c. mandat, ut in Ecclesia sua ipsi per se, aut, si legitimè impediti fuerint, per eos, quos ad prædicationis munus assument: in alijs autem Ecclesijs, per parochos, sive, ijs impeditis, per alios ab Episcopo* deputandos, id exerceatur. Quod ipsum jam ante in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. sancitum est: *Cum sæpè contingat, quod Episcopi propter occupationes multiplices, vel invaletudines corporales, aut hostiũ incursiones, seu occasiones alias, &c. per se ipsos non sufficiunt ministrare populo verbum Dei, maximè per amplas diœceses, & diffusas: generali constitutione sancimus, ut Episcopi viros idoneos ad sanctæ prædicationis officium salubriter exequendum assumant.* Id sanè nunc, vel maximè in Germania & Saxonia locum habet, ubi Episcopi simul Principes imperij sunt,

sunt, satisque habent inter cæteras occupationes, ut Ecclesias suas, commissumque sibi gregem ab hostibus, & à vobis incursantibus lupis, defendant: præsertim cum tanta sit Sacerdotum doctorum copia, ut templa priùs ac cœtus hominum, quàm Sacerdotes concionatores desideres. Imò Carolus M non omnes ad id munus adstrinxit, lib. 1. Capitular. c. 109. *Episcopos monemus, ut sivè per se, sivè per Vicarios, pabulum verbi divini populo annuntient.*

Quam excusationem ab hoc munere prædicandi, Concilium Tridentinum, & Lateranense admisit, hanc Ecclesia jam olim agnovit in alijs Episcopis, ut tàm adjutores, quàm Vicario munere sibi prædicatores deligerent. Ita Valerius Episcopus commisit D. Augustino Presbytero suo prædicandi officium, quod ipse, cùm Græcus esset, minus commodè populo prædicare posset: uti id Possidonius in vita D. Augustini c. 5. scribit. Ita Valerius Cæsaraugustanus in Hispania Episcopus, S. Vincentio Martyri prædicandi munus commisit, Diocletiano Imperatore, cùm Episcopus ob linguæ impedimentum id explere non posset. Quàm multa hujusmodi sunt exempla in sanctis Viris, qui ob id Episcopi munus non recusarunt, neque eo se abdicarunt. Verùm etsi Episcopi quæ jurisdictionis sunt, alijs committere possint, non tamen ea quæ potestatis sunt Ordinis: ut Chrisma conficere, parvulos confirmare, Clericos ordinare, oleum infirmorum, vel Catechumenorum sacrare, templa & altaria consecrare: quâ super re Theologi, tum juris Canonici Doctores, cap. *Quanto, de consuet.* & c. *Aqua. de Consecrat. Ecclesia.* Ut vel inde recognoscas discrimen inter munus prædicandi, & inter alia munia, quæ Episcopo propria sunt, & in quibus ordinarius est minister, aut ex Christi institutione, aut Ecclesiæ ordinatione. Inde Episcopi vocantur summi Sacerdotes, ut Apostolus dixit: *Majores* sive digniores, à quibus minores benedicantur, & cap. *venerabilis*, Episcopatus appellatur *culmen dignitatum:* perinde, ut Episcopi *Pontifices* etiam & *Papæ*, hoc est, *patres patrum* dicti sunt: quibus tamen nominibus, ob excellentiam dignitatis & potestatis, propriè Romanus Pontifex, & Vicarius Christi, idemque Pontifex Maximus, & primus Episcoporum appellatur; nec alio honoris titulo decoravit Carolus M lib. 5. Capitularium cap. 103. *Ut qui throni Dei vocantur:* ideo thronus illis in Ecclesiâ sacrificantibus erigitur, quos tu tantis calumnijs & injurijs oneras, tanquam nulla alia tibi

merces superſit amplius, quàm ut tibi textores thronum ponant, in quo Pſeudoepiſcopum ſuum venerentur.

Sed nunc cauſam tuam ex hoc prædicandi munere examinemus, qui tantoperè ex eo te jactas, & extollis ſupra Epiſcopos & Pontifices: Quæramuſque primò, quis te miſerit ad prædicandum verbum Dei? *Quomodo enim prædicabunt, niſi mittantur?* ut Rom. 10. docet Apoſtolus. Hinc illa toties repetita querela adverſus falſos prophetas in Scripturâ, quod ſine verâ miſſione, quâ datur juriſdictio, ut cum auctoritate doceant, currerent & obtruderent ſe populo. Vel ergo ordinaria tua eſt miſſio, vel extraordinaria. Non ordinaria, hæc enim requirit ſucceſſionem Apoſtolicam in Epiſcopis, cum poteſtate Ordinis & juriſdictionis, quæ apud vos cum Luthero defecit, ut ſuprà relatum lib. 1. de Eccleſia. Non extraordinaria, quæ teſtimonijs divinis, & ſignis, & miraculis probari debet, ut ſuprà probatum eſt: & quis credet te aut ordinariè, aut extraordinariè magis vocatum, quàm Calvini, aut Zwinglij, aut Labbadæi etiam miniſtros? Hîc, ſi quid vales ingenio & doctrinâ, Becanum aliquem de vocatione miniſtrorum veſtrorum, aut cæteros ſcriptores expedias velim. Jam à centum annis exſpectavimus hujus quæſtionis reſolutionem à vobis, & nemo quicquam adhuc attulit, quod prudenti & intelligenti vel ſpeciem veritatis exponeret.

II. Quid obſecro doces ex tuo prædicandi munere, niſi damnatas ab Eccleſia hæreſes, & calumnias adverſus Sponſam Chriſti? quæ eſt Eccleſia ſine rugâ, & maculâ, & errore Apoſtolicæ doctrinæ: quâ ſuper re lib. 1. actum eſt.

Nero & Calvinus deplorarunt, inquam, ſe literas didiciſſe: & quid tu aliud ex infelici tuo munere exſpectare poteris? quàm illud Apoſtoli ad Gal. 5. *Qui conturbat vos, portabit judicium, quiſquis ille eſt.*

III. Si tam neceſſarium eſt prædicandi munus in Epiſcopo, ut tu fingis, quare ergo primi veſtri per Saxoniam Epiſcopi id munus non explerunt? id ſanè quidem conſtat, nullum cum Luthero Epiſcopum, aut ne Abbatem quidem defeciſſe, qui novum illud Evangelium cum Luthero auſpicaretur: poſt tamen ubi per vim & arma, & populi defectionem Evangelium veſtrum invaluit, abrogatis Catholicis Epiſcopis, impoſiti ſunt Magdeburgi, Halberſtadij, Hildeſij, Bremæ, Mindæ, Verdæ, Oſnabrugi, alijſque in ſedibus Epiſcopi, ex Ducum & Principum familijs

lijs filij; ullusne ex illis publicè verbum Dei è Cathedrâ Episcopali docuit? quod tamen maximè initia religionis vestræ ad Apostolicam formam poscebant. Fuêre inter hos, qui nullo sacro Ordine insigniti unquam fuêre, neque latinam quidem linguam callerent. Quanta mihi scribendi materia se offert, si,ut res habet ab historicis relata,singulorum horum Episcoporum mores & vitam, cum D. Bonifacio, Willibrordo, Ludgero,Hildegrimo fratre ejus,Willehado, Suiberto,Wihone, Norberto,alijsque Apostolicis viris conferre liceret: festucam in Catholicorum oculo vides, & trabem in Lutheranorum non vides.

Pergis interim calumniari, & scribis: intra sexcentos & plures annos vix unum,aut alterum Episcopum reperiri,qui verba ad populum fecerit. ℞. sexcenta hæc mendacia sunt:nam si à sexcentis annis & suprà, nimirum ab anno millesimo, & Ottonum Magnorum Imperatorum tempore, nemo Episcoporum concionatus est; quid ergo Adalbertus Pragensis Episcopus, idemque Bohemorum & Prussorum Apostolus? quid S. Bruno Prussorum Episcopus? quid D. Bonifacius ejus successor?quid D.Gerhardus Ungarorum Episcopus?quid Meinhardus,Bertholdus, Bernardus Comes Lippiæ, primi illi per Livoniam Episcopi & Doctores gentium? quid Tagmo D. Wolfgangi discipulus, & D.Nortbertus Magdeburgensis Episcopi, Bernwardus & Gothehardus,Hildesienses Episcopi? Quid Otto Bambergensis Episcopus, Pomeranorum Apostolus, alijque innumeri Episcopi? Si fastos Episcoporum singulorum, si Dithmarum, si historiam Sclavonicam Helmoldi & Arnoldi Lubecensis, si SS. vitas apud Surium & Bolandum, si historicos cæteros, atque ipsum etiam Crantzium legas, reperies passim per Germaniam & Saxoniam Episcopos concionatos; donec postremo ante Lutherum sæculo, multum remitteret id munus: quod Crantzius æqualis eorum temporum conqueritur, tum vel maximè, cùm Comitum & Principum filij ad Episcopatus pervenêre, & solâ jurisdictione Episcopi contenti, Sacerdotes & Episcopos consecrare detrectarunt, effusiq; in luxum, Ecclesiæ disciplinam neglexerunt; torpor, inscitia, vitæ libertas,& Venus, Luthero ostium aperuêre. Cæterùm per Italiam, Galliam, Hispaniam, Belgium, inter Episcopos concionandi munus permansit: uti hodiedum passim obtinet, frustrà oblatrante Espencæo, Scioppio, cæterisque Episcoporum & Cleri obtrectatoribus. Vix tu pedem extra Westfaliæ haras

extulisti, & de orbis Episcopis judicas. Veriùs dixisses, nullum adhuc Episcopum Lutheranum verbum Dei prædicasse, nec prædicaturum unquam: cum eos ex vera potestate Ordinis & jurisdictionis, heterodoxa Ecclesia vestra habere non possit, nisi ad Catholicam redierit. Imò quid tu Episcopis nostris hæc objicis, quem tam miserè ad populum dicere audio, ut quemvis Prædicantem, quam te Superintendentem & Episcopum plebs audire malit: tantùm hoc superest, ut Danus gente, cum Danis Prædicantibus, conciones è cathedrâ legas: incertum, memoriæ, an doctrinæ suæ non fidant ampliùs.

Ab Episcopis criminando transis ad Pontifices, & scribis: qui intra quingentos annos sublimem illum thronum conscenderunt Pontifices, ij plerique aut Causidici, aut Politici, aut illiterati fuerunt. ℞. Id tam falsum est, quàm tu impudens calumniator, & mendax es. Estne viri ingenui, ita scribere de Pontifice Maximo & Vicario Christi? quem etsi vos Lutherani non agnoscatis, venerantur Principes, Reges & Cæsares in imperio. Quid si tibi ultrò largiremur, aliquos Pontifices non fuisse adeò doctos, ut tu vis, quid inde? etiam in Concilio Nicæno, simplices aliqui, nec adeò docti, teste Ruffino lib. 10. hist. c. 3. qui tamen rectè judicarunt de Arij hæresi. Quàm multa naturalis prudentia, experientia, & assistentia Spiritus sancti supplet! & quid Concilia privata, & publica Pontificum ac Principum, si ab ipsis omnia petenda? Sed quomodo probas, quod tam malignè scribis? quatuor tantùm producis Pontifices, Paulum II, quem Platina osorem humaniorum studiorum scribat; Clementem VII, quem Jovius nullis propè literis instructum referat lib. 32; Urbanum VIII, qui ne discipulus quidem Theologiæ fuerit; Alexandrum VII, qui literis quidem politioribus excultus fuerit, sed quem nemo hactenus scientiâ rerum sacrarum commendarit? Hi nimirum sunt, quos ex quingentis annis nobis sistis Pontifices, non satis doctos; qui verò eruditione, virtute, sapientiâ, & vitæ sanctimoniâ inter illos clari fuerunt, hos tu supprimis & transilis. De Paulo II. Veneto, ita Platinam pro affectu suo scribere, cui mirum? cùm is ab hoc Pontifice, ob famosum libellum, & minas in Pontificem, & conspirationem, in carcerem abreptus, & quæstionibus etiam subjectus fuerit. At de eo Onuphrius: *literis, licet adultus esset, operam dedit, præceptore usus Jacobo Ritionio, viro erudito; qui diligentiam ejus laudare consueverat.* Alios deinde præceptores habuit,

habuit, etsi tum summa politioris literaturæ nondum comprehenderit: postquam tamen ab Eugenio IV. Pontifice, cujus ex sorore nepos erat, Protonotarius Apostolicus, Episcopus Cerviensis, & Cardinalis creatus, homo, ut inquit Onuphrius, naturâ blandus, mitis & humanus, ætatem sub quatuor Pontificibus excoluit; ob vitæ integritatem, ac sapientiam Pontificatu dignissimus est habitus: ob hæc in epitaphio ejus Romæ legitur: *Justitiæ, pietatis, divinarumq; carimoniarum cultor religiosissimus, Ecclesiasticæ libertatis defensor constantissimus, & in pauperes munificentissimus*: quæ & ipse Platina in Paulo commendare, necesse habuit, virumque asserit procero corpore, & formâ corporis decorum, qui majestatem Pontificiam tanquam alter Aaron referret in sacris. De Clemente VII. Pontifice, quem à Jovio minùs literatum adfers, ita idem Onuphrius: *Is sub patrui Laurentij Medicæi tutelâ educatus, à teneris annis singularis, vividiq; ingenij speciem de se præferebat; unde optimis, qui tunc Florentiæ erant, præceptoribus usus, animum ita composuit, ut literarum cognitioni maximam morum elegantiam adjunxerit.* Tanti nunc mihi est Onuphrius, quanti apud te est Paulus Jovius: præsertim, cùm de Jovio hoc Lipsij sit judicium in notis ad lib. 1. Polit. *Stylo quidem bonum gravemq; esse, & planè ad historiam; judicio vero ac fide ambiguum: ubi affectus non distrahunt, rectum; ubi illa adsunt, obnoxium. ad gratiam scilicet se dare & auram.* Cætera, quæ ad horum Pontificum elogia desideres, historia Ecclesiastica Rainaldi exponit: ac licet Itali ac Hispani, humanioribus studijs non omnes ita exculti sint, uti hæc Platina & Jovius æstimabant; nativâ tamen linguâ suâ, superiores scientias facilè comprehendunt; secus est in Germanis. Et quæso, quid in tuis est scriptis? nisi quod hæc ubique ex rapsodia tua, judicium, scientiam, & scribendi methodum requirant; tanquam ex Joannis Gerhardi tomis Luthericis exscribere sua, & colligere epitomen maledicentiæ in Catholicos, magnæ sit sapientiæ. Et quantus tamen tu Aristarchus, censorque Episcoporum, Pontificum, & orbis Christiani esse vis? Tertulliani judicium de te veriùs est lib. advers. Herm. *Naturâ hæreticus, turbulentus, & superbus, qui maledicere singulis, officium bonæ conscientiæ judicet.* Urbanum VIII. humanioribus literis apprimè excultum fuisse testantur ejus scripta, & poëmata, & Poëtarum celebrium applausus: quantus verò idem Pontifex fuerit in jure Canonico, quippe tot annos Auditor Rotæ, & causarum Ecclesiasticarum

per

per orbem Christianum judex, testantur facta,& elogia Orbis. Utrumne vero præstet Episcopum deligere juris Pontificij consultum, an Theologum? disceptant juris Canonici interpretes & Theologi. Quâ super re inter alios Azorius p.2.lib.3. c.18. q 9. in utroque genere, semper præclari & sapientiâ eminentes viri,& nonnisi ex fulgentissimo Cardinalium Collegio delecti Pontifices, qui & multum exercitati, & per omnes dignitatum gradus provecti, ad Pontificatum perveniunt: etsi ex illo ducentorum & suprà Pontificum numero, quidam malæ vitæ notati repe-riantur; quos Baronius, ac cæteri scriptores, non dissimulant: quosq; nec supra octo aut novem, vix censueris. Tanto verò magis admirandum, in illâ multitudine,& fastigio honoris, tam multos aut Martyres, aut sanctitate vitæ celebres, aut gubernandi sapientiâ per orbem Christianum illustres reperiri. Numerat S. Augustinus Epist.165. à S. Petro, ad Anastasium, & suam ætatem, ordine omnes Pontifices sanctimoniâ vitæ claros, addens: *etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præjudicaret Ecclesiæ, & innocentibus Christianis; quibus Dominus prævidens ait de præpositis malis: quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite.* Quod vero de Alexandro VII. Pontifice scribas, cum scientiâ rerum sacrarum, à nullo hactenus commendari; hæc tua aut inscitia, aut malevolentia est, cum injuria tanti Pontificis: quando septem & viginti annos natus, anno 1623. publicè de universa Theologia assertiones disputandas proposuit, eodemque anno Jurisprudentiæ, anno deinde 1626. 6. Septemb. Bononiæ Theologiæ Doctor renuntiatus fuit, summâ omnium approbatione & admiratione doctrinæ: ita legas in notis Ferdinandi Principis & Episcopi Paderbornensis ad Poëmata sua, & carmen illius honori, à rebus præclarè gestis, inscriptum; quod testimonium eo magis apud te valere debet, quod Episcopus ac Princeps noster Ferdinandus, in nonum annum versatus Romæ, septemque ex his, in aulâ Pontificis vixerit, adscitus ab Alexandro in Cubicularium intimum, ob eminentem in omni genere doctrinarum scientiam, quam apud Alexandrum, dum quotidiè ei assisteret auditor, mirificè excoluit: tantum verò in Alexandro Pontifice Theologiæ studium exinde fuit, ut de se referre solitus: non semel, sed sæpius sese omnia opera Theologica Francisci Suarez pervolutasse. Tam præposterè vos de Pontificibus judicatis, quos omnes aut illiteratos, aut improbos plebi persuadetis, ex quo Lutherus primum

mùm ſedem Petri, ſedem Antichriſti vobis perſuaſit. Verùm Auguſtinus lib. 1. c. 5. adverſus Donatiſtas clamat: *Cathedra Eccleſiæ Romanæ, quid tibi fecit, in quâ Petrus ſedet, & in quâ hodie Anaſtaſius ſedet?* addimus nos; in quâ poſt ducentos Pontifices Urbanus VIII. Alexander VII. & hodie Clemens X. ſedet. Imò reprimit ſe Auguſtinus, quæſt. 110. Novi & Veteris teſtamenti: *Eorum qui extra Eccleſiam, vel contra Eccleſiam ſedes ſibi inſtituerunt, cathedram peſtilentiæ dicimus:* ex hac cathedra peſtilentiæ, tu hæreſes tuas doces, & hoc virus in Pontificem ſpargis. At tu, qui tam ſagax es in Pontificum vita ſcrutanda, ullumne in tanto numero Pontificum, à S. Petro ad Clementem X invenis, qui non Sacerdos & Epiſcopus conſecratus fuerit? Rurſum Auguſtinus, poſtquàm omnes à D. Petro uſque ad Anaſtaſium, ordine, & nomine ſuo enumeraſſet Pontifices: *in hoc ordine*, inquit, *ſucceſſionis, nullus Donatiſta Epiſcopus invenitur*. Nos pari modo dicimus, in tot Cathedralibus Epiſcoporum ſedibus per Saxoniam & Germaniam, & tanto ordine Epiſcoporum à Carolo M, uſque ad hæc tempora, nullus adhuc Lutheranus Epiſcopus invenitur, qui cum poteſtate Ordinis & juriſdictionis Catholico Epiſcopo ſucceſſerit, ut veros Sacerdotes creare, & generare Lutherana Eccleſia potuerit: Nec tu ille es, quantumvis Superintendentis nomine, te in locum Epiſcopi obtrudas. Sobna aliquis nobis Præpoſitus occurris, ad quem Deus per Iſaiam Prophetam cap. 22. *Quid tu hîc, aut quaſi quis hic?*

CAPVT XIX.

Singula Epiſcoporum munia, explicatiùs ex Caroli M. conſtitutionibus aſſeruntur.

DUo tantummodo Epiſcoporum officia Prædicans ex Carolo M. retulit, munus videlicet prædicandi Verbum Dei, & curandi ſcholas, cætera illi aut inviſa, aut ſuppreſſa. Verùm cum

ad Carolum M. appellarit, expendendum, quàm syncerè nobis cum Carolo M. agat; quando illa, quæ propria sunt Episcoporum munia, per imposturam transilit.

Primùm ergo & proprium Episcopi munus ex potestate Ordinis est, consecrare Episcopos & Sacerdotes; eo tamen discrimine, ut Episcopus ordinetur à duobus, vel tribus Episcopis, id est, à duobus assistentibus Metropolitano, vel à pluribus, uti id Can. I. Apostolorum, & in Concil. Nicæno I. c. 4. Carthag. 4. c. 2. alijsque Concilijs est sancitum. Ad hunc modum Anacletus tertius à S. Petro Pontifex epist. 2. scribit, Jacobum Hierosolymitanum Episcopum à Petro, Jacobo, & Joanne ordinatum fuisse: id uti in Synodis & constitutionibus à Carolo M. confirmatum sit, jam suprà retuli. Gregorius III. epist. ad Bonifacium: *Quoties Episcopum consecraveris, duo vel tres conveniant tecum Episcopi.* Ita verò D. Ludgerus ab Hildebaldo Coloniensi Archiepiscopo ac Metropolitano suo ordinatus Episcopus, ut auctor vitæ ejus refert. Ita cæteri Episcopi per Saxoniam ordinati sunt, ut in fastis & rebus gestis Episcoporum consignatum est. Ita ad nostram usque ætatem servatum, donec Lutherus primùm non modò ordinationem Episcoporum cum ipsis Episcopis, sed & ordinationem Sacerdotum ab Episcopis præscriptam, tollere cœpit ex suâ Ecclesiâ: prorsus, ut de priscis hæreticis Cyprianus lib. I. epist. 6. *Novatianus in Ecclesia non est, neque Episcopus computari potest, qui Apostolicâ traditione contemptâ, nemini succedens, à se ipso ordinatus est: imò Pastor,* inquit, *quomodo haberi potest, qui nemini succedens, à se ipso incipiens alienus fit, & profanus?* tota enim successio in potestate Ordinis & jurisdictionis consistit, quæ dum in hæreticis deficit, ministri eorum alieni & profani sint, necesse est.

Tanta verò hujus Apostolicæ legis observatio, & tam salutaris ordo fuit, ut quod in antiquis Concilijs, id quoque in Synodis Carolinis & Caroli legibus sancitum sit; ne quis Episcopus in alterius diœcesi, absque alterius voluntate ordinet Sacerdotes & Clericos: id quod in Capitularibus Aquisgranensibus, in Capitulis ab Hadriano transmissis c. 18. & tot Synodorum statutis repetitur.

Tempus etiam ordinationum, ut quater in anno fiant, tam accuratè præscriptum Episcopis in Capitularibus Bavaricis, in epistola Gregorij 2. ad Bonif. *Temporum quoque intervalla,* quibus ordinentur Subdia-

Subdiaconi, Diaconi & Presbyteri, leges lib. 7. Capitularium c. 27.

Quæ ut modò etiamnum observari vides in Ecclesia Catholica, ita ex Caroli ævo, & statutis cognosces. Omitto alia quam plurima, de Clericorum moribus, vitâ, continentiâ & examine, antequam ab Episcopis ordinentur: quæ omnia in Synodis Carolinis, & Capitularibus Caroli M. reperies. Nihil horum apud vos Lutheranos, ex quo cum Luthero ex Ecclesia Catholica recessistis.

II. Alterum & proprium Episcopi munus est, Sacramentum Confirmationis conferre, Chrisma conficere, & oleum infirmorum consecrare: quo in Sacramento administrando, ita ordinarius est minister Episcopus, ut sine dispensatione Pontificis, Presbyter administrare non possit. Et quamvis administratio Sacramenti hujus, Presbyteris quandoque concessa, non tamen concedi potest Presbytero, ut ipsum Chrisma conficiat & consecret. Non hoc loco persequar, quæ Concilia, quæ Patres, quæ Theologi hac super re tradunt; tantùm ad Carolum te revocabo, quem tu ex Catholico in Lutheranum transformare vis. Igitur lib. 7. Capitularium c. 95. *Presbyter semper paratus sit ad suscipiendum Episcopum cum collectione & adjutorio populi, qui ibi confirmare debet, & in Cœna Domini semper novum Chrisma ab Episcopo suo quærat, & de vetere nullus baptizare præsumat, id est baptizatum inungere*: quo discrimen indicatur inter unctionem, quæ ab Episcopo in Sacramento Confirmationis, & quæ in Baptismo à Sacerdote fit. Ad hunc modum lib. eodem cap. 365. *Episcopi per singulos annos, cunctas diœcesis parochias suas circuire non negligant, docendo, confirmando, singulaq; quæ necessaria sunt, restaurando.* Ideò cap. 310. præscribitur, ut Presbyteri ab Episcopis proprijs Chrisma petant. Lib. 6 Capitularium c. 284. Hominum confirmatio, Ecclesiarum, altarium, Virginum, Chrismatum, Presbyterorum, Diaconorum & Subdiaconorum consecrationes, à Chorepiscopis actæ, ab Episcopis canonicè ordinatis reformandæ, canonicèque peragendæ: quia Chorepiscopi hæc contingere non debuerunt: *Nec alio unquam tempore juxta sanctos Canones, vel secundùm morem Romanum, nisi in Cœnâ Domini sanctum Chrisma conficiatur.* Ibidem statutum est, ne à Chorepiscopis per Chrisma Sancti Spiritus traditio fiat. Additione III. Ludovici Pij: *Chrisma novum à suo Episcopo accipiat Presbyter.* In Concilio Moguntino c. 27. uti & lib. 5. Capitularium mandatur: *ut Presbyteri sub*

sigillo custodiant Chrisma, & nulli sub praetextu medicinæ, vel maleficij donare præsumant, quod si fecerint, honore priventur. Eadem tot Caroli legibus repetuntur. Similia de Chrismate Episcopi, in Concilio Turonensi c. 20. Cabilonensi can. 16. & 27. Arelatensi can. 18. ac passim in omnibus Carolinis Synodis reperies: imò in Ecclesiasticis Caroli Capitulis c. 14. qui vel ad medicinam, vel alium abusum, vel ad superstitionem aliquam Chrisma dederint, pœna statuitur: nempe *si Presbyter Clericus fuerit, gradum honoris amittat; si laicus, manus perdat.* Idem lib. 5. Capitularium c. 80. & Concilio Moguntino c. 27. præscribitur. Lib. 1. Capitularium c. 162. *Presbyter in Cœna Domini tres ampullas secum deferat, unam ad Chrisma, alteram ad oleum ad Catechumenos inungendos, tertiam ad infirmos.* Certè D. Bonifacius martyrio à barbaris in Frisia affectus, dum Confirmationis Sacramentum baptizatis impertiret. Et quis Episcopus Caroli ætate, qui Chrismate baptizatos, ex præscripto legum sacrarum non inunxerit?

Ubi nunc obsecro munus illud Episcopi, in administrando Sacramento Confirmationis, in conficiendo Chrismate? imò ubi ullus Chrismatis usus apud vos Lutheranos, qui ad Caroli M. religionem provocatis? Egena & misera Ordinis potestas apud vos! qui ne aquam quidem sacrare potestis, ad diaboli præstigias arcendas. Unguntur ab Episcopis consecrati Episcopi & Sacerdotes, unguntur baptizati à Sacerdote, unguntur Imperatores & Reges; quo ritu Pipinus Rex à Stephano Pontifice, & Carolus M. à Leone Pontifice inunctus est: quin & apud vos Reges Daniæ & Sueciæ unguntur, quo sacro Chrismate? non disquiro. Id tantum rogo, quare cæteri sacræ unctionis ritus, & cumprimis in Sacramento Confirmationis, proscripti ab Ecclesia vestra? nisi quia se Episcopum Lutherus non agnovit, nec in suâ Ecclesia Episcopos vobis relinquere posse vidit. Si sacram Scripturam, si Concilia & Patres consulas, longè majori auctoritate, & mysterio unctio Chrismatis per Episcopi & Sacerdotis manus in Sacramento Confirmationis, & Baptismi, & extremæ Unctionis nobis est tradita, quàm Regum & Imperatorum. Et unde Christiani? nisi quia in baptismate uncti per Sacerdotes, & confirmati per Episcopi manum sumus? Ariani hæretici, ut Optatus Milevitanus scribit lib. 2. ampullam Chrismatis ex Ecclesia Catholica projecêre, quæ Angelicâ manu excepta, collidi non potuit. Videas nunc Lutherum simili hæresis furore, Chrisma extra Ecclesiam projecisse. Terti-

Tertium Episcopi munus, eique proprium est, consecrare templa, Sacella, altaria, vasa, & vestes ad sacrorum usum, ac demum virgines etiam: unde nefas ea profanare, quia ad cultum divinum deputata & consecrata sunt. Typus horum exemplumque in veteri lege, quando Num.7 legimus celeberrimam dedicationem Tabernaculi & altaris; deinde ter factam legimus dedicationem templi, primùm à Salomone lib.2. Paralip.c.7; rursum ab Esdra lib.1. Esdræ c.6. tertiùm à Machabæis lib.1.Mach. c.4. similiter consecrationem altarium, & sacrorum vasorum, nobis Scriptura tradit, Exod. c.40. Num.7. *Omnia hæc in figuris contingebant*, teste Apostolo; ob quæ Ecclesia cum novis cærimonijs, cultum suæ religionis juxta Apostolorum instituta introduxit, ac deinde ab Apostolorum ævo per totum orbem Christianum servata sunt, uti traditione ad nos pervenerunt. De his illud Augustini epist.118. valet: *Insolentissima est insania, disputare, an faciendum sit? quod tota per orbem frequentat Ecclesia.* Clariùs eâdem epistolâ: *illa quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto orbe terrarum observantur; dantur intelligi, vel ab Apostolis ipsis, vel à plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesiâ saluberrima auctoritas commendata; & statuta retineri.* Quemadmodum de his Tertullianus quoque: *Harum & aliarum si legem expostules; traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.* Maximè si Patrum accedant testimonia, qualia pro dedicatione templorum & altarium Bellarminus magno numero adducit lib.3. de cultu SS. c.5. uti & Concilium Arausican. 1.c.10. & Concil. Arelatense 11.c.37. dedicationem templorum & altarium, Episcopo adscribit.

Sed his missis, Caroli M. testimonia sistamus: is lib.1. Capitularium c.151. *Ecclesiæ vel altaria, quæ ambigua sunt de consecratione, consecrentur.* Lib.7. Capitularium c.307. *Similiter & de Ecclesijs, vel altaribus, atq; de consignandis fidelibus, quoties super his dubitatur, agendum est; id est, ut sine ullâ trepidatione consecrentur, & fideles confirmentur.* Lib.4. Capitularium in appendice, titulus ponitur XXI. *De altari non consecrando, nisi lapideo:* & titulus XXII. *De confirmatione cum Chrismate.* Lib.6. Capitularium c.3. *Sancitum est, ut nullus Presbyterorum, in domibus ab Episcopis non consecratis, oblationem offerre quoquomodo præsumat.* Lib.7. Capitular. c.99. *Nullus Sacerdos, nisi in locis Deo dicatis, vel in itinere in tabernaculo, & mensis lapideis ab Episcopo consecratis, Missam celebrare præsumat; quod*

si quis præsumpserit, gradus sui periculo subiacebit. Libro eodem c.334. *Statutum & institutum est, ut Missarum celebrationes, in locis incongruentibus fieri omnino non debeant; excepto, quando in itinere pergitur, & locus Basilicæ procul est, & in altaribus ab Episcopo consecratis fieri necessitas compellit.* Pergit Carolus: *In Canonibus legitur, ut nullus Sacerdotum, in domibus vel in alijs locis, nisi in Ecclesijs Deo dicatis, celebrare Missas audeat: simul & hoc statutum, ut nullus Sacerdos in alijs, quàm in Deo dicatis vasis, & ab Episcopo consecratis, ministrare, seu Missas celebrare, præsumat; quia sicut non est concessum, ut alij Missas cantent, & sacrificia consecrent, quam illi, qui ab Episcopis sunt consecrati: ita non est licitum, ut in alijs domibus, vel altaribus, aut vasis, Missas Sacerdotes celebrare præsumant, quàm ab Episcopis consecratis. Sunt etiam ab Episcopis consecrandæ & benedicendæ corporales pallæ, & alia vestimenta Sacerdotalia, nec non & omnia quæ in usus Basilicæ vel altaris, sive ministerio Sacerdotis, ad divina mysteria explenda complectuntur.* Hanc deinde sanctionem Patrum decretis confirmat Carolus, idque ab antiquis Patribus & prædecessoribus traditum asserit: ac si quis in hoc Episcopo contumax fuerit, in carcerem detrudatur. Eadem sancita legis additione Ludovici Pij 2. cap. 10. ad lib. 6. Capit. Additione 3. Ludovici Pij ad 7. lib. Capitularium c.41.

Nunc summatim comprehendam singula, ex Chorepiscoporum causa, qui ab his munijs Episcopalibus prohibiti, in Synodo Ratisbonensi: postremùm Apostolica sedes, per Arnonem Salisburgensem Archiepiscopum Legatum consulta, unde à Leone Pontif. ejusmodi responsum est allatum, quod lib. 7. Capitularium c.187. legis: *dixit* enim & respondit *Apostolica sedes, nullum fore Presbyterum vel Diaconum, vel Subdiaconum ab eis ordinatum, nec Ecclesiam ab eis dedicatam, nec Virginem consecratam, nec quemquam confirmatum, neque quicquam quod de Episcopali ministerio præsumpsere Chorepiscopi, esse peractum; sed quicquid ab his Episcopaliter præsumptum est, à Canonicè ordinatis Episcopis peragi debere: quoniam quod non habuit quis eorum, dare non potuit: nam Episcopi non erant, nec ad quandam Civitatis Episcopalem sedem titulati erant, nec Canonicè à tribus Episcopis ordinati, ijdem de Episcopali ministerio nihil agere potuerunt.*

Satis opinor, vides Nisani, quæ Caroli M. quæ Ecclesiarum per Germaniam, & Saxoniam, de his Episcoporum munijs sententia, quæ fides & reli-

& religio fuerit; nec tu ullum Episcopum ex ævo illo Carolino produces, qui his sacrorum munijs perfunctus non fuerit; unde ad nos per continuam successionem & traditionem pervenerunt, hodieque ab Episcopis toto orbe Christiano obeuntur. Ubi nunc Ecclesiarum & altarium consecratio apud vos? imò quæ per Saxoniam Basilica Cathedralis, quæ non vel ad Carolum Magnum, vel ad alios Episcopos consecrationem, ac dedicationem suam, annuâ memoriâ referat? nulla vetus ædes sacra, nullum altare, quod non ab Episcopis consecratum. Ubi vasa sacra, ubi vestes Sacerdotales, & sacrificalia ornamenta? Vidit D. Antonius, cum Ariana hæresis prodiret, sylvestrem aprum ingredi Ecclesiam, & omnia volutando evertere: simile mihi portentum Lutheri deformatio exhibet; ubi Virgines Deo sacratæ? quarum tot cœnobia per Saxoniam, Lutheri negotium fuit prostituere & profanare, postquam Catharinam Bornam sacratam virginem, sacrilego sibi matrimonio junxit. Quid Carolum Magnum dicturum credas? qui tot legibus & pœnis has sacrilegas nuptias damnavit: de quibus infra referam.

Superest unum ex Episcopi munere: Scholas inquis, per Episcopia, monasteria, & Civitates ubique institui jubet, quarum cura ad Episcopos pertinet: ita multis legibus sancitum agnoscimus, & harum curam ubique Episcopi sumpserunt à Caroli ævo per Germaniam, & cumprimis hæresi vestrâ serpente, cui PP. Societatis Scholas, divina providentia & Episcoporum sollicitudo objecit. Sed miserum te! qui ex amplitudine munium, quæ Episcopi ex potestate jurisdictionis, sibi jure divino & humano vendicant, solùm prædicandi munus, & curandi scholas relinquis; tanquam ex Episcopis, nobis Prædicantes, & Scholarchas formares.

Rem nunc omnem, quæ hic controvertitur, tibi exponam ex figura veteris testamenti, quæ hæresim vestram jam ante ex schismate Jeroboami designavit. Nam postquam hic impius Rex, regnum Hebræorum cum religione divisit, & primus novum religionis cultum introduxit, ex politicâ Regis potestate, secus quàm à Deo per Moysen ordinatum erat, regnum Sacerdotale, & Pontifices ac Sacerdotes instituti consecratique erant; Jeroboam, ut habetur 3. Reg. c. 13. *fecit de novissimis populi Sacerdotes excelsorum; quicunque volebat, implebat manum suam, & fiebat Sacerdos excelsorum.* Deinde ut cap. 42. refertur: *Fecit fana in excelsis, & Sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filijs Levi. Fecit & altare,*

& ascen-

& ascendit super altare, ut adoleret: Intervenit vir Dei, exprobans illi rem impiam & Sacrilegam, exclamando, *Altare, Altare!* & mox pœna consecuta regem: *Exaruit* enim *manus Regis,* quâ sacrilegè incensum fecerat; quòd ejus officij non esset Sacerdotum munia obire: quæ præterea vindicta Regem consecuta sit, exponitur 3. & 4. Regum libris. Idem exprobatur Regi lib. 2. Paralip. c. 13. *Ejecistis Sacerdotes Domini, filios Aaron atque Levitas, & fecistis vobis Sacerdotes, sicut omnes populi terrarum:* nimirum humanâ auctoritate, contra divinam auctoritatem; quemadmodum omnes gentes sibi Sacerdotes, & sacrificia, & fana constituerunt. Quo in genere, etsi contra divinam ordinationem egerint gentiles, ex lumine tamen naturæ Sacerdotes, altaria, & sacrificia sibi delegerunt. At vos, etiam contra naturæ lumen, Sacerdotes & Sacrificium religionis abiecistis: *propriè enim Sacerdotes,* inquit, *Nifanius dici nolumus.* Pergit Scriptura: *quicunque venerit, & initiaverit manum suam in tauro de bobus, & in arietibus septem, fit Sacerdos, eorum qui non sunt Dij; noster autem Dominus Deus est, quem non relinquimus, Sacerdotesq; ministrant Domino de filijs Aaron, & Levitæ sunt in ordine suo.*

Habes hic figuram novæ religionis vestræ, ex potestate sæcularium Regum & Principum; habes confusionem Ecclesiæ vestræ, & omnium hæresum nostri temporis, quæ ministros sibi deligunt, manus imponunt, eosque contra ordinationem divinam instituunt, & plebi obtrudunt: & hos quidem de novissimis & extremis populi, id est sordidos, mercenariosque, lucri & Veneris causa convolantes ad ministerium. Et quid mirum, non in eo honore esse ministerium vestrum, quo apud Catholicos est regale Christi Sacerdotium? in quo sacro Ordine vides Regum, Ducum, Principum, Comitum, Nobilium, & honestissimarum familiarum filios: ne quid hic dicam de ijs Regum & Principum filijs, apud Hieron. Platum lib. de Bono Relig. aliosq; scriptores & historicos, qui per contemptiones rerum humanarum, se in religiosorum Ordinum & Monachorum vitam dederunt; quos inter habes Carolomannum Caroli M. patruum, Principem, generis claritudine, belli gloriâ, & virtutum splendore eminentem. Quod idem vitæ genus Ludovicus Pius Caroli M. filius meditatus est, suscepissetque, ni imperij, & regni hæreditarij necessitas impedijsset, ut auctor vitæ ejus memorat. Habes postremum successionem Pontificum, & Sacerdotum, quæ uti carnalis in lege illa fuit, ita

Spiritua-

Spiritualis multò nobilior, & perfectior est in lege gratiæ; ideoque tanta potestate Ordinis, & jurisdictionis donata à Christo, ex quâ Carolus M. omnesque Imperatores, Reges, & Principes Christiani, Episcopos & Sacerdotes ex majestate religionis nostræ venerati sunt.

CAPVT XX.

De cælibatu Sacerdotum.

Multis hanc nobis controversiam tot scriptoribus discussam regerit Nisanius, ut in nullâ re Prædicantes sollicitiores, aut facundiores sunt, quàm pro uxoribus suis, exosi cælibatum omnem in Ecclesia: verùm quàm non ridiculum, quod hunc tractatum suum inscribat de Matrimonio Sacerdotum? qui tamen fatetur de se ac suis: *Sacerdotes propriè dicti, appellari nolumus.* Quid igitur ad te cælibatus Sacerdotum? si propriè Sacerdos non es, sed impropriè, sicut omnes laici? retine igitur tibi tuam uxorem, cum omnibus Lutheranis Prædicantibus, quibus fas est uxores ducere; cùm nec Clerici, nec Sacerdotes consecrati sitis: & relinque Catholicæ Ecclesiæ sollicitudinem de cælibatu Cleri sui. Interim pareamus tibi, & maximè ad Carolum M provocanti: sed priùs cardinem hujus controversiæ, & Ecclesiæ Catholicæ veritatem, paucis præmittamus.

Primò igitur quæstio est, utrumne cælibatus jure divino, an Apostolico sit annexus sacris ordinibus? Quâ in re, ut ipse agnoscis, in fine hujus tui scripti, paucis duntaxat exceptis, Ecclesiasticæ esse legis; quod & Concilium Tridentinum profitetur Sess. 24. c. 9. *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares, castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto; & oppositum nil aliud esse, quàm damnare matrimonium: posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum; anathema sit: cùm Deus id*

 rectè

rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos suprà id, quod possumus, tentari. Hæc de jure Ecclesiastico sententia est D. Thomæ 22.q. 85. art. 11. Soti lib. 7. de justit. q. 6. art. 2. Bellarm. lib. 1. de Cler. c. 8. Azorij p. 1. lib. 13. c. 12. Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 26. Reginaldi lib. 31. Koning de Sacra. disp. 31. Comptoni disp. 101. sect. 2. num. 5. aliorumque: quocirca cum Græcis dispensare licuit, & eorum Clericis, ac Sacerdotibus permittere conjugium, ut cap. *cum olim* de Clericis refertur, quod fieri fas non esset, si juris divini esset.

II. Catholicorum igitur assertio est, cælibatum jure Apostolico quàm æquissimè annexum esse: id quod primò ex ipsis Apostolorum scriptis probant, epist. ad Titum c. 1. ubi præter cæteras dotes Episcopi, Paulus continentiam requirit, 2. ad Timoth. c. 2. *Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus,* quæ magnâ mole, & longâ catenâ matrimonium secum trahit. Accedit, quod in veteri testamento, res sacras tractaturis, continentia ab uxoribus præcepta Exod. 12. Exod. 19. Exod. 28. Reg. 21. Quin 1. Paralip. c. 24. toto tempore quo per vices suas Deo ministrabant Sacerdotes & Levitæ, tenebantur à domo abesse, & ab uxoribus se continere, quanto magis à Sacerdotibus Christianis id exigitur, qui verum Christi corpus consecrando, & offerendo in sacrificium, quotidie manibus suis contrectant: atque hæc sanctorum Patrum ratio cumprimis adfertur. Id cùm apud vos Lutheranos cesset, haud mirum, donum continentiæ vobis à Deo subtrahi.

II. Id tradunt Concilia antiqua ex Orientis Ecclesijs, *Ancyranum* can. 10. ante M CC. annos. *Neocæsariense,* haud multo post, cap. 1. *Presbyter, si uxorem duxerit, ordine suo moveatur. Nicænum I,* quod Oecumenicum fuit, can. 3. interdicit Episcopo, Presbytero, & Diacono, ne domi mulierem ullam habeat, præter matrem, sororem, amitam: nullâ uxoris mentione factâ; quæ primo loco ponenda fuisset. Imò cur Clericis, inquit Bellarminus, cohabitatio mulierum interdicitur, si uxorati esse possint? Nonne uxoribus ancillas habere permissum? cur ergo ista prohibitio? aut cæci Patres, qui in hoc Concilij Nicæni decreto, continentiam Clericorum docent. *Constantinopolitana* Synodus XXII Episcoporum, à Chrysostomo collecta; in qua *Antoninus* Episcopus damnatus, quòd uxorem recepisset ad congressum maritalem. Quâ super re Baronius, ad ann. 400. Idem disces ex *Nicæno* II Concilio, quod Oecumenicum

menicum fuit, & tempore Caroli M celebratum eſt: id Act.7. can.18. quàm ſeverè prohibet; ne qua mulier in Epiſcoporum ædibus, aut Monaſterijs verſetur; imò nec in itinere mulier miniſtret Epiſcopo in hoſpitijs. Accedit ex Eccleſia Africanâ *Carthaginenſe* II, can. 2; ex Eccleſia Gallica, *Arelatenſe* II, can.7. *Turonenſe* I, can.1, & 2, *Turonenſe* II, can.20; ex Hiſpanica Eccleſia *Elibertinum*, can.33, *Toletanum* II, cap. 1, *Toletanum* IV, cap.26, *Toletanum* VIII, c.6.

III. Probant decreta Pontificum, *Clementis I*, qui in canonibus Apoſtolorum, can.27. Lectoribus & Cantoribus tantùm permittit uxores; *Calixti I*, apud Gratianum diſt.27; *Siricij*, Epiſtolâ ad Himericum, c.27; *Innocentij I*, Epiſtolâ ad Victricium, c.9, & Epiſtolâ ad Exuperium, c.1; *Leonis I*, Epiſtolâ 82. ad Anaſtaſium, quâ ſcribit: *ne aut Levitico miniſterio, aut Presbyterali honore, aut Epiſcopali excellentiâ, quisquam idoneus exiſtimetur; qui ſe à voluptate uxoriâ necdum frenaſſe detegitur.* Eadem habet & Epiſtolâ 9. ad Ruſticum Narbonenſem, c.3. *Gregorij I*, Epiſtolâ 2. lib.1, Epiſt.34. lib.3.

IV. Aſſerunt teſtimonia Patrum Græcorum, & Latinorum, quos magno numero ex V. primis Sæculis ſiſtit Bellarminus, & Baronius, Coccius, alijque. Ex Græcis: *Origines*, hom.23. in Num. *Chryſoſt.* hom. 11. de patient. Job; *Gregorius Nyſſenus*, lib. de virg. *Cyrillus*, Catech. 12. *Oecum.* in cap.3. ad 1. ad Timoth, *Syneſius*, Epiſt.105. Ex his unum tantummodò *Epiphanium* *Epiſc.* audiamus: is ad finem operis ita ſcribit: *Sanctum Sacerdotium ex Virginibus ut plurimùm, aut ex Solitarijs, aut, ſi hi ad miniſterium non ſuffecerint, de his, qui ſe à proprijs uxoribus continent: & ſi quis ab initio continens viduus fuerit, habere poteſt locum Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, & Hypodiaconi.* Eadem habet hæreſi 59. Ex Latinis *Cyprianus*, lib. de ſing. Clericorum; *Ambroſ.* lib. de off. c. ult. Epiſt.82. ad Vercell. & in c.1. epiſt.1. ad Timoth. *Gregorius*, lib.6. in c.1. lib.1. Regum; *Greg. Turon.* lib.4. hiſt. c.4. *Iſidorus*, lib.2. de officijs c.5. 8. & 10; *Anſelmus*, Epiſt.4; *Beda*, lib.3. de tabern. c.9. Ex his unum denuo *Hieronymum* audiamus, lib. adverſus Vigilantium hæreticum: *Quid faciunt*, inquit, *Orientis Eccleſiæ? quid Ægypti, & Sedis Apoſtolicæ? quæ aut Virgines Clericos accipiunt, aut continentes; aut ſi uxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt.* Addo *Auguſt.* ſerm.53. ad Frat. in eremo: *Nam ſi conjugium Sacerdotibus prohibetur, quanto magis crimen fornicationis in nobis æſtimabi-*

mabitur? Causam dat in qq. vet. Test. sub finem: *Quia necesse habet Antistes, quotidie vicem Christi agere, aut orare pro populo, aut offerre sacrificium, aut tingere; & non solùm huic concubitus non licet, verùm etiam ministro ejus:* uti omnes Ordines, ab Ostiario & Lectore, ad Sacerdotem ordinantur, ut in sacrificio Missæ sint ministri: idque ob dignitatem, reverentiam, & majestatem corporis Christi, quod offertur, institutum est.

V. Evincunt exempla sanctorum Pontificum, Episcoporum, & Presbyterorum, quos ab Apostolorum ævo, ad nostram ætatem, toto orbe percensemus, quorumque vitas ex historijs possidemus. Quid enim magni & sanctissimi Pontifices Romani? Quid magni & Sancti Episcopi, *Athanasius, Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus, Augustinus, Ambrosius,* alijque innumeri? ullusne in matrimonio vixit Episcopus? aut quem laudatum etiam Presbyterum, Diaconum, Subdiaconum conjugatum proferre poteris? uti ad horum exempla provocat Bellarminus, lib. I. cap. 19. de Clericorum cælibatu, & lib. de judicio concordiæ. Tota hîc antiquitas obsistit Luthero. Amesius Calvinista, cùm ad hoc argumentum respondere non posset, scribit: omnes illos Episcopos & Sacerdotes fuisse hypocritas, qui ex larvatâ sanctitate, continentium vitam sectati sint, quique Encratitarum hæresi accesserint, nuptias damnantium: sed quàm illud impium, & sacrilegum, tam falsum quoque esse, nemo non intelligit.

VI. Quàm hoc falsum Lutheranorum sit dogma de matrimonio Sacerdotum, vel ex eo constat, quod jam olim damnatum in Vigilantio hæretico. Docuit is, oportêre Clericos antequàm Ordines suscipiant, uxores ducere, quòd post sacros Ordines, id facere non liceat. Adversus hunc hæreticum Hieronymus lib. suo exclamat: *Prô nefas! Episcopos sui sceleris dicit habere consortes: si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diaconos, nisi priùs uxores duxerint, nulli cælibi credentes pudicitiam.* Hunc errorem receperunt pòst Episcopi schismatici Concilij Trulliani, circà annum Christi DCC. Cœpit inde hîc mos Græcorum; auctus est tempore Leonis IX, postquàm dissidium Græcorum à Latina Ecclesia in multis alijs fidei articulis increvit: uti constat ex Humberto Cardinali, qui Nicetam Abbatem, hujus perversi moris defensorem, oppugnavit. Retentus interim apud Orientales Ecclesias cælibatus, apud

apud quos antiqui Canones valuerunt, donec ubique ferè per Orientem invalesceret prava Vigilantij doctrina; adeò ut demum Ecclesia Romana in consuetudinem Græcorum consentiret, tanquàm Orientalibus licitam: eo tamen modo ac lege, ut ductis ante Ordines, & Sacerdotium uxoribus, uti liceret in Sacerdotio; nec fas esset unâ uxore mortuâ, aliam ducere: Quemadmodum constat ex cap. *Quæsitum* de pœnitentia. Et quantumvis hæc Clericis & Sacerdotibus Græcis indulta, nunquam tamen Episcopis aut Monachis fas fuit uxores ducere; quod etiamnum servant Græci, & schismatici adeò in Moscovia: inde Episcopos suos ferè deligunt ex Monachis, veteris D. Basilij instituti.

Ex hoc Vigilantij & Græcorum errore, ultrà progressus, primùm Wiclefus Hussitarum parens, docuit apertè, licere etiam post ordinationem ducere uxores Sacerdotibus, teste Thoma Waldensi tomo 2. de Sacramentis c. 128. & 189, tom. 3. c. 66. & 67. Wiclefum posteà secutus Lutherus, Calvinus, Zwinglius, Menno, & omnes per Germaniam heterodoxi. Hos igitur schismaticos & hæreticos, ut in aliis passim, vestræ hujus doctrinæ, vitæque habetis auctores ac patronos.

Age nunc Nifani, primum, quod in tuo scripto lego, pro Sacerdotum conjugio est, provocatio ad Ecclesiam Græcorum: Videamus quâ fide, imò quâ fraude id facias. Græcis non nisi ante matrimonium ductis uxoribus fas erat uti in Sacerdotio; vos Lutherani sacrorum ministri, nullo discrimine jungitis vobis uxores, uti id ante ordinationem, aut post eam, vobis est collibitum. Græcis Sacerdotibus, unâ uxore mortuâ, non licebat aliam ducere; vobis prædicantibus, alia post aliam, & post tertiam, etiam quarta, & quinta, & sexta concessa est uxor. Græcis Sacerdotibus in Concilio *Trullano* præscriptum erat, ne, quando vices suas habebant in Ecclesia, dormiant apud uxores; facitisne hoc vos Prædicantes, & Superintendentes? Græcis, saltem Episcopis, omne matrimonium interdictum est, id quod ad nostram ætatem adhuc servant; quid vos Superintendentes, qui ex nomine & munere Episcopos agitis inter Lutheranos, ex hac lege cum Græcis commune habetis? nihil prorsus: accepto enim munere, nihil priùs vobis, quàm in torum, & mulierum amplexus ruere. Unquamne *Basilius*, *Nazianzenus*, *Chrysostomus*, aut post eos ullus Græcorum Episcopus, visus est procedere cum uxoribus, liberis, & ancillarum grege, ad templum, quemadmodum

vos Superintendentes ſyrma illud muliebre ſequitur? Græci, nunquam Monachis voto continentiæ obſtrictis, matrimonium permiſêre, neque illud hodiedum Monachis fas eſt, quod ex D. Baſilij inſtituto retinent; poſtquàm verò Lutherus, ex monacho doctor novus veſtri Evangelij, auctorque veſtræ Eccleſiæ, monialem ſibi palàm junxit in matrimonium, & ex eâ liberos procreavit; laxata ubique ſunt per Saxoniam cœnobia, & monachis juxta, ac monialibus conjugia permiſſa, & magno ubique cum plauſu inauditæ hæ, & ſacrilegæ nuptiæ ſunt celebratæ; non alio religionis veſtræ fundamento, quàm Joviniani hæreſiarchæ, docentis matrimoniũ Virginitati præſtare: unde Joviniani hâc doctrinâ in vulgus tum ſparſâ, Sanctimoniales quædam in nuptias prolectæ ſunt: quæ tamen hæreſis, ut S. Auguſtinus refert lib. de hæreſibus c.82. tom. 6. *citò oppreſſa, & extincta eſt, nec uſque ad deceptionem aliquorum Sacerdotum potuit pervenire:* huic enim monſtro ſancta Eccleſia, fideliſſimè & fortiſſimè reſtitit. Viden' nunc Niſani, dum ad Græcos appellas, pro Sacerdotum matrimonio, quantum Vigilantij & Græcorum doctrinam, veſtra hæreſis tranſcendat?

Adducis Paphnutium, quòd is publicè in Concilio Nicæno interceſſerit, ne hoc jugum Eccleſiæ miniſtris imponeretur, idque ex Sozomeno, & Socrate probare vis; verùm hoc teſtimonium nihil facit pro Lutheranis: quando uterque ſcriptor fatetur, Paphnutium adieciſſe: Bonum ſibi videri, ut ſecundum antiquos Canones prohibeatur Clericis, ne poſt Ordinationem ullo modo uxores ducant, ac ſolùm permittatur, ut ductis ante Ordinationem uti liceat. Servatiſne illud vos Lutherani ex Paphnutij judicio? Quanquam, ut Bellarminus oſtendit, Sozomeni, & Socratis fides ſuſpecta ſit; quando de Sozomeno Gregorius M. ſcribit, lib.6. Epiſt.31, *multa ipſum mentiri.* Unde veròſimilius eſt, Paphnutium tantùm interceſſiſſe, ne quid Concilium Nicænum graviùs ſtatueret in Clericos. Cætera, quæ hîc attexis ex Alliatio, & alijs, nullius momenti ſunt: quando ultrò largimur, Græcos ex quo per ſchiſma in varias hæreſes prolapſi ſunt, tam contumaciter errores ſuos defendiſſe, quàm acriter oppugnarint Latini. Quæ obſcura, dubia, & obtorta ſunt, illa adfers; & quæ plana, certa, & aperta à Concilijs ac Patribus ſunt aſſerta, illa more tuo tranſilis; atque ita tempora, & loca confundis, ut ubi demum ſis, ipſe non ſcias, niſi quod nuſpiam ſis. Sed nunc quæ inſtituti ſunt maximè, expediamus.

Poſt

Post Græcos appellas ad *Carolum M*, & *Pipini* etiam Patris, & *Carolomanni* Patrui ætatem; atque ipsum *Bonifacium* audes nobis sistere patronum tui erroris. Primò ergo asseris: *Bonifacius Zachariæ Papæ scribit: in Francia, maximâ ex parte, Episcopales sedes laicis, vel adulteratis Clericis, id est, conjugatis traditas esse, apud Nauclerum Generat.25. Et cùm Zacharias, graviter hac super re questus, rescriberet Bonifacio; Bonifacium non fuisse ausum Papæ rescriptum, de cælibatu Sacerdotum, in Concilio proponere; neque ullo verbo cælibatum commendare in Concilijs sub Carolomanno habitis.* Quot tu hîc fallacias, & mendacia, per summam impudentiam congeris! ℞. igitur: D. Bonifacius, ex quo à Gregorio II. Pontifice Episcopus consecratus, & Legatus Apostolicæ Sedis in Germaniam missus est, ad prædicandum Evangelium, & reformandos corruptos Cleri populique mores; ac deinde à Gregorio III. Pontifice in eo munere confirmatus, donatusque potestate novos Episcopatus erigendi, quorum quatuor in Bavaria, tres in Thuringia & Hassia instituti, multa & egregia fecit pro Cleri disciplina restauranda, uti Gregorius III. præscripserat: inter hæc can.5. de judicio Pœnit. *Si quis Pontifex faciens fornicationem, secundùm humaniorem definitionem septem annos pœniteat, Presbyter quinque, Diaconus quatuor, Subdiaconus tres, Clerici, & laici duos, si cum sanctimoniali intelligant adulterium perpetrasse, secundum antiquam constitutionem plus addatur.* Quid hîc censes de connubio Lutheri cum moniali? aut quæ uxor hîc Clericis permissa? Successit *Gregorio III. Zacharias* Pontifex, à quo potestatem convocandi Synodos, quæ ab octoginta annis habitæ non erant, petijt ipse, & Carolomannus, ob corruptissimam Cleri vitam: uti Epistolâ ad Zachariam deplorat. consensit Pontifex, & rescripsit Capitula XXVII, quæ in Synodis proponi & servari voluit. Inter ea cap. XI. sic habet: *Qui Clerici ab uxoribus abstinere debeant, ex Concilio Africano, Capitulo XXXVII. ita continetur: præterea, cùm de quorundam Clericorum, quamvis erga proprias uxores, incontinentia referretur: placuit Episcopos, & Presbyteros, seu Diaconos, secundùm propria statuta, etiam ab uxoribus continere; quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico officio removeantur.* Cap.13. *Quæ forma servetur in Clericis: maximè cùm vetus regula id habeat, ut quisque corruptus baptizatus, Clericus esse voluisset, sponderet se uxorem omnino non ducere.* Exinde Bonifacius tria Episcoporum Concilia habuit; primum Ratisbonæ, vel

næ, vel Augustæ, anno 741. celebratum, in quo Canone VI. ita sancitum: *Statuimus similiter, ut post hanc Synodum, quæ fuit XI. Kal. Maij, quisquis servorum Dei, vel ancillarum Christi, in crimen fornicationis lapsus fuerit, in carcere pœnitentiam faciat in pane & aqua: Et si ordinatus Presbyter sit, duos annos in carcere permaneat, & anteà flagellatus & scorticatus videatur, & pòst Episcopus adaugeat: si autem Clericus, vel Monachus in hoc peccatum inciderit, post tertiam verberationem in carcerem missus, vertente anno ibi pœnitentiam agat: similiter & Nonnæ velatæ, eâdem pœnitentiâ contineantur, & radantur omnes capilli capitis ejus.* Ita Bonifacius in Synodo illâ. Quâ nunc fronte scribere audes? *Bonifacius nullo verbo proponere, aut commendare ausus est cælibatum Cleri, ad Zachariæ Pontificis monita*, qui tam severis pœnis fornicationem castigare audet? Lege Canones ejus Concilij, tom.17. Concil. Pariens. & Serrarium in Moguntina historia. Quid si Bonifacius vidisset hîc Lutherum aliquem Monachum, cum Moniali publicè in sacrilego matrimonio? quâ non pœnâ, putas, comprehensum fuisse? maximè, si ex crimine publicam sacrilegæ vitæ libertatem, atque hæresin fecisset? Alteram subinde Synodum Liptinensem anno 743. celebravit Bonifacius in Gallo-Belgica, in eâque prioris Synodi Canones, communi consensu recepti, & probati sunt, uti id Benedictus Levita exordio libri V. Capitularium refert: *In hoc Synodali conventu, qui congregatus est Kalend. Martij, in loco qui dicitur Liptinæ, omnes venerabiles Sacerdotes Dei, Comites, & Præfecti, prioris Synodi decreta consentientes firmaverunt, seque ea implere velle, & observare promiserunt: & omnis Ecclesiastici ordinis Clerus, Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi cum reliquis, suscipientes antiquorum Patrum Canones, promiserunt se velle Ecclesiasticâ jura, moribus, & vita, doctrinis & ministerio venerari: Abbates verò & Monachi, receperunt regulam S. patris Benedicti. Fornicatores namque & adulteros Clericos, præcepimus inde tollere, etsi post hanc definitionem in crimen fornicationis, vel adulterij ceciderint, prioris Synodi judicium sustineant. Similiter Monachi & Nonnæ.* Tertia Synodus à Bonifacio convocata in Germania fuit, & Moguntiæ celebrata: in qua Clerici hæreticâ pravitate infecti, extra Ecclesiam ejecti, & Episcopi capitalium criminum rei, amoti sunt. Inter hæreticos, principes Clemens & Adalbertus: de quibus supra relatum; inter amotos Episcopos Gervilio, Moguntinæ sedis antistes, ob crimina quædam,

quædam, de quibus Othlonus, & alij, & Ferdinandus Episcopus noster in Monumentis suis. Ea ut Bonifacius audivit, fecit Pipini Regis auctoritas, & Carolomanni ferventissimi Principis, in Synodis præsentia, ut loco moveretur: atque ita D. Bonifacius disciplinam Cleri per totam Germaniam in pristinum statum reposuit, ex quo per bella, & neglectas Synodos exciderat. Quem tu virum sanctissimum ac Martyrem, tot calumnijs & mendacijs laceras; & si à primo fonte hæc requiras, Romanorum Pontificum auctoritati & sollicitudini, hæc Germaniæ restitutio, & gentium conversio debetur: id, quod satis tot Pontificum epistolæ ad Bonifacium, te docere possunt.

Transeamus ad Carolum M, quo Imperatore religio Christiana, & disciplina Cleri, longè florentissima fuit, & Francia, Germaniaque sanctissimis, si unquam, Episcopis ac Sacerdotibus abundavit. Hinc quæ sub patre Pipino Rege, & Carolomanno patruo, à D. Bonifacio in Synodis statuta fuerunt, Carolus M novis etiam Synodorum legibus confirmavit: quas inter, lib. 7. Capitularium cap. 316, idem D. Bonifacij decretum, contra fornicarios Sacerdotes, Monachos, & Sanctimoniales, ijsdem severissimis pœnis confirmatum reperies.

Adhæc Carolus M. ex Concilio *Aquisgranensi*, anno Christi DCCLXXXIX. x. Kal. Aprilis habito, in Capitularis sui edicto, can. 4. secundùm Concilij Nicæni, & Chalcedonensis legem ita sanxit: *In eâdem Synodo interdictum est Presbyteris, & Diaconibus, vel omnibus qui in Clero sunt, mulierem non habere in domo suâ, propter suspicionem, nisi matrem, aut sororem; aut eas tantùm personas, quæ suspicionem subterfugiant.* Eadem lex habetur lib. 1. Capitularium c. 4. Idem in Concilio *Rhemensi* II, quod sub Carolo habitum est anno Christi 813, statuitur can. 22: *Vt à Sacerdotibus omnis suspicio mulierum funditus eradicetur, cum quibus etiam nulla eis habitatio concedatur, præter illam, quæ in Nicæna Synodo permittitur.* In *Moguntino* Concilio sub idem tempus celebrato, can. 49: *Omnibus Clericis, fœminas secum in domibus suis habere, ultra licentiam Canonum, firmiter sit contradictum.*

Ad hanc Concilij Nicæni legem, à Carolo M, & Synodis olim receptam, respondet Nisanius cum suo Joanne Gerhardi, intelligi hoc de mulieribus extraneis, συνάκταις; quæ præter uxorem, matrem, sororem & amitam introducuntur in domos Sacerdotum, & Clericorum.

XX Sed

Sed quis ista frivola non videat? & quærat: cur ergo id Sacerdotibus & Clericis magis prohibetur, quam nobilibus, civibus, & rusticis? si Sacerdotibus æquè liberum est uxores ducere, easq; tempore Concilij Nicæni, & Caroli M habuerint? Imò, cur vos Prædicantes præter uxorem, matrem, & sorores, admittitis ancillas, obstetrices, nutrices, & quasvis fœminas in obsequium familiæ vestræ? quæ monstra fuissent in ædibus Episcoporum, & Sacerdotum, tempore Concilij Nicæni, & Caroli M. Atque ut videas, ipsas uxores Sacerdotibus interdici, lege quæ Carolus lib. 7. Capitularium c. 138. sanciat: Ita enim *Sancitum est de Presbyteris, ut unusquisque Episcopus, tam per se, quàm ministros, vitam & conversationem, morumque emendationem eorum cognoscat, eosque Canonicæ pœnitentiæ subdere non negligat.* Juxta quod in Concilio *Cæsariensi* tit. 1. præscriptum est: *si Presbyter uxorem acceperit, ab ordine deponatur: si verò fornicator fuerit, aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi.* Lib. 7. Capitularium c. 109: *Presbyteri licentiam non habeant fœminas secum habitandi, ut suspiciones fugiant.* Imò lib. 7. Capitularium c. 291, jubentur in hoc antiqui Canones servari, additurque: *si qua mulier indigeat sustentatione Presbyteri, habeat in villa, aut vico domum, longè à Presbyteri conversatione,* ne prætextu inopiæ cohabitet Sacerdoti. Imò lib. 7. c. 16. præscribitur: *Clerici ad viduas continentes, vel ad virgines, nisi ex jussu Episcoporum, vel Presbyterorum non accedant: & hoc non soli faciant, sed cum Conclericis. Nec ipsi Episcopi, vel Presbyteri soli habeant accessum ad hujusmodi fœminas, sed ubi Clerici præsentes sint, aut graves aliqui Christiani.* Id quod in alijs etiam Concilijs Carolinis præscriptum est. Ideoque rursum lib. 7. Capitularium, cap. 353. ex Clericorum regulis mandatur: *Clerici lege Patrum monentur, ut à vulgari vita seclusi, à mundi vanitatibus sese abstineant; convivia publica fugiant, viduarum & virginum visitationes, frequentationesque fugiant; contubernia extranearum fœminarum nullatenus appetant, castimoniam quoque inviolati corporis perpetuò conservare studeant:* Uti hæc in celebri Concilio *Moguntino* can. 10. multis præscribuntur, quod à tribus Archiepiscopis, Hildebaldo Coloniensi, Richolpho Moguntino, & Arnone seu Bernardo, cum provincialibus Episcopis, & Abbatibus celebratum est, approbatumque à Carolo M. Quo tempore communis Clericorum vita, in eodem Concilio habitantium, cumprimis viguit; ut ex

Canone

Canone IX disces, qui sic habet: *In omnibus igitur, quantum humana permittit fragilitas, decrevimus: ut Canonici Clerici, Canonicè vivant; observantes divinæ Scripturæ doctrinam. & documenta sanctorum Patrum, & nihil sine licentia Episcopi sui, vel magistri eorum, compositi agere præsumant, in unoquoque Episcopatu; & ut simul manducent & dormiant, ubi his facultas id faciendi suppetit, & qui de rebus Ecclesiasticis stipendia accipiunt; & in suo claustro maneant, & singulis diebus manè primo ad lectionem veniant, & audiant quod eis imperatur.* Quid hîc ais Nisani? qui nobis omnes Sacerdotes & Clericos ex Caroli ævo uxoratos scribis. Credisne, hos omnes Canonicos & Clericos, cum uxoribus & liberis, convenisse quotidie in unam domum & mensam? singulos in suis *cellis* cum hac sarcina uxorum & liberorum, inclusos habitasse? Næ tu nimium insanis, si vel hoc ulli sanæ mentis homini persuadere velis.

Interim opponis I, ex Capitularium libro 7. caput 93: *Si Sacerdotes plures uxores habuerint, vel sanguinem Christianorum vel paganorum fuderint, aut Canonibus obviaverint, Sacerdotio priventur: quia deteriores sunt sæcularibus.* Ex quibus infers, cum Joanne Gerhardi tuo: ergo de jure saltem Sacerdotibus una uxor permissa fuit. ℞. Hæc referri ex corruptissimo illo per Germaniam sæculo, de quo D. Bonifacius, Epistolâ ad Zachariam Pontificem, pro reformatione Cleri scripsit: *Modò autem*, inquit, *maximâ ex parte, per civitates, Episcopales sedes traditæ sunt laicis cupidis ad possidendum, vel adulteratis Clericis, scortatoribus, & publicanis sæculariter adperfruendum*; tum de ijs Episcopis, ut ipse exponit: *qui vel venatores, & qui pugnant in exercitu armati, & effundunt propriâ manu sanguinem hominum, sive paganorum sive Christianorum.* Utrumque D. Bonifacius, per Synodos Episcoporum, auctoritate Pontificis & Pipini Regis, & cumprimis Carolomanni, Caroli M. patrui, damnavit & correxit: Ac dum laicos scribit Episcopatu donatos, & Episcopos egisse, facilè quis intelligit adulteria cum alia uxore. Quod verò ne una quidem uxor permissa sit Sacerdotibus, discere poteras ex Synodi Ratisbonensis decretis supra allatis, & severissimis in fornicarios pœnis, ex can. 6. ejus Concilij relatis. His nimirum adulterorum, sacrilegorum, & fornicatorum Sacerdotum exemplis, debetis fulcire causam vestræ religionis, ex quo Lutherus scortatorum famosissimus, vestalem sibi Virginem copulavit, & ex Sanctimonialibus fecit matres; ut S. Au-

 gustinus

gustinus in illud psalm. 49. *Cum adulteris portionem tuam ponebas*, de Donatistis olim dixit, Monachusque hanc libidinis januam aperuit.

Opponis II Canonem X Concilij *Moguntini* de Clericis : *Castimoniam quoque inviolati corporis, perpetuò conservare studeant*; *aut certè unius matrimonij vinculo fœderentur*. ℞. Hæc postrema verba non haberi in Concilio editionis Parisiensis; tametsi in Capitularium libro 7.c.353, & in Concilio Aquisgranensi sub Ludovico Pio can.100, addita reperiam; sed nullum in his causæ vestræ patrocinium, quando hîc sensus est: ut Clerici aut Virgines deligantur, aut qui unius uxoris, id est, *monogami* fuerint: quales etiamnum ad Sacerdotium complures ubique admittuntur. Nec aliud *Isidorus lib.2, & Gratianus c. His igitur dist. 23*, dixerunt. Et quomodo *castimoniam inviolati corporis perpetuò servabunt Clerici*, si cum uxoribus quotidie misceantur? tam hebes es, ut ex ipsis Concilij verbis, te non corrigas; aut non advertas, quemadmodum idem Concilium, *can.49*, Clericis omnem fœminarum cohabitationem, secundùm Canones prohibeat.

Adducis III Concilium *Wormatiense*, quod *canone IX* decernit in hæc verba: *Placuit, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, abstineant se à conjugibus, & non generent filios: quod si hoc decretum violaverint, honore Clericatus pellantur*. Nihil clariùs pro Catholicorum sententia adferre poteras; & tu tamen, ut Lutheranum facias Concilium, dicis: id non de omnibus Clericis intelligi debere, sed ijs tantùm, qui cùm ordinantur, voto cælibatûs se obstringunt. Næ tu mirus interpres es Conciliorum, ac SS. Patrum! Quo auctore, quo Theologo id doces? Quasi verò obligatio continentiæ Sacerdotibus, & Diaconis, & Subdiaconis etiam, antiquissima non fuerit in Ecclesia, ob votum castitatis ijs ordinibus annexum; ut constat ex Concilijs, & Patribus: etsi non ex jure divino, certè Ecclesiastico. Et si tua valeat interpretatio, omnibus Episcopis, Sacerdotibus, & Diaconis, liberum fuit uxores ducere, modò dum ordinarentur, nollent se ad cælibatum adstringi. Quid ergo tot leges Conciliorum, & pœnæ, quas in Synodis etiam sub Carolomanno, & Carolo M. legis? Quasi verò suscipienti Ordines, sit leges præscribere; & non Ecclesiæ, danti Ordines ex divina & Apostolica auctoritate. Scio equidem, in Concilio Ancyrano referri: *si Diaconus protestetur in ordinatione, nolle se obligari ad cælibatum, potuisse* tum *uxorem ducere*; quod tum

tum sæpe, ob paucitatem Clericorum in Græcis, & ob duritiam cordis permittendum fuit: sed eo casu, ut Bellarminus tradit, censetur Episcopus dispensasse. Cæterùm quod *Carthaginense* Concil. II docet, *can. 2. Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam se ab uxoribus abstineant*; & rationem dat: *ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Id *Wormatiense* Concilium etiam docuit.

Adducis IV Concilium *Aquisgranense*, sub Ludovico Pio celebratum, quod lib. I. *can.* VI de Subdiaconis ita pronuntiat: *Placuit Patribus, ut qui sacra mysteria contrectant, casti, & continentes sint ab uxoribus, & ab omni carnali immunditia liberi; juxta quod illis Propheta dicente jubetur: Mundamini qui fertis vasa Domini.* Quæ tu verba ita obtorques, ut dicas, non hîc continentiam omni tempore præcipi, sed quando sacra mysteria contrectant, & vices suas obeunt; de cætero verò satis esse, ut communem matrimonij continentiam servent. ℞. Nugæ, & somnia tua sunt: Concilium absolutè loquitur, perinde ut de Diaconis decernit: *ut pudici, & continentes sint, & sine macula, ut Episcopi.* Hæc enim interpretatio tua si valeret, possent omnes Episcopi, Sacerdotes, & Presbyteri uxores ducere, modò quando vices suas obeunt, continerent se ab uxoribus: verùm Concilium illud *can.* 100, ijsdem verbis, quibus *Moguntinum*, Clericis *castimoniam inviolati corporis perpetuò*, & non per vices servandam præscribit. Et *can.* 390: *interdixit per omnia Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, non alicui omninò, qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem; nisi fortè, aut matrem, aut sororem, aut amitam, aut eas tantùm personas, quæ suspiciones effugiant.* Viden', ut omnia hæc Concilia, sub Pipino Rege, Carolo M, & Ludovico filio ejus, conspirent ex ijsdem SS. Patrum, & antiquorum Conciliorum legibus, in cælibatum, & castimoniam Sacerdotum? ad quæ non nisi frivola, contorta, falsa, & toties explosa adfers, & exscribis ex *Joanne Gerhardi*, aliisque fallacibus scriptoribus: fontes, id est, ipsa Concilia, & Patres non legisti. Si vel unum hoc Concilium *Aquisgranense* perlegeris, & sincerâ, ut scripta sunt, mente probaris; quæ de Sacerdotio Christianorum, de singulis Clericorum Ordinibus, de Ostiarijs, Lectoribus, Exorcistis, Acolythis, Subdiaconis, Diaconis, Presbyteris, Episcopis; quæ de Canonicorum instituto, & tota Clericorum

vitâ, tam explicatè & eruditè, ex Scriptura, Patribus, & Concilijs tractantur, Lutheranus certè non esses.

Postremùm scribis: indultum, quo Pontifex, & Ecclesia, Græcis Sacerdotibus permittit conjugium, non aliud esse, quàm quo Alcoranum permittit Turcis, vinum etiam permissurus, ubi habuerint. ℞. Ecclesia, quæ habet potestatem ferendi leges, habet & potestatem dispensandi: id si nescias, discas oportet. Luthero tuo hæc conveniunt, qui non aliâ potestate vobis novum illud Evangelium dedit, quàm Mahomet Alcoranum Turcis, contráque legem divinam, Apostolicam, & Ecclesiasticam, non modò Clericis, sed & Monachis, ex concubinis, sacrilegas dedit uxores.

Discussis ijs, quæ ex Carolo attulisti, superest unum argumentum ab exemplo. Nam ut suprà cum Bellarmino, Baronio, alijsque provocavimus, rogavimusque; vel unum nobis dari Episcopum sanctum, aut laudatæ vitæ Sacerdotem, ab ipso Apostolorum ævo, qui conjux simul & Episcopus, aut Sacerdos vixerit in matrimonio, filiosque cum uxore procrearit: ita nunc ex omnibus illis Episcopis, quos Carolus Magnus Saxoniæ imposuit, petimus vel unum proferri, qui, (ut vos Superintendentes & pseudoepiscopi,) uxorem habuerit, & filios procrearit. Nam primi illi Episcopi, SS. Wiho Osnabrugensis, Willehadus Bremensis, Ludgerus Monasteriensis, Hildegrimus Halberstadiensis, Hathumarus Paderbornensis, Hercumbertus Mindensis, Suitbertus Verdensis, Guntherus Hildesiensis, & qui eos in singulis Sedibus consecuti sunt, omnes cælibes, & castissimæ vitæ Episcopi fuerunt, ut singulorum fasti memorant.

Promittis tu quidem multa exempla conjugatorum Clericorum & Sacerdotum, tempore Caroli Magni, ex tuæ sectæ scriptoribus; verùm si omnes hæreticos, ipsumque Crantzium percurras, nullum tu Episcopum, aut Sacerdotem sistes, à Carolo Magno, ad Lutherum, qui publicè, & in facie, ut dicimus, Ecclesiæ, uxorem duxerit. Hoc enim primùm fecit ex Clero, *Carolstadius Archidiaconus*, Lutheri discipulus, antè Magistrum; deinde ipse Lutherus in ædibus Ammerstorfij, Secretarij Electoris. Horum duorum exemplo, Calvinus, Zwinglius, Menno, & omnium hæreticorum novi ministri, unà cum apostatis Sacerdotibus, & Monachis, palàm sibi uxores copularunt: idem Monialibus, Sanctimonialibus, & consecratis Deo virginibus liberum fecêre. Id quàm inauditum erat ante eum diem in Ecclesiâ, tam fœdum erat in Luthero Monacho, vestræ

ſtræ Eccleſiæ fundatore; quod is ruptis ſimul tribus votis Deo factis, cum Moniali contraheret matrimonium. Duo quippe Lutherus caſtitatis vota fecerat Deo, primum in profeſſione Ordinis, alterum in ſuſceptione Sacerdotij; tertium Catharinæ Monialis erat. Hîc ſi tu Carolum Magnum conſulas, quot ille legibus ac pœnis hæc ſacrilega matrimonia damnarit, intelliges profectò, tantum diſcrimen, quantum eſt inter hæreſin, & Apoſtolorum doctrinam.

Opponis, & dicis: multos à Carolo Magno, ad Lutherum, Epiſcopos & Sacerdotes, cum uxoribus vixiſſe. ℞. Triplex hîc genus Sacerdotum ſe offert: Quorum alij ante Epiſcopatum vel Sacerdotium conjugati, ac mortuâ conjuge, ad ſacros Ordines tranſiere; quales ſemper fuerunt in Eccleſia, & hodiedum multi ſunt; alij ex mutuo conſenſu, ſeſe toro conjugum ſeparant, & ad ſtatum continentiæ tranſeunt: ex hoc genere multi etiam Epiſcopi, & Sacerdotes, olim in Eccleſia; verùm nec primi, nec ſecundi generis Sacerdotibus, fas fuit poſt ordinationem, aut reſumere uxores, aut alias ducere, ſed in cælibatu vivere. Tertij generis Epiſcopi & Sacerdotes, qui concubinas admiſêre, quorum deteſtabilis ſemper vita fuit in Eccleſia; tametſi id malum ſæpe in multis locis ita invaluerit, ut nec Pontifices per Epiſcopos, nec Epiſcopi ob Cleri malitiam, & contumaciam, tollere ſtatim potuerint. Quò ſpectant illa, quæ tanto, & tam inani ſtrepitu ſcriptorum producis, de Moguntino, atque alijs Epiſcopis, urgente Gregorio VII Cleri reformationem. Non enim illi Epiſcopi conjugia Cleri probarunt, ſed idem experti ſunt, quod tempore Lutheri, graſſante eodem malo, pati neceſſe fuit; ut quantumvis vellent, perfringere non poſſent. Ob quam cauſam, *Bernhardus Raesfeldius*, Epiſcopus Monaſterienſis, poſt tempora hæreſis veſtræ, etiam ultrò ſe Epiſcopatu abdicavit. Ob hæc Gregorius VII, (quem Catholici inter præſtantiſſimos & ſanctiſſimos Pontifices numerant, ut ſuprà relatum eſt,) tibi execrabilis eſt Pontifex, à quo doctrinam dæmoniorum, in damnatis nuptijs, invectam ſcribis. Sed cui mirum, id à vobis dici, quibus omnes Pontifices Antichriſti ſunt? Quæ præterea de D. Vdalrici Epiſcopi Auguſtani epiſtola adfers, prorſus commenta ſunt, & fabulæ; uti eas non modò Bellarminus, Baronius, alijque, ſed recens etiam Forerus & Erbermannus ita refutarunt, uti tu ex Joanne Gerhardi exſcripſiſti, nempe mendax ex folle mendaciorum.

Scribis poſtremùm, cælibatum in ordinatione Sacerdotum, à Gregorio

gorio VII imperatum esse, & à Calixto per vim obtrusum, circa annum 1219; qui tamen Pontifex jam anno Christi 1124. mortuus erat: (tantus historicus es) quo Pontifice, D. Norbertus acerrimus cælibatus propugnator fuit. Verùm quàm falsum id sit, de introducto demum cælibatu per hæc tempora, id tum ex Concilijs, & Patribus antiquis, tum ex Caroli Magni ætate, jam demonstratum est: neque cætera, quæ adversus cælibatum in speciem profertis, hîc prosequi operæ pretium, cum id abundè præstiterit Bellarminus, alijque innumeri Scriptores: sufficit tuas imposturas cum alijs ex Carolo Magno detexisse, quem tu ex conjugio Sacerdotum approbato, nobis Lutheranum persuadere voluisti. Tantùm hîc recolas velim, quod S. Hieronymus scripsit in Oseam Prophetam: *Difficile est invenire hæreticum hominem, qui castitatem diligat.* Quin inter omnes hæresiarchas, præter Photinum, de quo idem Hieronymus in Chronico, non facile reperies, qui castam vitam duxerit. Inde idem Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem, hunc catalogum hæresiarcharum pertexit: *Simon Magus, hæresin condidit, Helenæ meretricis adjutus auxilio; Nicolaus Antiochenus, omnium immunditiarum repertor, choros duxit fœmineos; Marcion Romam præmisit mulierem; Montanus immundi Spiritus prædicator, multas Ecclesias, per Priscam, & Maximillam, auro corrupit; deinde hæresi polluit; Arius, ut orbem deciperet, sororem Principis ante decepit; Donatus, Luciliæ opibus adjutus est. In Hispania Agape Elpidium mulier cæca, cæcum duxit: Nunc quoque mysterium iniquitatis operatur, duplex sexus utrumque supplantat.* Tales, Vigilantius, Helvidius, Jovinianus, & omnes ad Lutherum hæreseôn auctores. Tales Lutherus, Calvinus, Zwinglius, Menno, cæterique vel apostatæ monachi, vel Sacerdotes, mulierum libidinibus noti, uti hos apud Florimundum Remondum, de origine hæreseôn, aliosque leges. Igitur tot novarum religionum auctores, nostro sæculo, & tot novæ religiones. Ullusne harum auctor sine uxore? aut ulla Ecclesia nova, quæ ministros continentes & castos habeat, uti Catholica Ecclesia, Christi sponsa? quales nostri Patroni, Christus, Apostoli, discipuli Christi & Apostolorum, Conciliorum Patres, Episcopi, & Sacerdotes, quos ab Apostolorum ævo ad hæc tempora, ex omnibus retrò sæculis Christi Ecclesia exhibet. Extra eam, donum illud continentiæ, nulla unquam carnalis hæresis, vel in Episcopis, vel Sacerdotibus, vel Clericis, vel consecratis Deo virginibus, monstrare potest.

CAPUT XXI.

CAPVT XXI.

De Monachorum instituto.

NIsanius, ac passim Lutherani, cæterique heterodoxi, *cœnobia* Monachorum, ex instituto suo non aliud esse volunt, quàm *scholas* ludosque puerorum, & seminaria, in quibus literas, linguas, & artes Reipublicæ Ecclesiæque necessarias, doceant Monachi. Hoc instituto, Carolum Magnum quoque tot fundasse monasteria, asserit Nisanius, cum Mutio, Hospiniano, Bruschio, Aventino, Joanne Gerhardi, & quotquot in hanc rem ex Sacramentarijs, Calvinistis, & rabulis scriptorum colligere potuit. Addere poterat Augustanam confessionem suam, quæ *art. de votis*, docet: *Augustini tempore, monasteria erant libera collegia, postea corruptâ disciplinâ, ubique addita sunt vota, ut tanquam excogitato carcere disciplina restitueretur.* Addere poterat Melanchthonem in Apologia ejusdem articuli: *Olim Monasteria scholæ erant doctrinæ Christianæ, nunc degenerarunt, velut ab aureo sæculo in ferreum, & locupletissima quæque Monasteria, tantùm alunt otiosam turbam, quæ falsò religionis prætextu, helluatur de publicis eleemosynis.* Ejusmodi calumniarum, & mendaciorum plaustra ubique in scriptis vestrorum reperias. Hæc novi vestri Evangelij doctrina est, ex quo Lutherus primùm Monachi habitum exuit, Monialem sibi copulavit, laxatisque claustris, omnes Monachos & Moniales à votis absolvit, & verbo, scripto, exemploque, omnes Monachos & Moniales, obstupescente Orbe ad insaniam facti, ad nuptias invitavit. Expendamus ordine paucis singula.

I. Originem Monachorum, heterodoxi plerique referunt ad quartum sæculum, quorum primi auctores fuerint, Antonius, Macarius, ac similes: ita Magdenb. cent. 4, Melanchthon in Apol. ad art. 27, Calvinus lib. 4. instit. Contrà Patres, Joannem Baptistam, Monachorum & Eremitarum principem fuisse scribunt: *Nazianzenus* orat. in Basil. *Basilius* ipse, *Chrysostomus* hom. I. in Marcum, *Hieronymus* ad Eustoch. de

 virginit.

virginit. *Cassianus* coll.18. c.6. Isidorus libro secundo de divinis off. c.15. *Bernardus* serm. de excell. S. Joan. Bapt. *Sozomenus* lib.1. hist. c.12. Planè D. *Athanasius* in vita D. Antonij scribit: *ante Antonium non fuisse quidem Eremitas, sed tamen Monachos.* Ex quo conficitur, ante annum Christi CCC fuisse Monachos.

II. Damasus in vita Dionysij Papæ scribit, Dionysium ex Monacho ad Pontificatum fuisse assumptum: sedit autem Dionysius Romæ anno Christi CCLXVI, ut ex chron. Eusebij constat; ergo ante annum CCC fuere Monachi.

III. Tertullianus librum de velandis virginibus, & post eum D. Cyprianus Episcopus & Martyr, de habitu virginum scripsit; uterque verò de religiosis & consecratis Deo virginibus. Quid enim illud Tertulliani? *O sacrilegæ manus, quæ dicatum Deo habitum detrahere potuerunt? quid pejus aliquis persecutor fecisset?* Et infra: *Nupsisti Christo, illi tradidisti carnem tuam.* Similia habet Cyprianus. Quale hoc judicium sit de Luthero Monacho, & Moniali, in sacrilegas nuptias convenientibus, satis intelligis, opinor.

IV. Dionysius Areopagita, Tertulliano & Cypriano antiquior, quippe D. Pauli discipulus, epistolam scribit ad Demophilum Monachum, & lib. Eccles. Hierarchiæ, c.6, prolixè explicat monasticæ professionis formam.

V. Philo Judæus, disertus & probus scriptor, lib. de vita contemplativa, describit vitam & mores Monachorum ac sacrarum virginum, quos S. Marcus Evangelista in Ægypto instituit, eoque in libro apertè professionem continentiæ, & paupertatis asserit, ac de Christianis eum scribere testatur Eusebius lib.2. hist. c.16, Epiphanius hær. 29. Ita verò institutum Monachorum, ad ipsa Apostolorum & discipulorum Christi tempora referri vides: eoque magis id verum, quòd Apostoli perfectionem vitæ religiosæ & Monasticæ docuerint; id cùm ex paupertatis, castitatis, & obedientiæ doctrinâ Apostolicâ, tum ex vitâ Christianorum illorum, qui omnia communia habuerunt, constat, Act. 1. c.5. De quibus Augustinus lib. 17. de Civit. Dei c. 4: *Hoc votum potentissimi voverant.* Typus horum in veteri Test. *Nazaræi*, eorumque vota, Num. 6. Elias, Elisæus, Rechabitæ, Jerem. 35.

Jam verò ab anno Christi CCC, totum orbem Christianum Mo-

nachis;

nachis, & Eremitis fuisse repletum, usque ad Carolum M, testantur Basilij, Athanasij, Chrysostomi, Augustini, omniumque Patrum libri, laudibus Monasticæ vitæ pleni. Angliam deinde ab Augustino Monacho, ejusque socijs, quos D. Gregorius miserat, ad Christi fidem fuisse conversam, testatur Bonifacius epistolâ ad Zachariam Pontificem: *Ecclesia*, inquit, *in qua natus & nutritus fui, id est, transmarina Saxonia, quæ imprimis à discipulis S. Gregorij, id est, Augustino, Laurentio, Justo, Mellito, Archiepiscopis, constituta & ordinata fuit, me docuit.* Ex Anglia deinde S. Willibrordus, Suibertus, & alij, post eos, innumeri Apostolici viri, quorum plerique Monachi fuerunt, in Frisiam, Saxoniam, & Germaniam venerunt, & primi Christianam fidem docuere barbaros nostræ gentis homines. Id cùm negare non possis; Respondes primùm cum Wittakero hæretico: *Ad Anglos quidem Augustinus, ipse Monachus, etsi bona multa attulit, nonnulla tamen etiam mala advexit, & superstitiosa.* Deinde, ex tuâ crisi adijcis: *Monachi quidem illi fuerunt, sed Pontificiam potiùs, quàm Christianam doctrinam tradiderunt.* O te inflatum *Prædicantem!* qui ita de Sanctissimis illis viris judicas. *Pharisæum* hîc aliquem loqui audio; & *hircum* libidinis, de castissimis Episcopis & Sacerdotibus, ferre sententiam. Imò quæ hæc amentia vestra? quasi verò Pontificia doctrina unquam alia fuisset, quàm Catholica; aut unquam ante Lutherum profugum monachum alia vera Christi doctrina, per Apostolicos, & sanctissimos viros, in has regiones importata fuisset, præter eam, quam nunc hæreditariam possidemus. Somnia hæc, & deliramenta vestra sunt, toties explosa.

Carolus M. exinde, ut ad hæc tempora descendamus, uti totum Franciæ regnum, Monachorum & Sanctimonialium Cœnobijs, Francorum Regum liberalitate repletum adijt; ita præter Episcopatus, & collegia à se fundata, multis Cœnobijs Monachorum, cumprimis D. Benedicti mirificè auxit: passimque tradunt tot ab eo Monasteria condita, quot in alphabeto sunt elementa literarum, quibus ordine singula insignivit. Certiùs Monasteria à Carolo fundata, recenset Floriacensis magno numero; nec facilè Regem Francorum reperies, qui liberalitate in Monachos *Carolum* supergressus sit; nec Synodum proferes ab eo habitam, in quâ non Abbates consederint post Episcopos: uti ex Moguntinâ Synodo constat, quæ in Synodis tres hominum classes convenisse tradit; Epi-

ſcopos, Abbates,& regni Proceres. Indè nulla Synodus, in qua non ſimul actum ſit de Monachorum diſciplina, aut conſervandâ, aut reſtaurandâ; nec Carolus regni,& Eccleſiæ incolumitatem, in alio potiùs habuit,quàm in diſciplina Cleri,Monachorum,& populi. Hinc ex monaſterijs multos delegit Epiſcopos,quos populo præficeret;ex Monaſterijs delegit viros Apoſtolicos, per quos barbaras gentes ad Chriſti fidem converteret. Teſtis eſt B.Sturmio Abbas Fuldenſis,quem cum Monachis in noſtram diœceſim introduxit; teſtes innumeri alij, quos ex Monaſterijs delegit Legatos,aulæ comites,conſiliorum arbitros,Synodorum judices,animarum Paſtores,Monaſteriorum novorum Patres,apud Deum deprecatores, qui pro ſalute Eccleſiæ, Regni, & familiæ regiæ, noctu diuque orarent. Hoc vitæ genus tam antiquum, tam ſanctum, tam illuſtre,& fructuoſum Eccleſiæ,vos primùm ex Saxonia, & Eccleſijs veſtris ejeciſtis,ex quo Lutherus deſertor, Monachus eſſe deſijt, & poſt ſacrilegas nuptias omnia ſacra profanaque evertere cœpit. Candidè, & verè S. Auguſtinus ad Hipponenſem plebem: *Simpliciter fateor caritati veſtræ coram Domino Deo noſtro, qui teſtis eſt ſuper animam meam, ex quo Deo ſervire cœpi, quomodo difficile expertus ſum meliores, quàm qui in Monaſterijs profecerunt, ita non ſum expertus pejores, quàm qui in Monaſterijs ceciderunt. Nolite ergo propter amurcam, quâ oculi veſtri offenduntur, torcularia deteſtari.*

II. Nunc ipſum inſtitutum Monachorum, quale & quotuplex ſit, videamus: nec alia hîc Catholicorum ſententia, quàm quod religioſa vita ſit *ſtatus hominum ad perfectionem Chriſtianam, per paupertatis, caſtitatis,& obedientiæ vota, tendentium.* Hæc illa nimirum ſumma perfectio Chriſtianæ vitæ, in Scriptura toties commendata. Hi gradus ſupra præcepta, ad perfectiſſimum amorem Dei, in Monachis & religioſis: quando per obedientiam Deo animam, per caſtitatem corpus, per paupertatem externa bona Deo offerunt, ut impedimenta omnia divini amoris removeant. Ut *enim radix omnium malorum eſt cupiditas*, 1. ad Timoth. 6, ita radix omnium bonorum victoria hujus pravæ cupiditatis. Hæc illa *conſilia Evangelica*, quæ Chriſtus, & Apoſtoli commendant, & quibus Monachi & Religioſi ſe per vota Deo obſtringunt. Quâ ſuper re unus hîc Bellarmini liber de conſilijs Evangelicis ſatis eſſe poterit, præter tot Scripturæ interpretes, tot Theologos, & Aſceticos ſcriptores.

O ſi

O si scires donum Dei! inquit Christus ad Samaritanam: sed *difficile* est, inquit S. Hieronymus, *invenire hæreticum castum. Animalis homo non percipit ea, qui sunt Spiritûs Dei:* Quales omnes hæresiarchas fuisse constat, amore mulierum ebrios, excœcatosque. Et quid mirum, eorum discipulos diversum sentire de castitate & perfectione Christianâ? Aut Lutheranos tam infestos esse huic instituto Monachorum? quando Lutherus desertor ejus instituti, tam fœda, ac spurca scripsit & docuit, qualia in nullo hæresiarcha propè legeris. Nam hæc ejus apophthegmata, & dogmata sunt: *mulieres non nisi ad matrimoniũ creatas esse;* ut jam nulli adultæ libera sit virginitas. *Mulierem conjugatam coram Deo meliorem esse virgine. Primam Ecclesiam ignorasse votum continentiæ. Christum nullibi consuluisse virginitatem. Mulierem tam necessariam esse viro, quàm necessarius sit cibus & potus. D. Benedictum, Bernardum, Franciscum, Dominicum, & omnes Monachorum parentes, impios fuisse homines, qui Ecclesiam superstitionibus implerint.* Idem de S. Augustino, ejusque instituto, ex quo Ordine Lutherus apostata fuit, dicat necesse est. Sed quod D. Augustini de his apostatis judicium? lib. de bono perseverantiæ, c.15: *Fuit quidam in nostro Monasterio, qui corripientibus fratribus, usque adeò profecit in malum, ut desertâ Monasterij societate, fieret canis reversus ad vomitum suum, & tamen adhuc qualis futurus sit, incertum est.* Eodem libro: *Alius ex munere Dei majus aliquid vovit; statuit nec nuptias pati: qui non damnaretur, si duxisset uxorem; post votum, quod Deo promisit, si duxerit uxorem, damnabitur: cum hoc faciat, quod ille, qui non promiserat. Sic virgo, quæ si nuberet, non peccaret; Sanctimonialis, si nupserit, adultera reputabitur: Respexit enim retro de loco quo accesserat: Vovete & reddite Domino Deo vestro.* In psal.75. *Unusquisque Deo quod vovit, si respicit retrorsum, malum est. Nescio quæ Castimonialis nubere voluit. Quid voluit? quod & virgo qualibet. Quid voluit? quod & mater ipsius. aliquid mali voluit? mali planè. Quare? Quia jam voverat Domino suo. Quid enim de talibus Apostolus? Quid de ijs quæ voverunt, & non reddiderunt? habentes inquit damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Voverunt, & non reddiderunt. Nemo ergo positus in Monasterio frater dicat: recedo de Monasterio, quia non soli in Monasterio perventuri sunt ad regnum cœlorum. Respondetur ei: sed illi non voverunt. tu vovisti, tu retrò respexisti.* Et quæ Augustinus passim de votis Monachorum & Monialium. Quid dictu-

dictum fuisse credas, de Lutheri matrimonio, in quod Monachus & Sanctimonialis convenerunt, triplici sacrilegio rei?

Jam verò ipsum Augustinum Monasteria instituisse, testis est Possidonius in ejus vita c.5: *Factus Presbyter, Monasterium intra Ecclesiam suam instituit, & cum Dei servis vivere cœpit secundùm modum, & regulam sub sanctis Apostolis constitutum; maximè ut nemo quicquam proprium in illâ societate haberet, sed eis omnia essent communia.* Idem scribit Augustinus Epist 89. ad Hilarium, lib 3. contra Petilianum Donatistam c.4: *Deinceps perrexit ore maledicto Petilianus, in vituperationem Monasteriorum & Monachorum, arguens etiam me, quod hoc vitæ genus à me fuerit institutum.* Cui nunc fidem meam committam? Augustino conditori Monachorum, an Luthero dissipatori? Augustinus scribit: *nunquam se meliores vidisse, quàm qui in Monasterijs profecerunt*; Lutherus in c.7. 1. ad Corinth. scribit: *Qui cælibem vitam in Monasterijs ducunt, eos omnes idolo Moloch sua corpora consecrare & cremare.*

III. Monachorum religiosæ vitæ institutum, triplex potissimum est. Unum eorum, qui profitentur *vitã contemplativam*; ex quo alij sequuntur institutũ *S. Antonij*, alij *Pachomij*, alij *Basilij*, alij *Benedicti*, alij *Romualdi*, alij *Brunonis*. Alterum eorum, qui profitentur *vitam activam*, quod in tot formas dividitur, quot sunt opera caritatis, & misericordię corporalia; ex his quidã *militando*, ut *Equites Hierosolymitani*, *S. Jacobi*, *Ordinis Teutonici*. Tertium genus eorũ, qui profitentur *vitam mixtam*: ex his quidam sequuntur regulã D. *Augustini*, quidam S. *Dominici*, quidam S. *Francisci*, alij *Patrum Societatis*, conditore D. *Ignatio*, quod institutum, ut in vita ejus ab Ecclesia probatâ legis, *Luthero*, ejusq; temporis hæreticis objectum est. His ergo tribus modis, uti Deum diligere, eique servire, & perfectionem sectari, laudabile semper fuit; ita triplex hoc religiosæ vitæ institutum, in Ecclesia incredibili semper religionis bono floruit.

His positis, quæritur: an Monasteria Monachorum ex primo suo instituto scholæ, & liberalium artium seminaria, collegiáque fuerint? Id quod *Augustana confessio*, *Melanchthon* in Apologia, *Nisanius* cum suis novatoribus obtendit. Respondet *Bellarminus* lib. 2. de Monachis, c. 6. Negando; eò quòd *Basilius*, *Cassianus*, *Hieronymus*, *Augustinus*, alijque veteres, qui de institutis Monachorum scripserunt, nullam hujus muneris mentionem faciant; sed tantùm orationis, jejuniorum, psalmodiæ,

conti-

continentiæ, obedientiæ, ac paupertatis. Interim scribit Christophorus Browerus lib. 1. Antiq. Fuldensium c. 9. postquàm D. Benedicti familia sacra, in Germania, Galliaque Francorum Imperio efflorescere cœpit, ad novarum gentium populorumque conversionem, non modò apud Clericos probatæ vitæ, sed etiam in Monasterijs, ludos literarum apertos fuisse, in quibus juventus Christianis moribus, & literis imbuta fuit; idque subsidium caritatis, maximè in Germania & Saxonia, poscebat religio Christiana: quando per id tempus & raræ scholæ erant, & Christi fides inter barbaros plantanda erat. Hinc illa Caroli Magni sollicitudo, & decreta de scholis per Episcopia, & Monasteria instaurandis: uti passim ex libris Capitularium, & Synodis constat. Eò spectat illa Caroli M. epistola, quæ ex genere Encyclicarum est, ad Baugolfum Fuldensem Abbatem, de scholis per Episcopia & Monasteria instaurandis: leges eam tom. 20. Concil. Parisiensium. Verùm, ut rectè observat Browerus, scholæ hæ Monachorum duplices erant: Aliæ exteriores, in quibus magnatum, nobilium, & ingenuorum filij formabantur: Aliæ interiores, in quibus juventus Deo dicata, unà cum Monachis incolis & advenis, ad cultum sapientiæ, ac sacræ Scripturæ, solebat erudiri. Hæ in vita B. Notkeri apud Canisium tom. V. Antiq. Lectionum: *Scholæ claustri dicuntur, ubi Monachici habitus pueri instituebantur.* Pòst ubi puerorum scholis rigor sanctitatis enervari, & disciplina laxari cœpit, tempore etiam suo scribit Petrus Damianus, *in Cassino desijsse.* Uti jam sub Ludovico Pio, in Collatione Abbatum Aquisgrani habitâ additione I. c. 4. statutum erat: *ut non alia in Monasterio schola puerorum aperiatur, quàm eorum, qui oblati sint, id est, qui Deo in religione consecrati sunt.* Tantum abest, ut Monasteria ex primario suo instituto, *scholæ & gymnasia literarum* fuerint. Quod & Browerus ob id inter somnia novatorum retulit.

IV. Superest, quia pro instituto Monachorum ad Carolum appellasti, ad Carolum te revocemus. Non hîc repetam, quæ à D. Bonifacio in Concilio Ratisbonensi, & Liptinensi, tam severis pœnis cap. 6. constituta sunt, adversus Monachos voti castitatis violatores; quæ lex etiam à Carolo recepta lib. 5. Capitularium, & toties sancitur. Pauca hîc tantùm sistam ex ipsis Caroli Magni legibus, lib. 1. Capitularium cap. 73. *Omnes ubique, qui se voto Monachicæ vitæ obstrinxerunt, Monachicè & regulariter, omnimodis secundùm votum suum vivant; secundùm quod scriptum*

ptum est: Vota vestra reddite Domino Deo vestro. Rursus: Melius est non vovere, quam vovere & non reddere c.106. *De his qui sacris virginibus se sociant ita in decretis Papæ Gelasij capitulo XX. continetur: virginibus sacris temerè se quosdam sociare cognovimus, & post dicatum Deo propositum, incesta fœdera, sacrilegaque miscere; quos protinus æquum est à sacrâ communione detrudi, & nisi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi.* Capitularium lib.5.c.232: *Si quis rapuerit, vel sollicitaverit, vel corruperit religiosam fœminam, bona amborum Ecclesia vindicet, in qua talis mulier habitavit; ipsi tamē capitali periculo subijciantur* Lib.6. Capitularium c.139. *Quicunque post sanctæ religionis professionem apostatarit, & ad sæculum redierit, communionem penitus non accipiat.* Cap.308. eodem libro: *Nullus, sicut Canones Ecclesiastici prohibent, Deo devotam virginem, nullus sub religionis habitu consistentem, sive viduitatis continentiam professam, accipiat in matrimonium.* Pœna additur: *ut separati à se exilio perpetuo relegentur, nec quoad vixerint, excusentur.* Cap.311, quàm sincerè, & planè Carolus in hæc verba sanxit? *Jubemus omnes scire, omnibusque populis Sacerdotes prædicare, atque sub pœna sacrilegij denuntiare, quantum malum, & quàm maximum sit flagitium, cum Deo devotis fœminis, viduis, vel virginibus, sive cum velatis, sive cum Deo devotis, maximèque cum Sanctimonialibus, & sacratis Deo virginibus, vel viduis, tam in Monasterijs, quàm extra, commisceri: Nam hoc peccatum duplex esse, non dubium est. Ut verbi gratia dicamus; cujus vindictæ reus sit puer ante Dominum suum, qui uxorem Domini sui adulterio violaverit? quanto magis ille, qui sponsam Christi Creatoris cæli, & terræ, putredine suæ libidinis commaculaverit? Dicente B. Apostolo Paulo: An nescitis, quia corpora vestra templa sunt Spiritus Sancti? & alibi: Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Ita Caroli lex. Idem Carolus alijs in legibus toties repetit. Quæso, dum hæc legis, (si tamen legisti,) quid cogitas de *Luthero* tuo, & *moniali* ejus, quacum ex contracto sacrilegè matrimonio, ad mortem usque vixit, & liberos suscepit? Hunc tu *apostatam monachum*, ubique *beatum* vocas, quem Carolus M. cum ejusmodi *sacrilegis* inter *filios perditionis* reijcit. Certè in hoc Lutheranus non fuit Carolus, quod tu ubique falsò tuis persuadere conaris.

Hîc si ex Synodis Carolinis, Episcoporum, Abbatum, Sacerdotum, & omni-

& omnium regni Francici Procerum sententiam adjungamus, haud aliud audies, de Monachorum instituto, de votis religiosis, & disciplinâ. In Concilio *Francofurtensi*, can. 13: *Abbas cum suis Monachis dormiat secundùm regulam S. Benedicti.* Can. 24: *Clerici, & Monachi in suo proposito maneant.* Can. 32: *Monasteria secundùm canonicam institutionem sint custodita.* In Synodo seu Capitulari Aquisgranensi, ex Concilio Chalcedonensi præscribitur: *Loca quæ semel Deo dedicata sunt, maneant perpetuò Monasteria, nec possint ultra fieri secularium habitacula.* Can. 40. ex *Concilio Africano* c. 21: præcipitur: *ut virgines Deo sacratæ, à gravioribus personis, diligenti custodiâ serventur.* Can. 73: *Omnes ubicunque, qui se voto Monachicæ vitæ constrinxerunt, Monachicè, & regulariter omnimodis secundùm votum suum vivant, secundùm quod scriptum est: vota vestra reddite Domino Deo vestro.* In *Moguntino* can. 11: *Abbates cum suis Monachis, secundùm Regulam, & doctrinam S. Benedicti vivant.* Idem can. 13. Abbatissæ cum Sanctimonialibus præscribitur can. 20: *Claustrum firmum habeant, in quo salvari possint animæ.* Ita in Concilio *Rhemensi, Cabilonensi, Turonensi, Arelatensi*, & quinque illis Concilijs, quæ Carolus sub exitum vitæ congregari voluit, de *Monachorum & Sanctimonialium* disciplinâ statutum leges: nec Synodum sub Carolo Magno facilè reperies, in quâ non Abbates convenerint cum Episcopis, & de *Monachorum moribus*, & instituto sancitum sit; ut Capitularia Caroli Ecclesiastica, & Conciliorum Epitomen, ab Hadriano acceptam, hîc omittam. Neque ijs in Synodis alia fere statuta sunt, quàm quæ ab antiquis Concilijs, & Patribus, & Monachorum Patriarchis, jam ante præscripta erant: quibus sanctissimum illud institutum saluberrimis legibus præmunitum est: ut vel ex hoc, instituti hujus antiquitatem, eamque quam Carolus, consentiente religione cum antiqua Ecclesia, coluerit, facilè discas. Atque ut discrimen etiam inter Moniales & Canonissas agnoscas, & Canonissarum institutum à Caroli etiam ætate recognoscatur, *Moguntinum* Concilium sisto. Ita enim can. 13: *Abbatissas cum Sanctimonialibus omnino rectè, & justè vivere censemus. Quæ vero professionem sanctæ regulæ Benedicti fecerunt, regulariter vivant; si autem Canonicæ, vivant pleniter, & sub diligenti cura custodiam habeant, & in claustris permaneant.* In Concilio *Cabilonensi*, quod sub idem tempus, Caroli Magni voluntate convocatum, ita de his c. 53: *Libuit*

buit huic sacro conventui, quasdam admonitiunculas breviter eis Sanctimonialibus scribere, quæ se Canonicas vocant. His deinde regulæ præscribuntur in eo Concilio. Quod deinde institutum Canonissarum, in Concilio Aquisgranensi sub Ludovico Pio, plenius formatum; ut canone 3. profitentur Patres ejus Concilij, se in unam regulam Canonicorum, & Canonicarum congerere, & servandam tradere. Compone nunc Lutheri doctrinam, cum Caroli Magni; & Lutheranæ vestræ Ecclesiæ judicium, cum Catholicæ Ecclesiæ judicio: quando vestrum non est aliud, quàm instituto Monachorum, novum religionis cultum, contra Evangelij doctrinam, contra Dei præcepta, contra perfectionem Christianam, contra justitiam legis, supra vires humanas introduci, & innumeris traditionibus humanis pias hominum mentes, supra Pharisaicas leges onerari. Et quæ non in hanc rem mendaciorum plaustra à vobis congeruntur? Anum aliquam excucullatam, & apostatam monachum quiritantem te audire credas. Ex quibus non aliud conficitur, quàm omnia Concilia, omnes Pontifices, omnes Episcopos, Patres, omnes Ordinum Fundatores, viros illos sanctissimos, unà cum Carolo Magno, cum Episcopis, & Ecclesiæ doctoribus, & Sacerdotibus, unà cum religiosis viris & virginibus, ad *Lutherum* usque delirasse. Et si hæc deliria non sint vestræ Ecclesiæ, ego certè non video, quid deliria sint. Quanquam insitum veriùs odium dixero, quod cum omnibus *antiquis hæreticis* vobis commune est. Nam quo furore *Ariani* debacchati sint in Monachos, leges apud *Ruffinum lib. 11. hist. c. 3*; quo *Donatistæ*, leges apud *Augustinum in psalm. 132*, & *lib. adversus Petilianum*; quo *iconomachi* cum *Copronymo* suo Imperatore, leges in Concilio *Nicæno* II & apud historicos eorum temporum. Verè apud magnum *Anastasium*, *Antonius* prolocutus est: *Omnes quidem Christianos Diabolus odit, sed probos Monachos, Christique virgines, tolerare nullo modo potest.*

CAPUT XXII.

CAPVT XXII.

De immunitate Ecclesiastica, et bonis Ecclesiæ.

GRassatur per omnia Nisanius, nec aliud hîc agit, quàm quod ubique agit, calumniando nimirum, nihilque interim probando, nihil definiendo. *Immunitas*, inquit, *& Clericorum exemptio, ex superba Pontificum sententia profluxit.* Nec aliud adversus hanc exemptionem adfert, quàm quod scribat: inter ipsos Catholicos non convenire, utrumne juris divini, an humani sit? Et quare non utriusque simul? Quam in rem, ex utrâque parte, ingentem scriptorum turbam adfert. Quid his opus? admittimus ultrò id inter Catholicos controversum esse, uti auctores hosce dissentientes Suarez lib. II. de immunit. alijque Canonistæ recitant. Sed non ita dissident, ut vobis Lutheranis accedant, qui exemptionem Clericorum proscribitis; nec ita dissident, ut non plerique etiam conciliari possint.

I. Igitur Clericos quoad personam suam, in causis Ecclesiasticis, quarum cognitio ex fide Christiana & sacris legibus pendet, liberos esse à potestate sæcularium Principum, nulli Catholico dubium est. Tum quia potestas jurisdictionis spiritualis, & regimen Ecclesiasticum, distincta sunt à sæculari regimine, uti supra assertum est; tum quia gubernatio suprema Ecclesiæ commissa est Petro & Apostolis, unde ad Pontifices & Episcopos, ex Apostolica successione, pervenit. Et cui dubium, hæc non esse ad jus divinum referenda, qui utramque potestatem sæcularem & politicam distinctam agnoscit? Quin adeò, si Apostolus 1. Cor. 6, noluit civiles Christianorum lites deferri ad judicium Gentilium, quanto minus Ecclesiasticas? Hoc illud Constantini Magni, Theodosij, aliorumque Christianorum Imperatorum, qui causas Clericorum, & Sacerdotum ad Episcoporum judicia remisere. Hoc illud est, quod ubique in Caroli constitutionibus, Capitularium libris, & Synodis legis. Tantam

tam turbam ſcriptorum nobis adfert *Niſanius, Gerhardinus compilator*, quare hic nihil ex Carolo Magno, quem ubique ſuæ cauſæ patronum eſſe vult?

Carolum ergo adeamus. Is Lib. 5. c. 237: *ſancitum eſt, ut nullus Epiſcopum, aut Sacerdotem, vel Clericum, apud judices publicos accuſare præſumat, ſed apud Epiſcopos.* Lib. 6. Capitularium c. 109: *Clerici non ſæcularibus judicibus, ſed Epiſcopali audientiæ reſerventur; fas enim non eſt, ut divini muneris miniſtri, temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio.* Cap. 116. ejuſdem libri: *Conſecratio, Epiſcopos, & reliquos Dominos Sacerdotes, tam à ſervilibus, quàm & à cæteris adſcriptis conditionibus, ſemper liberos facit. Idcirco præcipimus, ut nullus ab eis alia niſi divina requirat ſervitia.* Libro eodem c. 292: *Præcipimus, ut privilegia, quæ Eccleſijs & Clericis ſunt conceſſa, maneant incorrupta.* Lib. 6. Capitularium c. 287: *Si quæ cauſæ, & contentiones inter Clericos & laicos, tam majoris Ordinis, quàm inferioris fuerint exortæ, placuit, ut ſecundùm Synodum Nicænam, congregatis omnibus ejuſdem provinciæ Epiſcopis, jurgium terminetur.* Et quis ſingula Caroli decreta, pro exemptione Clericorum percenſeat? Hinc toties legis, cauſas Clericorum & Sacerdotum referri ad judicium Epiſcopi, Epiſcoporum verò cauſas ad Metropolitanum, aut Pontificem. Huc ſpectant ea, quæ de appellatione ad ſedem Apoſtolicam retulimus. Nullibi leges, cauſas Eccleſiaſticas à Carolo remitti ad ſæculare judicium, quas ne ipſe quidem ſibi cum Conſtantino Magno, & aliorum Imperatorum exemplo, ſumere auſus fuit. Et quò vos Prædicantes receditis? qui cum liberi eſſe poſſetis in Eccleſia Catholica, à Luthero ſubjecti eſtis civili poteſtati: ut jam in Magiſtratu quilibet civis, ſive mercator ille ſit, ſive textor & ſutor, de vobis judicet. His tamen non obſtat, quin Clerici teneantur leges illas civiles ſervare, quæ ſacris Canonibus aut officio Clericali non repugnent: pars enim Reipublicæ ſunt Clerici. Ex his enim Reipubl. turbatio oriretur, ſecus ſi fieret, ut rectè ex Baptiſta Fragoſo adducis; ſed hæc quoad vim directivam intelliguntur, quando ob ipſam transgreſſionem à ſæculari Magiſtratu judicari non poſſunt. Quâ ſuper re vide Theologos & Canonum Doctores.

II. Similiter bona Clericorum libera ſunt à tributis & exactionibus Principum ſæcularium, ut conſtat ex Concil. *Lateran.* ſub *Alexand. III* c. 19, & ſub *Innocentio III* c. 46, ex cap. *Eccleſia,* de conſtit. c. *Quanquam,*

quam, de censibus; item L. *sancimus* C. de *Ecclesijs*, id plerique vestrûm agnoscunt; quanquam ante constitutionem Justiniani velint Clericos tantùm immunes fuisse à tributis personalibus, non à realibus. Carolus Magnus, cùm aliàs sæpe, tum lib. 5. Capitularium c.18: *Prædia Ecclesiæ, cum subjectis hominibus immunitate fruantur.* Lib.6. *Capitularium* cap. 283: *Privilegia, quæ olim reverentiâ religionis obtinuit Ecclesia, mutilare etiam sub pœnæ interminatione prohibemus.* Præclara hâc super re Caroli epistola ad Pipinum filium Italiæ Regem, ut jura & privilegia Ecclesiarum integra & defensa servet, lib. 6. c.110. c.112. c.113. c.320. Similia passim de immunitate Ecclesiarum in Capitularium libris, tom. 20. Concil. Paris. fol. 272, in Caroli Magni capitulis Ecclesiast. quod & tit. 1. de Episcoporum honore & potestate præscribit, eadem in omnibus Francorum Regum legibus ac diplomatis reperias, ut supervacaneum sit hîc immorari.

His igitur omissis, tota quæstio à te mota in eo versatur, utrúmne jure *humano* tantùm, quod hîc certum est, sed etiam *divino* & *naturali*, Clericorum exemptio sit introducta? Bellarminum hîc perstringis, quem non capis, aut non legisti: is, tametsi primâ editione, juri humano adscripserit hanc exemptionem, cum D. Thomâ, atque alijs; pòst tamen apertiùs juri simul *divino* attribuit. Ejus hæc propositio lib. 1. de Clericis c.28: *Exemptio Clericorum in rebus politicis, tum quoad personas, tum quoad bona, introducta est jure humano, pariter & jure divino.* Quod tamen explicat, ut dicat: per jus divinum non intelligere se præceptum Dei propriè dictum, seu positivum divinum, strictè sumptum; sed totum deductum per exempla, & testimonia sacræ Scripturæ: Deum videlicet voluisse talem exemptionem statui. Inter hæc verò Scripturæ testimonia sunt, *Num.* 1. c.3, ubi Deus non semel, sed sæpius, Levitas propriè suos dicit; & soli Pontifici subjectos esse voluit. *Gen.* 47. Joseph Patriarcha exemit Sacerdotes Ægypti, *Esdræ* 1. c.7, Artaxerxes exemit Sacerdotes Israëliticos. *Matth.* 17. Christus: *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? à filijs an alienis?* Respondet Simon: *ab alienis. Ergo*, inquit Christus, *liberi sunt filij.* Probat deinde ex Concilio *Tridentino*, quod *sess.* 25. *de reform. cap.* 20. sic ait: *Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum immunitas, Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus instituta est.* Id, quod ex Concilio *Lateranensi* sub

Leone X. celebrato, & Concilio Colonienſi, alijſque confirmat, quæ juri divino & humano hanc exemptionem attribuunt. Capite deinde 29. Bellarminus tradit ex jure *divino naturali:* ſicut & Suarez eruditè lib. 4. *de immunit. Eccleſ. cap. 9*; ut jam jus *Canonicum*, quod hanc exemptionem determinavit, complementum ſit juris *divini*. Hinc facilè Theologos & Juriſperitos conciliari, ſcribit Bellarminus: nam qui negant eſſe juris *divini*, id de expreſſo jure intelligunt; & qui affirmant, id dicunt, quod Theologi, qui ab exemplis, & Scripturæ teſtimonijs, & jure *naturali* deducunt. Et quantam tu hîc rerum molem ex confuſo cerebro verſas? ſi quid dignum agere velis *Superintendentis* & *Licentiati Theologiæ* nomine, ordine refelle Bellarminum, aut Suarez, aut alium aliquem Theologum. Imò diſcas primùm, quomodo illi ex Concilijs, ex Pontificum decretis, ex Patrum ſententijs, ex jure *Canonico* & *Civili*, ex rationibus evincant immunitatem Eccleſiaſticam; aut ſaltem oſtende, in quo Carolus Magnus huic juri deroget. Demum expone tuam, & Lutheranorum ſententiam, quæ non eſt alia opinor, quàm *Marſilij* de Padua, *Janduni, Calvini*, & omnium hæreticorum, immunitatem Eccleſiæ proſcribentium: ut jam *mercenarij* ſitis, & *ſervi* civilium Magiſtratuum, qui *liberi* in Eccleſia *filij* eſſe poteratis. Multum Lutherus libertati veſtræ conſuluit, & plus quàm ullus Pontifex, hoc uno duntaxat excepto. Quanquam dum uxores vobis permiſit, non alia vos magnopere privilegia deſideratis.

Nunc quod reſtat, ex ipſis bonis Eccleſiæ, atque ex ipſo te *Carolo* Magno convincamus. Scribis, ſecundùm Canones Conciliorum, bona Eccleſiæ, oblationes, & reditus in quatuor partes fuiſſe diſpartitos; quorum prima Epiſcopis, ſecunda Clericis, tertia pauperibus, viduis, & virginibus egenis, quarta fabricæ, & ſacris ædificijs ſit adſcripta. Hæc bene, uti hæc in Concilio *Romano* à *Sylveſtro*, & *Gelaſio*, alijſque Pontificibus præſcripta ſunt. Quin teſte *Baronio*, nulla ſanctio tam frequens, atque iſta, iterata eſt. Idem reperias in *Capitulari Gregorij II.* Pontificis c.5, D. *Bonifacio* commendatum. *tom.17. Concil. Pariſienſ.* Inde paſſim ab *Aurelianenſi* I. c.5, alijsque Concilijs receptum. Hanc quoque partitionem bonorum, legas à *Carolo Magno*, lib. 7. *Capitularium c. 290*, conſtitutam, & à *Ludovico Pio lib. 4. additionum c. 38.* probatam. Verùm ubi Epiſcopi, ubi Clerici apud vos, inter quos duæ partes diſtribuendæ? ubi

virgines

virgines Deo consecratæ, quæ in partem pauperum veniunt? Nam, quod pro dote earum virginum, quæ matrimonio jungendæ erant, pars ex bonis Ecclesiæ tantùm seposita fuerit, ut tu scribis, non reperio.

Sed nunc aliud multo digniùs quæramus; Nimirum, quid sint bona Ecclesiæ? Hic si *Caroli Magni* judicium audiamus, *Lib.* statim *primo Capitularium cap. 83.* pronuntiat: *Juxta Sanctorum Patrum traditionem novimus, res Ecclesiæ, vota esse fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum. Quæ non solum habita conservare, verùm etiam multa Deo opitulante conferre optamus.* Idem de his judicium populi Christiani, in supplici libello ad Carolum Magnum pro Episcopis: *Scimus enim res Ecclesiæ Deo esse sacratas; scimus esse oblationes fidelium, & pretia peccatorum; scimus, si quis inde aufert, quid agit, nisi sacrilegum?* uti hæc *Ferdinandus Episcopus & Princeps* noster, in *Monumentis Paderbornensibus* etiam retulit. Multis hæc *tom. 20. Concil. Paris.* exponit supplicatio populi. Idem judicium in Concilio *Aquisgranensi can. 116,* ubi ijsdem verbis hoc statuitur. Ita jam ante passim hæc D. Prosperi sententia, legis instar & oraculi recepta ab Ecclesiis, quemadmodum & in variis Conciliis legitur.

Pergamus ultrà, quæramusque; an bona Ecclesiæ semel oblata, donatáque possint dividi, abalienari, transverti in profanum usum, & in possessiones sæcularium transire? nam ex quo novum Lutheri Evangelium sonuit, ac vi armisque per Saxoniam, & Germaniam invaluit, vidimus tot Episcopatus à *Carolo Magno* conditos, transisse in sæcularium Principum possessiones, ac demũ in Principatus; vidimus tot collegia Canonicorum, profanis impleta hominibus; vidimus tot Cœnobia monachorum, tot sanctimonialium Monasteria, tot sacrarum Virginum Claustra, aut eversa, aut ejectis sacris hominibus, bona cessisse laicis. Quid verò *Carolus Magnus*, citato legis capite subjungit? *Statuimus*, videlicet, *ut neque nostris, neque filiorum, & Deo dispensante, successorum nostrorum temporibus, qui nostram vel progenitorum nostrorum voluntatem, vel exemplum imitari voluerint, ullam penitus divisionem, aut jacturam patiantur.* Sed planiùs audiamus loquentem *Carolum*, c. 31. eodem libro: *Loca, quæ semel Deo consecrata sunt, ut monasteria sint, maneant perpetuò Monasteria; nec possint ultrà fieri sæcularium habitacula: Lib. 2. Capitularium c. 29,* severâ Imperatorum lege sancitur, ne bona Ecclesiæ, Xenodochiorum, Nosocomiorum, Orphanotrophiorum, Monasteriorum, Monachorum & San-

& Sanctimonialium, abalienentur: *Tabellionem qui talia interdicta instrumenta conscripsit, perpetuo exilio tradi oportet; Magistratus, qui eadem instrumenta admiserunt, non solùm Magistratu, sed dignitate etiam & facultatibus suis cedant.* Idque ex Leoninâ constitutione se præscribere profitetur Carolus, *lib. 5. Capitularium c. 119. Si quis Ecclesiasticam rem tenet, & admonitus judicium declinaverit, quoad usq; discutionem veniat, aut rem restituat Ecclesiasticam, à communione privetur.* Eodem lib. c. 233: *Nemini Regum, aut cuiquam hominum, in proprium liceat Monasterium tradere, vel commutare, vel quocunque commento vendere. Hoc etiam divina, & Apostolica, atque Canonica, sub anathematis pœna, sanxit auctoritas.* Vides, ut hæc *Carolus M.* etiam ad divinam, & Apostolicam legem referat? Lib. 6. c. 134. *Ne cui liceat, vel facultates Ecclesijs, aut Monasterijs, vel Xenodochijs, pro quacunque eleemosyna cum justitia delegatas retentare, alienare, atque subtrahere: Quod si quis fecerit, tanquam necator pauperum, antiquorum Canonum sententijs constrictus, ab Ecclesiæ liminibus excludatur.* c. 84. *Qui fidelium oblationes ab Ecclesijs, vel à jure Sacerdotum auferunt, vel ablatas accipiunt, non solum aliena vota disrumpunt, sed sacrilegium operantur: quia Ecclesiæ aliquid fraudare, vel auferre, sacrilegium à majoribus approbatur.* Lib. eodem c. 295: *Sacrilegi sunt Ecclesiæ prædones.* Unde & in Concilio *Agathensi* XIIII. cap. decretum habetur: *Amico quicquam rapere, furtum est; Ecclesiæ verò fraudari, vel abstrahi surripiq;, sacrilegium.* Lib. eodem c. 296: *Ea quæ Domino offeruntur vel consecrantur, ad jus pertinent Sacerdotum; & sacrilegi sunt omnes, qui ea auferunt, vel in aliud transferunt.* Lib. eodem c. 302, ex sententia D. Augustini & Hieronymi, *Fures & sacrilegos pronuntiat, quotquot res Ecclesiæ diripiunt, vastant, invadunt, vexant.* C. 305. *Omnia quæ Domino offeruntur, procul dubio Domino consecrantur: non solum sacrificia, quæ à Sacerdotibus super altare Domino consecrantur, oblationes fidelium dicuntur; sed quæcunque ei à fidelibus offeruntur, sive in mancipijs, sive in agris, vineis, sylvis, pratis, aquis, aquarumque decursibus, libris, utensilibus, mobilibus & immobilibus, offeruntur. Hæc,* deinde inquit, *Regi Regum, & Domino dominantium auferre, alienare, subripere, vel vastare, sacrilegium est.* Illud verò quod c. 321. præscribit Carolus, quàm non Christiani Imperatoris est? *Omnibus,* inquit, *nos ipsos corrigentes, posterisque nostris exemplum dantes, generaliter interdicimus: ut nullus laicus homo, Imperator vel Rex,* aut

aut aliquis Præfectorum vel Comitum, sæculari potestate fultus, sibi per violentiam rapiat, aut à nobis competere, vel quocunq; modo invadere præsumat Monasterium, aut prædia, vel quascunq; res, de potestate Episcopi, vel Abbatis, aut Abbatissæ; & incipiat ipse vice Abbatis regere, & habere sub se Monachos, & pecuniam possidere, quæ fuit Christi sanguine comparata. Talem hominem antiqui Patres nominabant raptorē, & sacrilegum, & homicidam pauperū, & lupum diaboli, intrantē in ovile Christi, & maximè anathematis vinculo damnandū, ante tribunal Christi. Hæc Carolus: atq; utinam hæc vocis tuba insonaret in omnium Saxonum aures, quando illis non ignotum, Saxoniam à Carolo M, conditis primis Episcopatibus, dotatis parochiarum Ecclesijs, institutis Canonicorum collegijs, Monachorumq; cœnobijs, ad Christi fidem perductam esse. Eadem in selectis Caroli capitulis & tot Synodis Carolinis, & *libro 7. Capitulariū* pari rigore decreta reperies. Obstitit enim fortissimè Carolus, ne vel præfectis militiæ, vel Comitibus, vel Advocatis Episcoporum, quicquam permitteret ex bonis Ecclesiæ: aut si quid vellent obtinere, id ab Episcopis peterent, *qui rerum Ecclesiasticarum, in omnibus juxta sanctorum Canonum sanctiones, plenam semper habeant potestatem*, ut disces ex cap. 188. lib. 7. Capitularium. His enim inhiantibus aliquando, & petentibus respondit in hæc verba: *Satius enim nobis est, regnum non habere terrenum, quàm æternum perdere. Plus verò me credo Deum posse per Sanctorum suorum merita adjuvare, quàm omnem militiam sæcularem.* Digna profectò tanta Imperatore vox! Quæ utinam omnium Regum, & Principum aures personaret, & mentes conscientiamq; penetraret, quibus regna & *regio* ante *religionem*. Nihil hîc attinet memorare execrationes adversus raptores bonorum ecclesiasticorum, quæ passim in diplomatis Cæsarum, & tabulis fundatorum, ab ipsis etiam SS. Episcopis adjectæ leguntur, provocando ad *Divinum judicium & vindictam:* Quales DD. *Remigij, Ludgeri, Altfridi*, aliorumq sanctissimorum Episcoporum sunt. Quæ licet nunc contemnantur, rideanturque, suum tamen æquissimum quandoque vindicem habebunt, qui *exsurgat, & judicet caussam suam.*

Habes nunc mentem, & judicium *Caroli* M. de bonis Ecclesiæ. Quid dicturū credis, si nunc Saxoniam ex vestro novo evangelio aspiceret deformatam? quid *Ludovicum Pium*, & omnes ex eâ familia ad *Arnulphum*, Imperatores & Reges? quid Ottonem M. & omnes ab eo Cęsares, Reges, Duces, Principes, Comites? tot Episcopatuum, Collegiorum, Cœnobiorum

rum utriusque sexus fundatores? Quàm diversus nunc à Carolo M. religionis status aspectusque! Non ego *Principes* incuso, sed *novi* vestri *evangelij magistros*, qui hæc libera primùm fecerunt, ex quo Lutherus Principes primum dulcedine bonorum Ecclesiasticorum, Clerum & Sacerdotes concessis uxoribus, populum libertate vitæ cepit, & decepit.

Redi nunc mecum, à calce hujus libri, ad caput ejus, & recole quantam stragẽ, quantamq; ruinam hęresis vestra, vel ex hoc uno controversię capite, de *Sacerdotio*, per Saxoniam Germaniamq; ediderit: nam postquã Lutherus *novum* illud *ministerium* verbi, abrogato *vero* religionis *Sacerdotio* introduxit, sublata est in Ecclesia vestra omnis potestas *Ordinis* & *Jurisdictionis sacra*, simulq; sublatum est *verum* religionis *Sacrificium*, & immolationis hostia, omniaq; sacramenta, & gratiarũ dona, quæ à potestate *Ordinis* & Jurisdictionis sacræ dependent, (ut proximo libro pluribus ostendemus:) sublata est cum Jurisdictione, vera quoq; potestas docendi, quæ in ordinariâ missione consistit: & quod consequens est, à depravatis Ecclesiæ ministris, non aliud, quàm depravatum verbum Dei docetur; abrupta est Apostolica successio, sublata est Hierarchia Ecclesiæ, & pulcherrimus ille ac divinissimus ordo administrandi Ecclesiam; sublatus est Clerus, & Cleri disciplina; sublata sunt privilegia Cleri, omnisque immunitas; sublata sunt bona Ecclesiæ, & in prõfanũ usum conversa, turbata sunt collegia Sacerdotum; soluta Cœnobia religiosorum hominũ; defraudati fundatores, totumq; Christi patrimonium dissipatum jacet inter manus laicorum hominum. Μανίαν ἐν οἴκῳ κυρίȣ κατέπηξαν O qualem *insaniam in domo Dei confixerunt!* Verbo absolvam: ex quo sublatum Sacerdotium ex Ecclesia vestra, & à Luthero novum illud Ministeriũ verbi introductum est, omnia sursum ac deorsum versa sunt; neque ipsum quidem Sacerdotij nomen relictum. Interim vobis Lutherus instaurator doctrinæ, restaurator disciplinæ, conditor Ecclesiæ vestræ. At misera Christi vinea! quam in hunc modum, & in hanc, quam diximus, vastitatem, *exterminavit aper de sylva, & singularis* ille *ferus depastus est*, psalm. 79. Illud interim certum habeas, quod Apostolico spiritu scripsit S. Cypr. Episcopus ac Martyr, lib. 1. Epist. 48: *Unus Deus est, & Christus unus est, & Ecclesia & Cathedra una, supra Petram domini voce fundata; aliud altare constitui, aut Sacerdotium novum fieri, præter unum altare, & unum Sacerdotium, non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit. Adulterium est, impiũ est, sacrilegũ est, quodcunq; humano furore constituitur, ut dispositio divina violetur.*

LIBER III.

LIBER III.

DE SACRIFICIO, ET SACRAMENTIS CHRISTIANÆ RELIGIONIS.

POsteaquàm libro primo actum est de *Ecclesia*, egimus libro secundo de *Sacerdotio*; eò, quòd vera *Christi Ecclesia*, sine vero *Christi Sacerdotio* esse non possit: seu, ut D. Thomas *Commentario in Epistolam D. Petri* scripsit: *Ecclesia in Sacerdotio subsistat.* Consequitur nunc, ut de *Sacrificio*, & *Sacramentis* Christianæ Religionis, pro instituto ordine agamus: propterea, quòd horum administrationem ac procurationem Christus ex collata potestate sacrâ Ordinis, & Jurisdictionis penes Sacerdotes esse voluerit. Hinc Christi in cælis supremique secundum Ordinem Melchisedech Sacerdotis vicarium in terris munus gerunt, vocanturque ejus Ministri, & dispensatores. Juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 4. *sic nos existimet homo, ut Ministros Dei, & dispensatores mysteriorum Dei.* Sacramenris autem præmitto Sacrificium, quod id proprium & primarium sit Sacerdotis munus teste eodem Apostolo ad Hebr. c. 5. *Omnis Pontifex ab hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia.* Hæc enim duo, Sacerdotium & Sacrificium in omni statu legis Naturæ, Mosaicæ, & Gratiæ generaliter loquendo ita connexa fuerunt, ut Sacrificium non ab alio, quam à Sacerdote legitimè offerri potuerit, nec aliter etiam Sacerdotes lu-

mine naturæ inter omnes gentes instituti sunt, quam ad Sacrificia: Inde hæc mutua semper relatio inter Sacerdotem & Sacrificium, quæ inter Patrem & filium, servum & Dominum. Et ratio est, quia Sacrificium est præstantissimus actus religionis, ac cultus Divini, quo Deo cultus Latriæ ab hominibus defertur, ad quod munus ob hæc aliqui semper ab omnibus gentibus peculiariter delecti deputatiq; fuerunt Sacerdotes: Et sacer hic Magistratus apud omnes nationes quantumvis barbaras institutus fuit: hinc & templa fanaque constructa, altaria erecta, hostiæ immolatæ, sive veræ illæ, sive falsæ etiam fuerint, quemadmodum Augustin. Epist. 49. q.3. *Qui Christianas literas utriusque Testamenti sciunt, non hoc culpant in sacrilegis ritibus paganorum, quod construant templa, & instituant Sacerdotia, & faciant Sacrificia; sed quod hæc idolis & dæmonijs exhibeant.* Quippe ut idem Augustinus: *Nulla est religio seu vera seu falsa, quæ non visibilium signaculorum consortio colligata fuerit.* Inter quæ signacula, & cultus divini cærimonias primum semper fuit Sacrificium, donec nostrâ demum ætate contra naturæ lumen, contraque omnem legis statum, & divinam ordinationem, hæresis verum ac propriè dictum Sacerdotium, & Sacrificium Religionis, ex suis Ecclesijs proscriberet, & *Iuge Sacrificium*, Danielis cap. 11. & 12, quod ipse Anti-Christus interdicturus quidem, non tamen aboliturus sit, idipsi jam tanquam Anti-Christi prodromi, inter suos abolere cœperunt.

CAPUT I.

CAPVT I.

Sacrificium Christianæ religionis.

INter heterodoxos qui Sacrificium tollunt, Nifanius primùm ſcribit: *nos Lutherani neque Sacerdotes propriè dicti ſumus, neque appellari volumus:* quo dicto nihil verius in toto libro ſuo ſcripſit Nifanius, & quod conſequens eſt, nullum etiam propriè Sacrificium apud Lutheranos eſſe poteſt. Secundò ſcribit: *ex primis ſex poſt Chriſtum ſæculis oſtendi non poſſe, quod actio Miſſatica fuerit verum ac propriè dictum Sacrificium;* quemadmodum & Canonem Miſſæ, & totum illum ſacrum apparatum nunquã in uſu fuiſſe primis illis ſæculis profitetur. Tertiò inquit: *ſacram Cœnam Papiſtæ primum converterunt in Sacrificium;* idque cœpiſſe dicit, poſtquam abrogato Ambroſiano ritu celebrandi, Miſſa Gregorij Magni minis & ſupplicijs obtrudi cœpit, maximè in Hiſpania. Inde totus invehitur in Miſſas privatas. Quot dicta, tot mendacia. expediamus ordine ſingula, & ab ipsâ inſtitutione, eſſentia Sacrificij, origine, & inſtitutione Chriſti ordiamur.

I. *Sacrificium eſt actus externus & præſtantiſſimus religionis, continens ſupremum Latriæ cultum ſolique Deo debitum:* Cujus *materia* eſt res ſenſibilis ſive externa, quæ Deo offertur; *forma* conſiſtit in deſtructione, vel mutatione rei oblatæ; *locus* in quo fit, altare; *finis* recognitio ſeu proteſtatio ſupremi Dominij quod Deus in nos habet, & ſimul noſtræ ſubjectionis & ſervitutis erga Deum. Alius deinde finis eſſe poteſt vel gratiarum actio, vel novorum beneficiorum impetratio, vel expiatio pro peccatis. Ex hoc quadruplici fine diſtingui ſolet, 1. in Latreuticum, 2. in Euchariſticum, 3. in Impetratorium, 4. in Propitiatorium. Hunc in modum docet S. Auguſtinus epiſt. 49. *Sacrificium cum exhibetur Deo, ſecundùm veram ejus inſpirationem, & doctrinam, vera religio eſt.* Unde planius definit Suarez: *Sacrificium eſt oblatio externa, facta ſoli Deo, quâ ad agnitionem humanæ infirmitatis, & profeſſionem divinæ majeſtatis, à legitimo*

gitimo ministro, res aliqua sensibilis, & permanens ritu mystico consecratur, & transmutatur. In hunc modum cæteri Theologi Sacrificium nobis tradunt, & multis explicant, quos longum referre. Mihi verbo hæc indicare necesse fuit, ut intelligeres quid sit Missæ Sacrificium, quod tu contemptim actionem Missaticam cum suo apparatu vocas. Est enim excellentissimus religionis actus, quo cultus Latriæ soli Deo debitus defertur. Ideo in statu naturæ divinâ inspiratione edocta sunt Sacrificia, in lege Mosaica, lege divinâ ordinatius præscripta, inter omnes gentes lumine naturæ cognita; ac postremùm in lege Gratiæ unicum illud Sacrificium religionis in Corpore & Sanguine Christi institutum, oblatumque toto orbe Christiano: donec vestra demum hæresis post Wiclefum hæresiarcham abrogaret. Et cui mirum? quando hanc abrogationem non ab alio, quam à diabolo se fatetur hausisse Lutherus in libro, quem ipse de abroganda Missa, & unctione Sacerdotum scripsit. Nunc singula explicatius accipe.

II. Sacrificium, quod in hunc modum nobis describitur, fuit in omni legis statu; atq; ut triplex Sacerdotium religionis, pro triplici legis statu nobis Scriptura tradit: ita triplex quoq; Sacrificium. Quorũ primùm legis naturæ cum Adamo cœpit: quale duo fratres Abel & Cain obtulere Gen. 4. uti id Apostol. ad Hebr. c. 11, explanat: *fide plurimã hostiam Abel, quam Cain, obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est, esse justus.* Post diluvium primus Noë Sacrificium obtulit, Gen. 8 *Ædificavit Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare.* Tria deinde Abrahæ Sacrificia leguntur Gen. 12. Gen. 15. & Gen. 22. de quibus interpretes. Isaac similiter Sacrificiũ obtulit Gen. 26. Jacob sæpius legitur obtulisse Gen. 31. 33. 35. bis in eodem loco Bethel, Gen. 46. Obtulit & Job Sacrificium, Job c. 1. De horum Sacrificijs interpretes cum Bellarm. Becan. & alijs. Celeberrimum verò in hoc statu Sacrificium Melchisedech, de quo Moyses Gen. 14. *At vero Melchisedech Rex Salem, proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi:* Verum autem Sacerdotem fuisse confirmat Apostol. Hebr. 7. *Hic enim Melchisedech Rex Salem & Sacerdos Dei summi.* Hunc deinde Melchisedech, Christi ejusque Sacrificij incruenti figuram gessisse, Propheta David psalm. 109. docet: *Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Planius Apostolus ad Hebr. c. 7. *Si ergo consummatio per*

Sacerdo-

Sacerdotium Leviticum erat, quid adhuc necessarium fuit, secundum ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem? Tum Patres unâ consensione: Clemens Alexand. lib. 4. strom. c. 8. Eusebius lib. 4. demonst. Evang. c. 3. Chrysost. Hieron. Epist. ad Marcellam, Ambrosius, Epiph. Arnobius, Theodoretus, Emissenus, Eucharius, alijque apud Bellarminum lib. 1. de Missa c. 6. tam clarè, ut mirum sit, hæreticis dubitandi locum relinqui posse. Ex his Cyprianus lib. 2. Epist. 5. ad Cæcilium: *In Sacerdote Melchisedech,* inquit, *Sacrificij Dominici Sacramentum præfiguratum videmus; secundum quod Scriptura divina testatur, & dicit, Melchisedech protulit panem & vinum.* ac post explicatius subjungit: *Quod autem Melchisedech typum Christi portarit, declarat in psalmis Spiritus S. ex persona Patris ad filium dicens: Tu ex Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Qui ordo utique hic est de Sacrificio illo veniens, & inde descendens, quòd Melchisedech Sacerdos Dei summi fuit, quòd panem & vinum obtulit, quòd Abraham benedixit: Nam quis magis Sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Jesus Christus? qui Sacrificium Deo patri obtulit: & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem.* Quid clarius? His adde, quæ Cyprianus de aqua, quæ in Sacrificio miscetur vino, contra Aquarios scribit. Pari claritate D. Augustinus Epist. 95. ad Innocentium Pontificem: *Melchisedech prolato Sacramento mensæ Dominicæ, novit æternum ejus Sacerdotium figurare.* Et lib. 16. de civit. Dei c. 22. de oblatione Melchisedech: *Ibi,* inquit, *primum apparuit Sacrificium, quod nunc à Christianis offertur Deo totò orbe terrarum.* Lib. 83. quæst. 61. Augustinus inquit: *Dominus noster Jesus Christus, ipse est Sacerdos noster in æternum, secundum ordinem Melchisedech, qui seipsum obtulit Holocaustum pro peccatis nostris, & ejus Sacrificij similitudinem celebrandam in suæ passionis memoriam commendavit; ut illud, quod Melchisedech obtulit Deo, jam per totum orbem terrarum in Christi Ecclesia videamus offerri.* Et hi Patres qui hæc scripserunt primis quinque sæculis, plerique Episcopi & Sacerdotes fuerunt, qui hoc ipsum Sacrificium quotidie obtulerunt. Quàm ergo falsa est tua doctrina, Nifani, dum scribis: *intra sex prima sæcula, in Missatica actione nullum Sacrificium fuisse agnitum*; aut, cœnam primùm tempore Gregorij Magni fuisse commutatam in Sacrificium. Contrà nos à te tuisque exigimus, ut doceas nos: ubi, & quando igitur Christus fuerit

fuerit *Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech ?* aut ubi panem & vinum obtulerit in Sacrificium, si id in ultimâ simul Cœnâ non fecit? Hoc tu, & tui Lutherani nunquam ostenderunt, neque ostendent; nisi Scripturam, & Patres nos fefellisse dicere placeat, ac cum ijs totam Ecclesiam idololatriæ damnare.

III. In statu *legis Mosaicæ* nihil clariùs, quàm Sacrificia propria religionis, quæ Deus cum determinatis, certisque cærimonijs, multo perfectius, sacratiusque præscripsit, ac sibi offerri voluit, quàm in *Lege naturæ* ejusmodi fuêre. I. Sacrificium *agni Paschalis*, paulò ante egressum ex Ægypto institutum, *Exod.12. Levit.23.* Hujus agni immolatio figura fuit Christi in Cruce immolandi. II. *Holocaustum*, *Sacrificium pro peccatis, Hostia pacifica*, de quibus in Levitico. Hoc triplici Sacrificio, figuratum fuit unum Christi & Christianæ religionis Sacrificium; quod omnes differentias legalium Sacrificiorum multo perfectiùs continet. Ita enim S. Leo Pontifex, serm.8. de Pass. Domini: *Nunc enim carnalium Sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum, una Corporis & sanguinis tui implet oblatio.* III. Fuit *juge Sacrificium*, quo jubebantur quotidie offerre duos agnos, alterum manè, alterum vespere, *Exod. 20. Num. 28.* Hoc *juge Sacrificium*, rursus fuit figura *Sacrificij Missæ* in novo Testamento; in quo Christus, qui est agnus sine macula, quotidie offertur. Igitur generatim de his Sacrificijs æstimando, quantum hæc fuere ex institutione divina, ad supremum cultum Latriæ Deoque debitum persolvenvendum ordinata, tantum simul ex dispositione divina ac typo suo instituta fuere ad cruentum, & incruentum Christi Sacrificium, quod typis multo perfectius esse debuit, significandum. Ut enim cætera in lege illâ, ita hæc cumprimis Sacrificia typi & figuræ fuerunt, teste Apost. *ad Corinth.10: Hæc omnia in figuris contingebant illis.* Rursum Hebr.10: *Lex habuit umbram futurorum bonorum, non ipsam rem figuratam,*

IV. Descendendo ad statum *legis Gratiæ*, duplex in eo est Sacrificium, *cruentum*, & *incruentum :* ac cruentum crucis quo Christus in ara crucis oblatus est pro expiatione omnium peccatorum, (quod tamen medium fuit inter utramque legem,) verum fuisse Sacrificium, evidens est ex Scriptura, 1. Cor.5. *Pascha nostrum immolatus est Christus. Eph.5.* Hebr.12. & Joan.2. Explicatè S. Leo Papa in Epist.c.48: *Quod unquam Sacrifi-*

Sacrificium sacratius fuit, quàm quod verus Pontifex altari crucis per immolationem sua carnis imposuit? S. Ambros. lib. 3. de fide c. 5: *Idem Sacerdos, idem & hostia. Sacerdotium tamen & Sacrificium, humana conditionis est officium.* D. Fulgentius lib. de fide, *Solus*, inquit, *Sacerdos, Sacrificium, & templum; & hac omnia Deus secundum rationem servi.* Quibus simul docent Patres, Christum secundùm humanitatem fuisse Sacerdotem. Adversarij, etsi verum *crucis Sacrificium* admittunt, controvertunt tamen alterum, errantque. Ratio est, quia Sacerdos, qui offert Deo Sacrificium, agnoscit illum superiorem, at Christus secundùm divinitatem non agnoscit superiorem; ergo non secundùm divinitatem, sed humanitatem est Sacerdos.

Verùm præter cruentum hoc *Sacrificium crucis*, etiam incruentum *Religionis Sacrificium*, à Christo institutum est, in quo idem Christus quotidie offertur sub specie panis & vini, quæ duo Sacrificia, ob id, quo ad rem oblatam, unum sunt; quando in utroque, una & eadem res oblata est: quo ad modum verò & ritum offerendi, duo sunt; incruentùmque hoc Sacrificium, proprium Religionis est. Nam *cruentum*, non tam Christianæ Religioni proprium, quàm omni legis statui commune fuit: ideoque morte Christi testamentum confirmatum est, ut Apostolus ait, dum vetus Testamentum cum suis Sacrificijs finem acciperet, ut novum inchoaretur, & unâ oblatione consummarentur omnia. Unde Bellarminus docet, hoc *cruentum Sacrificium* Christi, non fuisse propriè tempore Religionis Christianæ, quæ post mortem Christi cœpit. Fuit deinde hoc *cruentum Sacrificium*, magis secundùm ordinem Aaronicum, quod omnia cruenta animalium Sacrificia in Lege veteri designarunt: Incruentum verò *secundùm Ordinem Melchisedech*, secundùm quem Christus Sacerdos fuit, & novũ *Religionis Sacerdotium*, & Sacrificium instituit, proprium Religionis est Sacrificium. Adhęc proprium Religionis Sacrificium debet in actu externo constitui, qui iterabilis sit, & repeti possit ad divinum Latriæ cultum Deo exhibendum. Mors autem Christi, quâ cruentum Sacrificium peractum est, repeti non potest, Rom. 6: *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur.* Omnia hæc idem Apostolus complexus est Hebr. 7. *Translato Sacerdotio, necesse est, ut & legis translatio fiat.* Quo axiomate simul comprehendit Sacrificium Religionis: quando per legem intelligit cumprimis legem cærimonialem. In lege ve-

ge verò cærimoniali primariò continentur Sacrificia, & Sacramenta, ac cætera quæ ad cultum Religionis spectant. Lex enim Decalogi moralis, in omni Legis statu permansit; Judicialis verò Hæbræorum lex, abrogata est in lege Gratiæ. Quid ergo cum translato Sacerdotio in lege Mosaica superest primum, quàm Sacrificium Religionis Christianæ?

V. Quæ etsi satis esse possent ex figuris, Catholici tamen *incruentum* illud *Sacrificium* Christianæ Religionis, quod Sacrificium Missæ dicitur probant

I. Ex vaticinijs Prophetarum, Malach. c. 1. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra.* Ubi agit de Sacrificijs legis Veteris abrogandis, & commutandis in multo præstantius Sacrificium. Ideo subdit: *Ab ortu enim solis, usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus; & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus.* Ad hunc Malachiæ locum, reperio similiter tot Patrum testimonia, quod supra ex Melchisedechi Sacrificio, Christianorum Sacrificium asserentium. *Clemens Rom. instit. Apost. lib. 7. c. 3. Martial. Epist. ad Burdeg. c. 3. Justinus dialogo cont. Triphon. Irenæus lib. 4. c. 32. Tertullian. lib. contra Marcionem. c. 22. Cyprianus lib. 1. contra Judæos. Euseb. lib. 1. demonst. Evang. c. 10. Chrysost. ad psalm. 98. Cyrill. Alexand. lib. 2. de adorat.* Clarè S. August. post recitata verba Malachiæ: *Aperite oculos tandem aliquando, & videte ab Oriente sole, usque ad Occidentem, non in uno, sicut vobis fuerat constitutum, sed in omni loco offerri Sacrificium Christianorum.* In orat. ad Judæos c. 9.

Similiter Isaias c. 66: *Assumam ex eis in Sacerdotes & Levitas.* c. 19. de altaribus & Sacrificijs: *Colent eum in hostijs & muneribus.* Ita quoque Jeremias c. 33: *De Sacerdotibus non interibit vir à facie mea, qui offerat holocautomata, & incendat Sacrificium, & cadat victimas omnibus diebus,* nempe ad consummationem sæculi. Quem locum, uti Isaiæ, allatum exponunt Patres de Sacerdotibus Christi. Ad hæc Daniel. c. 12: *A tempore cum ablatum fuerit juge Sacrificium, & posita fuerit abominatio,* per Antichristum videlicet, *per dies mille ducentos nonaginta*; manebit itaque *juge Sacrificium* & non tolletur.

II Ex institutione Christi, & Apostolorum doctrinâ, quæ non solùm Sacramentum, sed etiam Sacrificium nobis tradit, quemadmodum

modum agnus Paschalis simul Sacramentum, & Sacrificium fuit, obtulit enim Christus Deo Patri, sub specie panis & vini, corpus & sanguinem suum. Idem & Apostolos facere jussit: *Hoc facite in meam commemorationem*, ut multis id exponit Bellarminus & alij: Id enim nisi admittatur, Christus non erit Sacerdos secundùm Ordinem Melchisedech. Aut dicant, ubi sub specie panis & vini, Christus Sacerdos obtulerit Sacrificium? maximè cùm id Patres suprà relati tam contentè doceant. Secundò: Hoc ipsum historia cœnæ demonstrat. Nam si Christus adhibitâ consecratione, ipsam panis & vini substantiam, ad divinæ majestatis gloriam protestandam destruxit, & in suum corpus & sanguinem commutavit; haud dubiè ipsa actio verum Sacrificium fuit, juxta definitionem suprà à nobis datam. Hoc autem Christum fecisse constat ex Matth.26. Marc.14. Luc.22. Cor.11. quando panem & vinum accepit, Deo gratias egit, benedixit, consecravit, & substantialiter immutavit, dicendo: *Hoc est corpus meum*; idemque Apostolis eorumque successoribus mandavit, dicendo: *Hoc facite* &c. Rident vos Lutheranos ipsi Calvinistæ, interque hos Bergius: Nam, inquiunt illi, vos Lutherani creditis cum Catholicis, verum corpus in Eucharistia esse præsens, cur ergo id ipsum corpus offerre non licet Deo? nulla hîc inconvenientia, posito illo communi cum Catholicis principio. Hunc tu scriptorem refelle, priusquàm Catholicos oppugnes. Sed hîc *Gerhardi* tuus altùm silet. Respondetis, Christus non dixit: *Hoc offerte*. ℞. dixit tamen, *hoc facite in meam commemorationem*; quo plus dixit, quàm si dixisset, *offerte*: hoc enim amplius dicit, nempe, hoc offerendo, hoc facite in memoriam cruentæ oblationis, & beneficij hujus. Uti hæc Augustinus clarè docet lib.20. contra Faustum c.18: *Christiani jam peracti Sacrificij in cruce memoriam celebrant sacrosanctâ oblatione, & participatione corporis & sanguinis Christi.* Vides in Eucharistia conjungi oblationem & participationem, quæ fit à Sacerdote & populo. Atque hoc illud Sacrificium est, de quo Christus Joan.4. in colloquio cum Samaritanâ muliere: *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate*, quo loco manifestum est, quæstionem fuisse de adoratione per Sacrificium religionis, ut multis exponunt Patres & interpretes, & tota hæc historia ostendit.

Confirmantur hæc primò ex Apostolorum doctrina & factis:

Nam Apostolus 1.Cor.10. triplicem mensam seu altare exponit, Christianorum, Judæorum, & gentilium, ex quo participatio hostiæ fiat: tandem subdit de altari gentilium, *non potestis mensæ Domini, & mensæ dæmoniorum esse participes.* De altari verò Judæorum præterea idem Apostolus ad Hebr.13. docet Christianos *habere altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* Si altare habuerunt Christiani, ergo & Sacrificium. Act.13. S. Lucas de Apostolis & discipulis, inquit, *ministrantibus illis Domino:* in Græco est, λειτουργούντων αὐτῶν τῷ κυρίῳ, quod verbum publicum officium significat, etiam in sacris & sacrificijs, quod nos Sacrificium Missæ dicimus; unde & Græci Liturgiam vocant. Superest præterea altare D. Petri Romæ, in quo Sacrificium offerre solitus. D Andreas, ut discipuli in actis ejus scribunt, fassus est, se quotidie agnum in altari immolare, qui non consumatur unquam. Matthæus ante altare confossus, dum sacris operaretur. Et quæ non ab ipsis Apostolis & discipulis Christi ubique monumenta Sacrificij?

Confirmantur secundò hæc omnia ex *Liturgijs*, quas Apostoli in suis Ecclesijs reliquerunt, inter quas *Liturgia* Romanæ Ecclesiæ, à D. Petro Apostolo tradita; *Liturgia* Ecclesiæ Hierosolymitanæ, à D. Jacobo conscripta; *Liturgia* Ecclesiæ Alexandrinæ, auctore D. Marco; *Liturgia* Ecclesiæ Æthiopicæ D. Matthæi Apostoli. In his omnibus, uti & in *Liturgijs* D. Basilij, Chrysostomi, Ambrosij, omniumque nationum Christianarum, Orientalium videlicet, & Occidentalium, leges etiam *Canonem Missæ*, quem tu à Gregorio Magno obtrusum primò somnias. Nam etsi in ritibus, & precibus variatio quædam, tamen quæ ad oblationem, consecrationem, & sumptionem integritas Sacrificij requirit, in omnibus Liturgijs reperies.

III. Asseritur Sacrificium ex omnibus Concilijs, & Patribus quinque primorum sæculorum, ac præter eos Patres, quos suprà recensui ad Melchisedech, & Malachiæ testimonium, accedunt *Clemens Roman. Epist. 2 Dionys. Areopag. Eccl. Hierarch. c.3. Ignatius Epist. ad Smirnenses; Origines lib. 8. contra Celsum.* Inter hos D. *Laurentius Martyr* ita ad Sixtum Papam: *Quo Sacerdos sine ministro properas? tu nunquam sine ministro Sacrificium offerre consueveras.* Martyrio uterque affectus anno Christi 261, quo & *Cyprianus Episcopus Carth.* qui tam præclarè de Sacrificio, suprà relatus, scripsit; quod & Epist. 16 & 65 persequitur. Irenæus lib. 4. c. 32: *Eum, qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens:*

dicens: Hoc est corpus meum, & novi testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo. Augustinus lib. contra adversf. legis lib. c.18: *Posteaquàm venit unicum Sacrificium, cujus umbræ fuerunt omnia illa hæc significantia, jam unum verum, & singulare Sacrificium successit, quod,* ut subdit, *fideles in Ecclesiæ Sacrificio sciunt.* Lib. 7. de civit. Dei c.20: *Erat ibi Sacrificium secundùm ordinem Aaron, & postea de corpore & sanguine illo instituit Sacrificium secundùm ordinem Melchisedech, demisit vultum suum in Sacerdotio, & dimisit gentem Judæorum.* c.20: *per hoc & Sacerdos est ipse offerens, ipse & oblatio, cujus rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ Sacrificium.* c.5: *quod in novo Testamento est Sacrificium Christianorum.* Quàm multa, quam expressa, vel in hisce libris *de civit. Dei,* pertractat de Sacerdotio, & Sacrificio Christianæ Religionis idem Doctor sanctissimus? ex cujus sancto Ordine Lutherus desertor monachus, primus post Manichæos & Wiclefum hæreticum, Sacrificium Missæ oppugnavit. Hinc apud Patres quando de Eucharistia, passim loquuntur, hæ voces: *Sacrificium, oblatio, immolatio, hostia, victima; offerre, sacrificare, immolare.* Longum hoc loco, Patrum testimonia sistere, quæ vel apud Jodocum Coccium, Bilfeldiensem civem vestrum, in erudito illo Patrum thesauro leges. Quid verò ad hæc Lutherus, cum omnia Concilia & Patres, omnemque antiquitatem sibi obstare videret? *Non moramur,* inquit, lib. de Missa privata, *si clamitent Papistæ, Ecclesia, Ecclesia, Patres, Patres; quia, ut dixi, hominum dicta aut facta, nihil in tam magnis causis, & ausis curamus: Scimus enim ipsos Prophetas lapsos esse, adeoque Apostolos, verbo Christi, judicabimus, Ecclesiam, atque ipsos Angelos.* Libro contra Regem Angliæ: *Ultimo,* inquit, *dicta Patrum inducit Rex pro Missatico Sacrificio, & ridet meam stultitiam, quod solus velim sapere præ omnibus: Hoc est, quod dixi, Thomistas asinos nihil habere, quod producant, nisi multitudinem hominum, & usum antiquum.* Lib. de captivitate Babylon. convictus Catholicorum argumentis: *Tutius est,* inquit, *omnia negare, quàm Missam esse Sacrificium, concedere.* Æstimet nunc ex his prudens Lector, utrumne tutius sit Lutherum sequi, qui ex colloquio suo, quod cum diabolo habuit, convictus, fatetur se abrogare Missam? an Patres & Ecclesiam, quæ à Spiritu S. regitur, quæq; ab eodem Spiritu edocta in Concilio Tridentino, sess. 22. can. 1. pronuntiat? *Si quis dixerit,*

rit, in Missa non offerri Deo verum, & proprium Sacrificium, anathema sit. Nec aliò hoc fidei decretum refert, quàm ad institutionem Christi in ultima Cœna. Apostolorum testimonia, & Prophetarum vaticinia à nobis jam adducta.

IV. Sacrificium manifestè ostenditur ex ijs, quæ antiqui Patres adversus Aquarios hæreticos scripsere, qui solâ aquâ Sacrificium peragebant, de quibus *Augustinus hæresi 64. Epiphanius* alijque: atque hi fuerunt hæretici, *Ebionitæ, Marcionistæ, Tatiani & Encratitæ*, adversus quos acerrimè Cyprianus scripsit Epist. 63. ad Cæcilium, Justinus Apolog. ad Anton. Imp. Augustin. Epist. 118. ad Januarium. Docent vero hi Patres, non in aqua solum sacrificandum, sed ex Apostolicâ traditione, aquam vino miscendam esse in calice Sacrificij; quod inde Ecclesia Catholica ad hunc diem toto orbe Christiano servat. Clarè hac super re Augustinus lib.4. de doctrina Christiana c.21: *Beatus Cyprianus in eo libro, ubi de Sacramento calicis disputat, utrùm calix Dominicus aquam solam, an eam vino mixtam debeat habere?* Refert deinde Cypriani sententiam: *Admonitos autem vos sciatis*, inquit, *in calice offerendo, Dominica traditio servetur, neque aliud fiat à nobis, quàm pro nobis Dominus priùs fecit; ut calix, qui in commemorationem ejus offertur, vino mixtus offeratur.* Hæc Augustinus ex mente Cypriani. Lib. deinde de dogm. Eccl. c.75. suam sententiam exponit: *In Eucharistia*, inquit, *non debet pura aqua offerri, ut quidam sobrietatis falluntur imagine, sed vinum cum aqua mixtum: Quia & vinum fuit in redemptionis nostræ mysterio, cum dixit: Non bibam amodo de genimine vitis, & aqua mixtum, non quod post Cœnam dabatur, sed quod de latere ejus lanceâ perfosso, aqua cum sanguine egressa, vinum de vera ejus carnis vite cum aqua expressum ostenditur.* Quid nunc ad hæc dicis Nisani? de quo calice hi Patres agunt contra hæreticos, aquâ miscendo? utrumne de calice, quem vos in cœna vestra populo porrigitis; (aliàs enim calix cœnæ vestræ aquâ misceri deberet) an quem Sacerdotes offerunt hodiedum in altari, & Sacrificio Missæ? sanè postremum Patres docent, & Catholici in hodiernum diem, ex Apostolicâ traditione servant. Vides præterea, non nos Catholicos, quod tu somnias, à tempore Gregorij Magni cœpisse *Cœnam* commutare in *Sacrificium Missæ*. 3. Vides, quantum tribuendum traditioni Ecclesiæ. Hæc præterea mixtio aquæ refertur ad ea, de quibus Apostolus

ad

ad Cor. 1. c. 11. *Cætera, cum venero, disponam.* Uti Baronius exponit ad annum Christi 57. cæterique interpretes. Ad quæ etiam refertur, quòd Eucharistia à jejunis sumenda, quòd post exomologesin danda, quòd Sacrificium pro vivis & defunctis offeratur.

Addo Concilium Carthaginense III. quod can. 24. ita decernit: *In Sacramento corporis & sanguinis Domini, nihil amplius offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aquâ mixtum. Primitiæ verò, seu mel & lac, quod uno die solennissimo pro infantibus mysterio offerri solet, quamvis in altari offeratur, suam tamen habet propriam benedictionem, ut à Sacramento Dominici corporis distinguatur, nec amplius de primitijs offeratur, quàm de uvis & frumentis.* Idem confirmatur postea in Concilio Africano, ubi vides, oblationem *Sacrificij*, distingui ab oblationibus aliarum rerum, & *consecrationem à benedictione.*

Ex eo verò, quod ex eadem traditione adduxi, *Sacrificium offerri pro vivis & defunctis*, satis etiam constat, *Sacrificium* à *Sacramento* distingui, secùs, quàm tu scribis. Nec enim *Eucharistia* quatenus *Sacramentum* est, offertur pro vivis & defunctis, neque id vos facitis: & tamen idem Sacramentum, quatenus Sacrificium est, offertur pro vivis & defunctis, uti id SS. Patres docent, tam Græci, quàm Latini; cumprimis *Augustinus lib. 22. de Civit. Dei c. 8. Lib. 9. confess.* ubi mater ejus, D. Monica morti proxima rogat, ut sui memor sit ad altare; tum alijs cumpluribus locis id tradit Augustinus, ex universali Ecclesiæ traditione. Sed de hoc infrà planiùs

V. Sacrificium Missæ testatur nomen Sacerdotis, quod post tempora Apostolorum toto orbe invaluit in Ecclesia, non ob aliud magis, quàm ob Sacrificium Christianæ religionis, ad quod ordinati erant, & quotidie offerebant, tam Episcopi & majores Sacerdotes, quàm reliqui, qui minores erant in gradu Presbyterorum. Hoc enim illud Augustini, suprà relatum lib. de Civit. Dei: *Episcopi & Presbyteri propriè dicuntur Sacerdotes.* 2. Testatur ritus altarium, quæ erecta in templis, & consecrata ab Episcopis toto orbe Christiano, non ob aliud primùm, quàm ob Sacrificium, ut in lege *Naturæ* & *Mosaica*, vel ex divina inspiratione vel Dei ordinatione factum retulimus. Idem in Christi Ecclesia fieri necesse fuit, postquàm novum Sacrificium religionis à Christo & Apostolis introductum. Inde *Optatus Milevitanus lib. 6.* cont. Parmen. Donatistam:

tistam: *Quid est tam sacrilegum, quàm altaria Dei, in quibus vos aliquando obtulistis, frangi? Chrysost.* Homil. 53: *Si quis vellet hoc altare subruere, nonne illum lapidibus subrueretis?* Rursus Homil. 20: *Tu altare honoras, quod accipit corpus Christi. August. Epist. 107.* docet, ad altare inter sacrificandum fieri orationes pro infidelibus, catechumenis, & fidelibus. Plurima Augustini ejusmodi sunt testimonia. Altaria Calvinistæ destruunt, & eorum loco mensam ponunt; Lutherani adhuc integra patiuntur, non tamen ad *Sacrificium* sed ad *cœnam* suam distribuendam: cum tamen altare primò sit propter Sacrificium; quando non minus altare Sacrificium, quàm Sacrificium Sacerdotem, mutuâ relatione secum fert. 3. Sacrificium testantur vasa sacra, calices cumprimis sacrificales, quales multorum Sanctorum Episcoporum, & Sacerdotum, ex omnibus sæculis hodiedum apud Catholicos seruantur; quos inter calix D. Willibrordi, Ludgeri, aliorumque Apostolicorum virorum, supersunt. Testantur vestes Sacerdotales, quibus Sacrificium ab ævo Apostolorum toto orbe peractum est, uti hodiedum peragitur, tam in Græca, quàm Latina Ecclesia. Lutheranam Ecclesiam si quis ex hoc ritu sacro aspiciat, quàm non dissona inter se? Et quo non recessit, deflexitque ad Calvinistas? quando alibi ut in Dania, & multis Saxoniæ provincijs, & Imperij urbibus adhuc integræ propè retinentur in liturgico vestro officio; alibi mutilæ, & mancæ induuntur, tantùmque casula seu vestis sacrifica superior, sine lineis indumentis, injicitur super humeros, ut monstrum te videre credas; alibi omnibus hisce vestibus abjectis pullâ indutus minister, stat ante altare; alibi togâ etiam abjectâ pallium ejus loco sumitur, in quo minister sacris operatur ad altare: eo prorsus habitu, quo Calvinistarum ministri sua peragunt sacra. Hoc tu habitu, ut intelligo, Bilfeldiæ indutus ad altare procedis, & sacra peragis, in nullo à Calvini ministro, aut lugente mercatore, aut pullato textore distinctus: qui tamen *Superintendentis* nomine te *Episcopum* ferre debes. Et quare hîc alio ritu & habitu peragis in Westfalia divinum exercitium, quàm in Dania peragitur, qui gente Danus es? Hæc tua Pontificalia sunt indumenta. Legistine, ullum Episcopum, aut Sacerdotem ex omni Christianorum memoria, ita processisse ad altare? Et hæc illa pulcherrima vestræ Ecclesiæ, de quâ gloriaris, ordinatio est. Demum Missæ nomen testatur Sacrificium, quod ut antiquissimum est, ita cum addito Sacrificium

cium Missæ, ubique leges in Concilijs & Patribus. Sive jam vox illa ab Hebræo nomine *Missa,* quod Deut. 6. *oblationem* significat, seu quod verisimiliùs, à missione & dimissione populi; ut idem sit *Missa,* quod *Missio* & dimissio populi: sicut idem est collecta & collectio. Inde absoluto sacro Sacerdos aut Diaconus pronuntiat, *Ite Missa est,* teste Alcuino, & alijs: comprehenditque communiùs Missam Catechumenorum, & fidelium. De hisce ejus partibus Bellarm. & alij. Antiquitatem vocis declarat August. serm. 38: *Post sermonem, fit Missa Catechumenis.* Serm. 91: *In lectione, quæ nobis ad Missas legenda est, audituri sumus.* In Concilio Milevit. c. 12, cui Augustinus interfuit: *Placuit, ut Missæ quæ probatæ fuerunt in Concilio celebrentur.* In Concil. Carthag. 10. can. 84: *Episcopus nullum prohibeat ad Missam Catechumenorum.* Ambrosius lib. 5. Epist. 33. *Ego mansi in munere, Missam facere cœpi, orare in oblatione Deum.* Ita in antiquioribus etiam Concilijs reperies, ut *Romano,* sub Sylvestro, *Carthag. II, Agath. Ilerdens.* Cæterùm, apud Græcos nulla mentio hujus vocis, sed pro eo, *Liturgia* vox in eorum linguâ, quod est publicum ministerium: perinde ut in Actis Apostolorum λειτουργούντων αὐτῶν, *ministrantibus,* seu sacrificantibus *illis Domino.* Apud vos autem Lutheranos, postquàm verum Sacrificium abrogatum est, ipsum nomen Sacrificij desijt: neque vestrum illud officium divinum, quod sublato canone mutilatum peragitis, quisquam Sacrificium Missæ vocat amplius.

VI. Post omnia hæc testimonia ex quinque & sex primis sæculis allata, descendamus ad Carolum Magnum. Ad hunc enim in toto libro tuo, in omnibus à te motis controversijs nos provocas, ut *Lutheranum* plebi tuæ, magna ex parte fuisse, persuadeas. Verùm, nullum ejus contra ipsum *Missæ Sacrificium* producis testimonium, obrutus quippe veritate rei silere debuisti. Tot enim in *libris Capitularium,* in *Synodis,* & rebus ejus gestis testimonia hîc adsunt, ut impudentiam tuam in scribendo, compresserit evidentia: Neque enim *Carolus Magnus* Sacrificium Missæ credidit & coluit suâ ætate introductum, sed ut à Clodovæo primo Francorum Rege Christiano, atque inde ab omnibus Francorum Regibus & Francis creditum cultumque fuit, ut omnes historici, ac monumenta rerum gestarum te docebunt; & cumprimis illa, quæ à D. Bonifacio sub patruo Carolomanno, & Patre Pipino Rege, in *Synodis* de

Missarum celebratione statuta sunt; etiam pro Episcopis castra sequentibus, quæ & Carolus Magnus posteà sanxit, ut Episcopi ad Missarum solemnia adessent in castris belli ducibus.

Tantùm obstrepis, & dicis: *Canonem Missæ* nondum primis illis sæculis fuisse in usu, quod sanè falsissimum est: idque cùm in omnibus *ritualium libris*, quos *Missalia* vocamus, ac *Liturgijs* illis demonstrari possit, quæ supersunt; tum ex ipsis Caroli *Capitularibus* & *Synodis* Carolinis, in quibus verba ex *Canone* recitantur. In Concilio *Aquisgran. c.6.* ita legis: *Auditum est, aliquos Presbyteros Missam celebrare, & non communicare; quod omnino in Canonibus Apostolorum interdictum esse legitur. Vel quomodo dicere potest, si non communicaverit, sumpsimus Domine Sacramenta tua?* Quæ postrema Canonis sunt verba, quibus totam hanc orationem, ut nunc habetur, & legitur in Missâ, designat. *Lib. 6. Capitularium* cap. 173: *Instruantur, pro quibus missi, vel Sacerdotes constituti sunt, ut intelligant vim & mysterium Dominici corporis, & sanguinis, & Missæ, sive precum, quæ in eâ à Sacerdotibus fiunt: dicitur enim in ipsâ oratione: Memento Domine famulorum famularumque tuarum, & omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio; qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis, pro se, suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis, & incolumitatis suæ: tibique reddunt vota sua, æterno Deo, vivo & vero*, & reliqua. Hæc ipsa sunt verba *Canonis*, uti hodiedum in sacrificio Missæ leguntur. Omitto in hanc rem innumera alia: satis hæc esse possunt ad fallacias tuas retegendas. Contrà, si quis à vobis Prædicantibus quærat; quomodo observetis illud decretum Concilij Aquisgranensis, *si quis Presbyter Missam celebret, & non communicet?* (ejusmodi Sacerdoti gravis pœna statuitur, in eoque Carolus cum Concilio se revocat ad decreta Concilij Nicæni, & alias Synodos;) Quomodo, inquam, vos Prædicantes & Superintendentes hoc servatis? dum singulis diebus Dominicis officium divinum peragitis ad altare, & nunquam, in altari communicatis, tantùm laicâ communione extra altare, ab alio Prædicante acceptâ, semel iterùmve in anno, contenti: ex Sacrificio autem Sacerdos se ipsum participem facit. Ita totus orbis Catholicus servavit, uti hodiedum servari vides à Catholicis Sacerdotibus.

VII. Ultimum argumentum pro sacrificio Missæ ipsa ratio conficit. Nam si verum est, quod Lutherus, & passim Lutherani cum Calvinistis

viniſtis docent: *Sacrificium Miſſæ eſſe horribile ſacrilegium, idololatriam, Sacrificij crucis abnegationem, commentum Papiſticum, abominationem exitialem*; ſequitur, omnes Pontifices, Epiſcopos, Sacerdotes & religioſos, omnes deinde Imperatores, Reges, Principes, omnemque populum Chriſtianum & Catholicum, ad hunc diem idololatras fuiſſe, nullumque ex his unquam cum idololatris ſalvum eſſe potuiſſe: Nam quid intereſt, ſive ſolem cum Perſis, ſive panem pro Deo, & vinum pro ſanguine Chriſti in Sacrificio oblato, & populo ad adorandum in Miſſa propoſito adorem? quod tam abſurdum eſt dicere, quàm impium credere: maximè cùm eâ ſententia damnationis Carolus Magnus involvendus ſit, quem conſtat unicè Sacrificio Miſſæ Deum coluiſſe. Et cui credibile, Deum tot ſæculis Eccleſiam reliquiſſe in illa cæcitate *artololatriæ*, & idololatriæ? neque ab ullo Concilio, aut ullo ſancto Epiſcopo, & Sacerdote id cognitum, vel à Deo revelatum inſpiratumque eſſe? donec poſtremum Lutherus hanc veritatem à diabolo edoctus patefaceret mundo, quem conſtat mendacem fuiſſe ab initio, & Patrem eſſe mendaciorum. Niſanius etiam ultrò progreſſus, nos idololatras facit, ex cultu Angelorum, Sanctorum, & Reliquiarum. Hoc furioſa ejus ſcripta quibus *hagiolatriæ, lipſanolatriæ, iconolatriæ, Angelolatriæ* Papiſtarũ, nos reos facit, clamant. De quâ re infra agendum. Quid enim illis errorum magiſtris non licet ſcribere, & perſuadere populo? qui tamen ne terminos quidem cultûs *latriæ*, & *duliæ* diſtinguere nôrunt. Nunc quid contra Sacrificium obtendant, audiamus.

I. Niſanius objicit: cœna eſt Sacramentum tantùm, nec aliud Chriſtus inſtituit: quod Sacramentum Papiſtæ converterunt in Sacrificium, circa tempora Gregorij Magni. Hoc nimirum illud eſt, quod Auguſtana confeſſio vos in art. 3: docuit: *Retinetur enim*, inquit, *Miſſa apud nos, & ſummâ reverentiâ celebratur.* Deinde ſubdit: *Eſt igitur ad hoc facienda Miſſa, ut ibi porrigatur Sacramentum, quibus opus eſt conſolatione.* Eadem habet Apologia. Sed quàm ridicula, & ſubdola doctrina hæc novi Evangelij veſtri! Si Miſſa retinetur apud vos, uti creditum eſt ab ævo Apoſtolorum, ubi ergo manet Sacrificium apud vos? ubi Sacerdotium? ubi cætera quæ de hoc Sacrificio religionis adduximus? Falſiſſimum deinde eſt, quod in cœna tantummodò Sacramentum ſit inſtitutum à Chriſto.

Urgent interim alij apud vos, & dicunt: Id quod *Sacramentum* est, non potest simul esse *Sacrificium:* quia *Sacramentum*, & *Sacrificium* opponuntur: nam in Sacramento accipimus aliquid à Deo, in Sacrificio aliquid damus Deo; quod & Apologiæ est argumentum ℞. Hæc duo non opponi, quin simul esse possint; ita enim *agnus Paschalis* simul Sacramentum fuit, & Sacrificium: uti id cum S. Thoma docent Theologi, & interpretes, & Plesseus Calvinista, cum tota Synodo *Capiensi* admisit. Nec repugnat *accipere aliquid à Deo*, & *offerre illi rursum:* aliàs nullum etiam fuisset Sacrificium in Lege veteri, Paralip.29: *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Est igitur *Eucharistia Sacramentum,* quatenus est *signum* externum, & *visibile,* invisibilis gratiæ & refectionis; est *victima* & *Sacrificium,* quatenus Deo offertur. Potestis in hoc *Sacramento* agnoscere *Testamentum*, sub aliâ formalitate, & cæci *Sacrificium,* toto orbe terrarum sole clarius, videre non potestis. Quid illud, *congregate illi sanctos ejus, qui ordinant Testamentum ejus super Sacrificia?* psalm.49. Nunquid Testamentum vetus & novum, ordinatum super Sacrificia? Et Sacerdos quotidie dicit: *Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine?*

II. Objicit Augustana vestra confessio, & Apologia: *Christus unâ oblatione consummavit in perpetuum sanctificatos*, Hebr. c.10. v.14. Idem dicit Apostolus Hebr.9. v.26. & v.18. Ergo non est aliud *Sacrificium,* præter sacrificium Crucis, quod infinitam vim habet, & sanctificatio est pro omnibus peccatis, tam originali, quàm alijs: proinde nihil opus est alio Sacrificio. ℞. Hoc argumentum (si quid conficiat) probat etiam, neque Baptismo opus esse ad originale peccatum tollendum, neque Eucharistiâ, neque fide, neque caritate, neque oratione: nam multiplicare hæc omnia, esset derogare passioni Christi, & Sacrificio crucis, quod infinitam vim habet ad omnem sanctificationem. Igitur Apostolus nihil aliud voluit dicere, quàm, unâ oblatione Christum satisfecisse Deo Patri pro nobis; ad quod tamen duo necessaria sunt: alterum, ut tanti beneficij simus memores; alterum, ut fructus ejus beneficij, & satisfactionis nobis applicetur: utrumque autem fit per fidem, Sacramenta, Sacrificia, prædicationem verbi, & similia sanctificationis instrumenta à Deo ordinata, non solùm in novo, sed veteri etiam Testamento: unde nihil horum superfluum, nihil passioni Christi derogat. Clarè Augustinus

stinus Epist.23. ad Bonifacium : *Nonne semel oblatum est Christo in se ipso? & tamen in Sacramento, non solùm per omnes Paschæ solemnitates, sed omni die populis immolatur.* Dicunt : quid opus est *Sacrificio* ad hoc? cùm per Sacramenta illa applicatio fieri possit? Contrà : quid opus est Sacramentis? cùm per fidem apud vos etiam id fieri possit? tollantur ergo omnia Sacramenta. Absit. Tu quis es? ut dicas Deo : quare hoc ita ordinasti? Imò hoc ordinare necesse erat. Quomodo enim aliter Sacerdos secundùm Ordinem Melchisedech esse poterat, nisi figuras tolleret?

III. Obijciunt ex Augustino, qui lib,10. de civit. Dei, c.5. & 6. Sacrificium definit, esse *omne opus bonum, quod agitur, ut sancta societate inhæreamus Deo.* Ex quo confici volunt, omnia bona opera, non minus, quàm Missam esse Sacrificium. ℞. S. Augustinus eo loco distinguit inter *Invisibile*, & *visibile* Sacrificium. *Invisibile* dicit, quod piâ voluntate, & interno actu offertur; præter id tamen *Visibile*, & proprium Sacrificium ponit, asserendo : *Visibile Sacrificium esse invisibilis Sacrificij Sacramentum.* 2. Augustinus agit de Sacrificio in genere, prout propria & impropria Sacrificia comprehendit : nam præter proprium Sacrificium sunt orationes, psalmi, cantica, vota, cæterique actus Religionis, & cultus divini, qui Sacrificium laudis, & bonorum operum dicuntur, sed impropriè : ut, *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus*, & *cor contritum*, psalm. 50. Quantum verò vos Lutherani Ministri, & Prædicantes fallitis populum à vobis seductum, dum pro *proprio* Sacrificio, *impropria* Sacrificia obtruditis : nam hæc impropria Sacrificia, in omni legis statu fuerunt communia, nos autem de proprio religionis Sacrificio agimus, quod præter hæc impropria Sacrificia, tam in Lege *naturæ*, quàm Lege Mosaica, à Deo præscriptum fuit; quodque status Christianæ religionis multo dignius requirit : tale videlicet Sacrificium, quale suprà definivimus, & quo per actum *Latriæ* præstantissimus, & soli Deo debitus cultus exhibetur. Et verò, quis sibi persuaserit Christum, Sacerdotem secundùm Ordinem Melchisedech, illud genus honoris cultusque divini, Ecclesiæ suæ subtrahere voluisse, quod naturæ lumine omnes etiam gentes agnoverunt? Quare Augustinus lib.10. de civit. Dei, c.4: *Quis sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?* Et lib.contra Advers. Legis, c.18 : *dæmon sibi sacrificandum non exigeret, nisi Deo vero exhiberi sciret.* Quapropter Nisanium, dum se, suos-

que *propriè* dictos *Sacerdotes* nec esse, nec appellari vult, & *Sacrificium proprium* abrogat, propriumque & excellentissimum *Latriæ* cultum honori divino subtrahit; quo alio Spiritu agi credam, quàm illo, qui Luthero primùm abrogandi Sacrificij auctor, suasorque fuit? quemadmodum Augustinus de Manichæis & Petrus Cluniacensis, cæterique Patres nos docent: hæreticos, qui Sacrificium de Ecclesia tollere sunt conati, id non nisi diabolo impulsore egisse. Quanto consultius hîc postremùm audiamus Augustinum in psalm. 33: *Erat, ut nostis, Sacrificium Judæorum antea secundùm Ordinem Aaron, in victimis pecorum, & hoc in mysterio; nondum enim erat Sacrificium corporis & sanguinis Domini, quod fideles norunt, & qui Evangelium legerunt: Quod Sacrificium nunc diffusum est toto terrarum orbe. Proponite ergo vobis ante oculos duo Sacrificia, & illud secundùm Ordinem Aaron, & hoc secundùm Ordinem Melchisedech. Scriptum est enim: Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech.* Rursum Augustinus de fide ad Petrum c.19: *Firmissimè tene, & nullatenus dubita, ipsum unigenitum Dei, verbum carnem factum, se pro nobis obtulisse in Sacrificium, & hostiam Deo in odorem suavitatis; cui cum Patre & Spiritu S. à Patriarchis, Prophetis, & Sacerdotibus, tempore veteris Testamenti, animalia sacrificabantur; & cui nunc, id est, tempore novi Testamenti, cum Patre & Spiritu sancto, cum quibus illi est una divinitas, Sacrificium panis & vini, in fide & caritate sancta Ecclesia Catholica, per universum orbem terræ offerre non cessat. In isto autem Sacrificio, gratiarum actio, atque commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & sanguinis, quem pro nobis idem Deus effudit.* Et verò Cyprianus lib.1. Epist. 6. de votis: *Ecclesia Catholica una est, extra eam nullus Sacerdos, nec Sacrificium, nec salus.*

CAPVT II.

Sacrificium Missæ à Carolo Magno assertum, et confirmatum.

HActenus Sacrificium Christianæ religionis, ex primis ad *Carolum Magnum* sæculis, potissimùm ostendimus, id quod *Nisanius* ostendi posse negaverat, tam liberè provocando, quàm impudenter mentiendo: id verò, quod in hac proposita brevitate prætermissum est, abunde ex *Gvalterij* Chronológia, qui id ex Concilijs & Patribus omnium ætatum commonstrat, tum ex innumeris alijs scriptoribus facilè intelliges. Nunc ad *Carolum* procedendum, nam hic in omnibus hisce controversijs nobis propositus est, quem *Nisanius* nobis *Lutheranum* formare vult, ex cerebro hæresis suæ.

I. Id ex Eginardo vitæ ejus scriptore asseramus: *Religionem*, inquit ille, *Christianam, quâ ab infantiâ imbutus erat, sanctissimè, & cum summâ pietate ac veneratione coluit.* Ea vero non alia fuit, quàm *Francorum Regum*, & majorum, parentumque, quos constat Sacrificio Missæ coluisse Deum. Ideò, ut Eginardus addit: *Capellam domesticam*, id est Ecclesiasticum ministerium, quod ex paternâ hæreditate provenerat pro *Sacrificio Missæ*, ex Testamento relinqui ordinavit. Capella hæc domestica erat, omnibus ad Sacrificium Missæ ornamentis sacris instructa, ad quotidiani Sacrificij cultum: ob id Capellanos domesticos, Sacerdotes & Episcopos apud se, tam in aula, quàm in castris (ut post referam) habuit. Sed expressiùs hac super re Eginardus de Carolo Magno: *Ecclesiam manè & vesperi nocturnis item horis, & Sacrificij tempore, quando eum valetudo permiserat, impigrè frequentabat.* Quo verò cultu & splendore veneratus sit Sacrificium Missæ, æstimes ex his Eginardi verbis: *Sacrorum vasorum ex argento & auro, vestimentorumque Sacerdotalium tantam in eo copiam procuravit, ut in SACRIFICIIS celebrandis, ne jani-*

ne janitoribus quidem, qui ultimi sunt Ecclesiastici ordinis, privato habitu ministrare necesse fuerit. Et quid *Sacrificij* nomine hîc aliud docet Eginardus, quàm *Sacrificium Missæ?* Vides nunc Nisani, quantum recesseritis à Caroli Magni religione: ille ne janitores quidem, ultimos in ordine Clericali, sine sacris vestibus ministrare voluit ad altare, dum Sacrificium perageretur: Et tu, qui *Superintendens* es, & Episcopi locum, ex primo ministrorum gradu obtinere vis, sine ullo sacro vestitu procedis ad altare, profano tantum laici pallio intectus, quo cùm Calvinistam jam induisti.

II. *Sacrificium Missæ* Carolus est professus *Romæ*, suo in Urbem ingressu, quando Pascha cum *Hadriano* Pontifice peregit, & tribus continuis Paschæ diebus festis, solemni Missæ sacrificio, quod Pontifex celebrabat, interfuit; obtulitque ad altare *S. Petro Apostolo* partem Saxoniæ, voto simul addito: se primum Episcopatum in Westfalia *Osnabrugi* fundaturum. Hunc in modum secundo tertioq; accessu, Romæ Pascha celebravit, *Hadriano* Pontifice *Missarum solemnia* celebrante. Quartâ profectione Romanâ, à *Leone* Pontifice, inter Missarum solemnia Imperator coronatus. Eadem deinde Natalitia Christi, *Leo* Pontifex cum Carolo celebravit in Gallia, anno Christi 804, ritu consueto; quo tria Missæ Sacrificia uno die peracta à Pontifice, uti hæc pluribus lib. 1. c. 3. retulimus. Et quæ unquam solemnitas, quis Dominicus, festusve dies, Carolo sine Sacrificio Missæ transijt? quos tantâ religione, & tot legibus populo præscripsit. Hinc in annalibus Francorum tam diligenter consignantur loca, ubi Natalitia Christi, ubi Pascha, ubi Pentecosten celebrarit: non alio sanè cultu solemniùs, quàm Sacrificio Missæ, & sumptione Eucharistiæ.

Quin tanta Sacrificij religio apud Carolum, ut in castris etiam milites Sacrificium Missæ audire, & Sacerdotes ob id castra sequi voluerit: quod jam sub Regibus Francorum longo sæculorum usu receptum erat. Hoc nimirum ex illo Caroli decreto manifestum, quod *Capitularium lib. 7. c. 91.* & *tomo XX. Conciliorum Parisiensium* inter Capitula Ecclesiastica refertur in hæc verba: *Servis Dei per omnia omnibus armaturam portare, aut in exercitum & hostem pergere prohibemus; nisi illis tantummodo, qui ad divinum ministerium, Missarum videlicet solemnia adimplenda, & Sanctorum patrocinia portanda, ad hoc electi sunt; id est, unum vel duos E-*

piscopos

piscopos, cum Capellanis Presbyteris, Princeps secum habeat, & unusquisque Præfectus, unum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus judicare, & indicere pœnitentiam possit. Eadem decernuntur *capit.* 4. Et *lib.* 7. *c.*103. *in Capitularibus* Caroli Magni.

III. Jam verò, quæ in Constitutionibus Caroli Magni, in Capitularium libris, & in Synodis Carolinis præscribantur de Sacrificio Missæ, à Sacerdotibus ritè celebrando, & à populo singulis diebus festis audiendo, supervacaneum hoc loco referre. Quæ Synodus, quis Capitularium liber, non ubique de Missa agit? ac solemni etiam, quæ ab Episcopo, adsistentibus Presbyteris, & ministrantibus Diaconis, Subdiaconis, Acolythis, cæterisque ex ordine ministris peragitur: quale Sacrificium Missæ, ab *Anacleto*, tertio post S. *Petrum* Pontifice, disces: Qui uti id à *Clemente* Prædecessore suo, & S. Petro ordinatum acceperat, ita ab Episcopis servari voluit, illo etiam persecutionum tempore. Extat hac super re Epistola ejus, in tomis Concil. Parisiens. aliisque Conciliorum editionibus.

Hæc verò Sacrificia Missæ, quæ Caroli Magni ævo celebrata, non alia fuisse, quàm quæ tum Romano more, & nunc eodem ritu celebrantur, clarum est ex ipso Carolo, qui lib. 5. Capitularium c. 219. statuit: *Unusquisque Presbyter Missam ordine Romano celebret.* Constat præterea ex Canone: nam lib. 1. Capitularium, ex Concil. Aquisgr. adducit verba Canonis, *sumpsimus Domine Sacramenta tua*, adversus Sacerdotes, qui celebrabant sine sumptione corporis Christi. Lib. 6. Capitularium cap. 173. citat preces Canonis: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum.* Alibi alia ex Canone citantur: nec ulli sanæ mentis hac super re dubium esse potest, præter Nifanium, & Novatores; à quibus Canon Missæ *res nova* confingitur. Quod enim unquam apud ullam Christianam gentem Sacrificium Missæ fuit, sine consecratione & sumptione? Quæ Canon, cum essentialibus & integralibus cumprimis partibus, continet.

IV. Cætera, quæ Sacrificium Missæ Catholicum commonstrant, non minus clara ex Carolo. Nam Missa celebranda est in loco consecrato, in altari, in vestimentis sacris, & quidem ex Missali & Liturgiæ libro. De Missali libro, *Concil. Aquisg.* c. 71: *Evangelium, psalterium, & Missale, perfectæ ætatis homines scribant.* De loco consecrato, lib. 5. c. 11: *Sanctitum*

est, ut nullus Presbyterorum, in domibus ab Episcopis non consecratis, oblationem offerre quoquomodo præsumat. lib. 6. c. 205: *Placuit, ut fideles Missarum celebrationes, non nisi in locis consecratis audiant; nisi in castris, & longo itinere: idq; in altaribus ab Episcopis consecratis fiat.* Quæ *aræ viatoriæ*, & vulgò *portatiles* etiamnum vocantur. Lib. 7. c. 99: *Nullus Sacerdos, nisi in locis Deo dicatis, vel in itinere in tabernaculis, & mensis lapideis ab Episcopo consecratis, Missam celebrare præsumat.* Lib. eodem c. 312: *Sciendum est omnibus, quòd in alijs competentibus locis, oratio ad Deum, & confessio peccatorum fieri possit; Missarum verò celebratio, non nisi in locis ab Episcopo Deo dicatis, excepto tempore hostilitatis, & hoc non nisi in altaribus, & tabernaculis ab Episcopo Deo dicatis, nullatenus fieri potest, aut debet.* De sacris quoque vasis & vestibus ab Episcopo consecratis, multis Carolus eodem lib. 7. c. 334: *simul hoc statutum, ut nullus Sacerdos in alijs, quàm in Deo dicatis vasis, & ab Episcopis consecratis ministrare, seu Missas celebrare præsumat. Quia sicut non est concessum, ut alij Missas cantent, & Sacrificia consecrent, quàm illi, qui ab Episcopis sunt consecrati; ita non est licitum, ut in alijs domibus, vel altaribus, aut vasis, Missas Sacerdotes celebrare præsumant, quàm ab Episcopis consecratis. Sunt etiam ab Episcopis consecranda & benedicenda, Corporales pallæ, ac alia vestimenta Sacerdotalia, nec non & omnia, quæ in usus Basilicæ, vel altaris, sine ministerio Sacerdotum, ad divina mysteria explenda complectuntur; quatenus cum his sacratiùs sive placabiliùs ministrare valeant: unde & in aliis Sanctorum Patrum decretis legitur* &c. Quæ deinde capite illo multis persequitur Carolus, multisq; probat ex Scripturę locis, & antiquorum Patrum decretis. Recognosce nunc singula Nifani, qui ad Carolum Magnum provocas: ubi Sacrificium Missæ, quod hic legis? ubi Missale? ubi loca sacra? ubi altaria apud vos ab Episcopis consecrata? ubi demum sacræ & Sacerdotales vestes? secùs, quàm à majoribus accepistis, ex quo Christiana religio à Carolo Magno in Saxoniam introducta est, & à primis ac sanctissimis Episcopis, virisque Apostolicis, haud alijs, quàm his ipsis cærimonijs cum ipso Sacrificio Missæ tradita servataque sunt, ad Lutherum usque; à quo primùm cum novo Evangelio vestro, hæc omnia abrogari cœperunt. Quàm vero hæ cærimoniæ antiquæ sint, disces ex antiquis Concilijs, & Patribus, quorum testimonia Bellarminus, Baronius, alijque Scriptores exhibent.

V. Sacri-

V. Sacrificium Missæ, ut cætera hic omittam, Carolus Magnus pro defunctis offerri commendat, sicuti cap.322. lib.7. Capitularium titulus inscribitur de *Orationibus, Eleëmosynis, atque Missarum celebrationibus pro fidelibus defunctis fideliter agendis.* Decretum verò Caroli sic habet: *Quod pro Catholicis defunctis sint memoria facienda, & oblationes Deo offerenda: non tamen pro impijs, quamvis sint Christiani, ex his aliquid agere licebit.* Capitularium lib.6. c.293. *Iniquum est, & sacrilegij instar, ut qua pro salute, vel requie animarum suarum unusquisque venerabili Ecclesia contulerit, auferri, & in aliud transferri.* Ex quo Caroli judicio, quot sacrilegia in vestra Ecclesia committi necesse fuit? ex quo tot Sacrificia, tot majorum oblationes & fundationes pro animarum subsidio sublata, & in profanum usum conversa sunt? Lib. 6. c.195: *Fideles pro defunctis amicis, & parentibus eorum, jejunia & oblationes XXX. dies adimplere faciant.* c. 194: *Admoneantur fideles, ut ad suos mortuos non agant ea, qua de Paganorum ritu manserunt: sed unusquisque devotâ mente, & cum compunctione cordis pro ejus anima, Dei misericordiam imploret. Et qui psalmos non tenent, excelsâ voce, Kyrieeleison, Christeeleison viris inchoantibus, mulieribusque respondentibus, altâ voce canere studeant pro ejus anima.* De mortuorum officio, quod nos Defunctorum nomine frequentamus, Ludovicus Pius in additione 1.& 12. *Psalmi speciales, qui pro defunctis cantantur,* Addit.1. c.49. traduntur. Quod pro Abbate defuncto anniversarium officium sit peragendum, legas Addit.1. c.43. Et quàm multa, quàm clara, in hanc rem passim in Synodis Carolinis? Ex his Cabilonensis, quam inter quinque postremas Carolus celebrari voluit, probavitque à se lectam, Canone 39. ita definijt: *Visum praterea nobis est, ut in omnium Missarum solemnitatibus, pro defunctorum spiritibus loco competente Dominus deprecetur: antiquitus enim hunc morem sancta Ecclesia tenet, ut & in Missarum solemnitatibus, & in alijs precibus, Domino spiritus quiescentium commendet, dicente B. Augustino: non sunt pratermittenda supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus ex Christianâ & Catholicâ societate defunctis, etiam tacitis nominibus eorum, sub generali commemoratione suscepit Ecclesia; ut quibus ad ista desunt parentes, aut filij, aut quicunque cognati, vel amici, ab una eis exhibeantur piâ matre communi qua est Ecclesia Catholica.* Ita Concilium ex Augustino, & ille *lib. de cura pro mortuis,* c 4. Et quoties id non docuit.

S. Augustinus? Serm. 32. de verbis Apost. *Orationibus sanctæ Ecclesiæ, & Sacrificio salutari, & Eleemosynis quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt; hoc enim a Patribus traditum universa observat Ecclesia.* Libro rursum de cura pro mortuis: *In Machabæorum libris legimus, oblatum pro mortuis Sacrificium: sed etsi nunquam omnino legeretur in Scripturis veteribus, non parum tamen est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas.* Ita in *Enchridio, c. 1. Lib 9. Confess. c 13. Serm. 17. & 34. de verb. Apost Lib de civit. Dei, c. 24. Tract. 84. in Joan. Quæst 2 ad Dulich. Lib. de hæresibus c. 53.* Damnat Aërium hæreseos, quòd orationes pro defunctis abrogaret. Ad hunc modum reliqui Patres: neque Calvinus, cæterique inter vos, negare possunt, ab ipso Apostolorum tempore, Sacrificia, & preces pro defunctis, ubique obtinuisse in Ecclesia. Idem Calixtus vester agnoscit; ut tamen excuset, dicit, effectum earum esse innominatum: qui tamen Augustino, & cæteris Patribus incognitus non fuit. Inde in Liturgia, & Canone Sacrificij, hæc commemoratio & oratio: *Memento etiam Domine famulorum, famularumque tuarum, N. N. qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis.* Igitur non Caroli primùm ætate Sacrificium pro defunctis, & in omni Sacrificio, oratio pro defunctis; sed ab ipsis Apostolorum temporibus, idque per universam Ecclesiam, teste *Augustino*, pia hæc consuetudo obtinuit, *Verbo* cumprimis *tradito* innixa. Quid nunc ad hæc Nifani, qui ubique ad Carolum Magnum nos provocas? nisi ut antiquas tuorum nænias canas, & Lutheri deliria totius Ecclesiæ, & omnium SS. Patrum auctoritati anteponas?

VI. Nunc ad ipsum *Sacrificium Missæ* in genere redeamus, & quale id apud vos sit, inspiciamus. Professio vestra in Augustanâ confessione hæc est: *Falsò accusantur Ecclesiæ nostræ, quòd Missam aboleant; retinetur enim Missa apud nos, & summâ reverentiâ celebratur.* Apologia addit: *Fiunt apud nos Missæ, singulis Dominicis & alijs festis diebus.* Hic ut fraus vestra pateat, explorandum, qualis sit illa Missa Lutherana? quam alia etiam editio Augustanæ confessionis habet, *Romano more* apud vos peragi.

Sacrificium Missæ, primò accipitur pro eâ parte *Liturgiæ*, quæ peragitur usque ad offertorium, diciturque *Missa Catechumenorum*, quod eâ

eâ parte finitâ, olim *Catechumeni*, & *pœnitentes* juberentur exire; quibus fas non erat, oblationi, consecrationi corporis, ac sacris istis mysterijs interesse: ideo publicâ voce, dum eò perventum erat, Diaconus clamabat: *Ite Missa est.* Uti hæc apertè docet *Concil. Carthag. 4. c. 84. & cap. Episcopus, de Consecrat. dist. 1. Concil. Ilerdense c. 4. Concil. Laodicenum c. 19. Clemens lib. 8. const. Apost. c. 12. Cassianus lib. 2. de instit. Mon. c. 15. Gregorius Magnus lib. 2. Dial. c. 2. Ambrosius lib. 5. Epist. 33.* Augustinus serm. 237. de tempore: *Ecce*, inquit, *post sermonem, fit Missa Catechumenis, manebunt fideles.* Hunc in modum, accipitur etiam pro officio divino, in quo preces, lectiones, & alij ritus, ante dimissionem Catechumenorum agebantur: uti hos Justinus Martyr descripsit. 2. *Missa* accipitur pro illâ parte *Liturgiæ*, quæ est ab Offertorio usque ad finem, quæ propriè MISSA FIDELIUM est, teste Alcuino *lib. de off. Eccles. cap. de celeb. Missæ.* Planè Ambrosius *lib. 5. Epist. 33: Ego mansi in munere, Missam facere cœpi, orare in oblatione.* 3. *Missa* accipitur pro toto officio divino, quâ acceptione comprehendit Missam Catechumenorum, & fidelium; atque ita in præsenti *Missa* sumitur. Quare peracto Sacrificio, Diaconus, aut Sacerdos modò dicit: *Ite Missa est.*

His positis; Primò quæramus à Lutheranis: quâ veritatis voce, dicant cum Augustana confessione *Missam à se retineri?* qui Missam tantummodò Catechumenorum retinent, ex eâque *Introitum, Kyrie-eleison, Collectam, Hymnum, Gloria in excelsis, Lectionem Epistolæ, Evangelium,* & *Credo*; idque ubi antiqua Lutherana forma manet: Ex Missa fidelium nihil retinent, præter *Præfationem* & *orationem Dominicam*; ipsa verò *Oblatio*, totusque *Canon*, in quo *consecratio, oblatio*, & *sumptio* à Sacerdote peragitur, cum omnibus essentialibus, & integralibus partibus sublata sunt. Dicitis, consecrari à vobis Eucharistiam, & populo distribui: sed illâ consecratione vestra, non peragitur *Sacrificium*, quod diversum est à Sacramento; nec à Lutheranis agnoscitur pro *Sacrificio*, nec à Sacrificante sumitur, nec secundùm Christi institutionem perficitur, ut suprà assertum est: præterquàm, quod *Epistola* illa *ad Corinthios*, quâ consecratis, nondum scripta fuerit, cùm Christus in Cœna *Sacrificium*, & *Sacramentum* institueret, sed diu pòst, à Conversione S. Pauli.

Secundò quæramus à Lutheranis: quo principio suæ religionis, hanc *Missam* suam, seu divinum officium illud, diebus Dominicis &

festis peragant? Enimverò eorum principium est, nihil credere, *quod non sit expressè in verbo Dei scripto.* Quæ autem Scriptura docet, in *Missa* vestra, *Introitum, Kyrieeleison, Collectas, Epistolæ* & *Evangelij* lectionem, *Credo, Præfationem, orationem Dominicam*, eo, quo Catholici servant ordine, ad Missam, & divinum officium requiri? Hæc enim omnia à *Papistis*, & ex *Missa D. Gregorij* dicitis provenisse; quæ per fragmenta Sacrificij Missæ retinetis. Quare non potiùs cum *Calvinistis*, hæc omnia abijcitis? Rident illi vos, quòd contra principia religionis vestræ, hanc *Missæ* vestræ formam, *ex Verbo tradito*, ex Pontificum Romanorum constitutionibus retineatis. Ubique *Augustana confessio*, & *Apologia* conqueritur de *traditionibus* nostris, & cultu tot *cærimoniarum*, quæ in nullo *Verbo scripto* extent; Ex quo nunc *Verbo scripto*, hanc *Missæ* vestræ normam, & *Liturgiæ* formam docebitis? Et quid hæc ultrà contendimus? quando ipsa dissensio vos satis redarguit: Videas enim, alibi apud vos hæc Latinâ adhuc linguâ, alibi vulgari linguâ permixtâ, alibi integrè, alibi mutilè peragi; prorsus ut in *vestibus sacris*, ita hîc variatio & *dissonantia Liturgiæ* vestræ. Unum laudare necesse habeo, quòd in his propiùs adhuc Catholicis, quàm *Calvinistæ* & cæteri Novatores, hæreatis: tanquàm *primi*, qui ex Ecclesia Catholica inter Germanos *exîstis*; cæteri, quo posteriores, eo longiùs recedunt, & proficiunt in pejus. Carolus Magnus, si in vitam rediret, aspiceretque hanc, quam ille religionem introduxit in Saxoniam, ita immutatam, deformatam & laceratam; quid aliud diceret, quàm quod ad Elipandum, & Hispaniæ Episcopos, ex Augustino scripsit? *Vos, qui tam pauci estis, imò tam seri, & novi estis; unde putatis vos aliquid veriùs invenire potuisse, quàm quod universalis, toto orbe diffusa, tenet Ecclesia? Redite ad pium matris Ecclesiæ gremium illa vos foveat & nutriat; donec occurratis, in virum perfectum, & in plenitudinem corporis Christi.* Tanta in Catholica Ecclesia est constantia in religione, tanta in castissimis cærimonijs concordia, ut nec *stola* in vestibus sacris, nec *lumen* in altari, nec *ritus* necessarius in Canone, nec actio principalis in Sacrificio, ullibi gentium per Occidentalem Ecclesiam desit: adeo *unus Spiritus S.* omnia apud nos regit, à quo & omnes se in unâ Ecclesia regi intelligunt.

CAPUT III.

CAPVT III.

De Missa privata.

POst ea, quæ contra Sacrificium Missæ scripsit Nisanius, totus invehitur in *Missas privatas*; non aliam magis ob causam, ut prætendit, quàm quod decreta quædam Caroli Magni, contra Missas privatas reperisse se dicat. Quæ tamen, quàm falsò introducat, mox exponam: interim nihil contra ipsum Sacrificium Missæ, ex Caroli Magni Capitularibus, aut Synodis proferre ausus, quòd videret *Carolum*, ex hoc fidei dogmate, totum *Catholicum*. Verùm, cùm Sacrificium Missæ, quoad substantiam rei, à Carolo Magno habeamus, quid circa modum fatigas te, & nos? quanquam ex quo capite *Missas privatas* oppugnes, vix ipse scire videaris, tam tumultuarium denuò hoc tuum scriptum est. Ordine igitur procedamus, quæramusque.

I. *Missa privata* dicitur, quæ celebratur in privato aliquo oratorio, aut sacello, aut in ædibus etiam super altare consecratum: comparatè videlicet ad eas Missas, quæ celebrantur in publico templo. Has Missas cùm sectarijs damnat *Nisanius*, asseritque circa tempora Caroli Magni primùm cœpisse; id verò quàm falsum sit, constat 1. Christi exemplo, qui primùm Missam celebravit, ac Cœnam instituit in domo privata. 2, Exemplo Apostolorum, *Actor.* 20. qui *circa domos frangebant panem:* consecratio verò panis & Eucharistiæ, ritu Catholicorum non fit extra *Sacrificium.* 3, Exemplo Pontificum Romanorum, & Episcoporum, qui tempore persecutionum celebrabant in *cryptis*, & terræ latebris; Ita S. *Lucianus* Martyr, teste Nicephoro lib. 8. hist. c. 31, sacrificavit in carcere. Ad hunc modum, antequam publicè libera esset Christiana religio, Episcopi *Treviri, Moguntiæ, Coloniæ*, alijsque per *Galliam* & *Hispaniam* locis, celebrabant in privatis ædibus, & latebris suis. 4. Extra persecutionum tempora, cùm jam libera, & publica esset Christiana

ſtiana religio, *Gregorius Nazianzenus* conſtructa exigua cellula, in oratorio ſacra fecit, *Sozomen. lib. 7. c. 5.* S. *Ambroſius*, in domo clariſſimæ fœminæ, ab ea rogatus Sacrificium obtulit, teſte Paulino in ejus vita S. *Auguſtinus lib. 22. de Civit. Dei c. 8.* ſcribit, Heſperium Tribunum, habuiſſe domum in Fuſſalenſi fundo à malignis ſpiritibus infeſtatam, magnâ ſervorum & animalium afflictione; poſtquàm verò ejus rogatu, Presbyter in ea domo obtulit Sacrificium corporis Chriſti, Deo miſerante ceſſavit vexatio. *Caſſius* Narbonenſis Epiſcopus, in Epiſcopij ſui oratorio Miſſam celebravit, cùm ad Eccleſiam, morbo impeditus, accedere non poſſet, uti id refert Gregorius Magnus hom. 37. S. *Joannes Eleemoſynarius*, cùm populum tempore ſacri Eccleſiam egredi videret, *Ego*, inquit, *filij, propter vos ad Eccleſiam deſcendo, nam mihi ipſe in Epiſcopio Miſſas facere poſſem.* Et quid uſitatius, quàm Epiſcopos, Cæſares, Reges & Principes Chriſtianos, habuiſſe oratoria domeſtica, ad Celebrandas Miſſas? quàm multa in hanc rem exempla adſunt ex omni antiquitate? Et quid vos Prædicantes hæc in Catholicis damnatis? cùm vos ipſi veſtrum exercitium divinum, quod Sacrificio Miſſæ ſubrogaſtis, *furtim in ædibus nobilium* inter Catholicos peragatis? Imò dum ægros & morituros communicatis, privatas veſtras Miſſas celebratis. Quid enim Miſſa apud vos, niſi conſecratio Sacramenti Euchariſtici, & communicatio ejuſdem? At vos in ædibus ægrorum & morientium, paſſim per villas conſecratis, *lectâ Epiſtolâ ad Corinthios* ſupra panem & vinum, diſtribuitiſque hoc Sacramentum: ergo *Miſſas* veſtras *privatas* habetis, cùm in Eccleſijs veſtris nec tabernaculum habeatis, in quo hæc ſerventur Sacramenta *extra uſum*, neque *extra uſum* doceatis Chriſtum præſentem eſſe in cœna veſtra.

II. Miſſæ privatæ dici poſſunt, quæ extra diem Dominicum, aut feſtos dies quotidie fiunt diebus ferialibus, vel pro obligatione Sacerdotum, vel pro pietate cujuſque. Et hujus rei multa rurſum ſunt teſtimonia & exempla SS. virorum. Chryſoſtomus *hom. 3. in Epiſt. ad Eph.* ſcribit, quotidianam ſuo tempore fieri ſolitam oblationem. Auguſtinus *Epiſt. 23* ſcribit: *Chriſtum ſemel in cruce immolatum, omni die in Sacramento populis immolari.* Hieronymus *in cap. 1. ad Titum* dicit: *Sacerdotes quotidie pro peccatis populi ac ſuis ſacrificare.* Hippolytus *in orat de Antichriſto* ſcribit, Chriſtum in die judicij dicturum: *Venite Pontifices,* qui

qui pretiosum corpus meum quotidie immolastis. Cassius Narbonensis Episcopus, teste Gregorio Magno *hom.37.* singulis diebus Missam celebravit: quemadmodum *S. Andreas* singulis diebus agnum immaculatum sacrificabat, quod discipuli ejus in historia passionis hujus Apostoli memorant. Idem de *D.Ludgero* refert auctor Vitæ, eum ferè singulis diebus celebrasse Missam. Idem de *S.Willehado,* alijsque Apostolicis viris perhibent Scriptores.

Verùm, non tam hæc damnant Novatores, quàm illas Missas, quæ sine populi conventu fiunt, uno tantùm alterove, præter ministrum, præsente; aut solo etiam ministro respondente: id cumprimis perstringit Nisanius: quemadmodum ante id ex Apologia Augustanæ Confessionis, malè edoctus hausit. Ideò scribit, harum Missarum, ante Gregorij Magni tempora, nullam fieri mentionem: quod quàm falsum sit, suprà ostensum est ex Missis in privatis ædibus celebratis. Quin ipse *Brentius* vester *in conf. Wittenbergensi cap. de Euch. Satis esse*, dicit, *si duo tantùm adsint minimum, unus qui administret Sacramentum, alter cui porrigatur.* Quod sanè multo magis habet locum in Sacrificio Missæ, dummodò minister adsit, qui respondeat. Et ratio ex natura Sacrificij id convincit. Quid enim Sacrificium, nisi *cultus Latriæ, quo hostia Deo offertur pro populo?* Id sanè Sacerdos facere potest, etsi populus non adsit: in quo Sacrificium simile est orationi; imò est quædam realis & efficacissima oratio: atqui oratio pro quo fit, efficax etiam est, etsi ille, pro quo fit, non adsit. Hinc discas primùm, quid sit Sacrificium ex Catholicorum doctrina, quàm calumnieris. Eadem fuit ratio in veteri Testamento, in quo *privata Sacrificia* fuisse disces, vel ex Abraham, quando solus cum filio ascendit montem ad immolandum: quod tamen verum *Sacrificium* fuisse nemo negaverit. Imò, quis populus convocari potuit, quando *Abel* & *Cain* sacrificabant? & quando Noë egressus arcam obtulit? Quæ tamen vera fuisse Sacrificia, quis unquam dubitavit?

III. Missa privata dicitur, in qua solus Sacerdos communicat, & hæc est *Missa privata*, quam Augustana confessio, & Apologia reprehendit. Ad hoc enim, inquit, Missa facienda est, ut ibi porrigatur Sacramentum. Hinc Sacrificium Missæ cum Sacramento confundunt, & Missam nihil aliud esse volunt, quàm cœnæ confectionem & distributionem. Sed hæc somnia vestra sunt, ut cap.1. ostensum est. Longè diversa ratio

Sacrificij, & *Sacramenti:* Sacrificium essentialiter, & integraliter consistit in oblatione, consecratione, & sumptione à Sacerdote facta; & perfectissimè completum est, etsi neque populus adsit, neque ullus laicorum communicet, uti ex natura Sacrificij paulò ante ostensum est. Atque id passim omnes Catholici doctores & Theologi planissimè demonstrant, quos hac super re consulere potes, antequam tam insulsè scribas. Nihil ex fundo piscaris, sed spumam tantùm cum plebeis scriptoribus sorbes.

Dicunt quidem alij: Christus instituit cœnam suam, non ut esset privata actio Sacerdotis & Sacrificij, sed communis totius Ecclesiæ; non igitur illa Missa peragenda, in quâ solus Sacerdos consecrat & communicat. Respondemus: Missa nunquam est privata actio Sacerdotis, sed communis totius Ecclesiæ: quia à communi Ministro, pro communi Ecclesiæ bono offertur. Ideò omnis Minister, Sacerdos & *Pontifex ab hominibus assumptus* est, & *pro hominibus constituitur, ut offerat dona & Sacrificia* Hebr. 5. proinde semper ex omni Missa, est communio & fructus Ecclesiæ, etsi nulli intersint; aut si intersint, spiritualiter communicare possunt, ex eâque spirituali communione publicus est fructus. Quod si verò de Eucharistiæ manducatione agatur; fatemur, Christum instituisse cœnam & Sacrificium simul; sed non jussit, ut illa duo nunquam separentur: quasi Sacrificium non possit offerri, quando nulli adsint, aut communicare velint. Rem omnem exponit, & definit Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 6: *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solùm spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ participatione communicarent, quò ad eos Sanctissimi hujus Sacrificij fructus uberius proveniret: nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas, & illicitas damnat, sed probat, atque adeò commendat: siquidem illæ Missæ verè communes censeri debent; partim quòd in eis populus spiritualiter communicet; partim verò, quòd à publico Ecclesiæ ministro non pro se tantùm, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.*

Primis nascentis Ecclesiæ temporibus, singuli Christiani quotidie Corpus Christi sumebant, communicabantque, uti id ex *Actis Apostolorum* colligitur, quod & in *Capitularium lib. 6. c. 167.* Carolus M singulis diebus Dominicis fieri optat, non tamen præscribit. Pòst, ubi fervor Christia-

Christianorum refrixit, menstruæ, & diutius prolatæ communiones fuere in populo: indè consuetudo apud multas Ecclesias permansit, ut Christiani singulis diebus Dominicis in Quadragesima communicarent: quod & tempore Caroli Magni, *in Capitulari Theodulphi Aurelianensis Episcopi* præscriptum lego, & cumprimis in die cœnæ Domini, *can.41*, quod jam ante Soter Papa sanxerat, *cap.* In cœna *de consecrat. dist. 2.* Refrigescente deinde magis caritate, ac pietate, Fabianus Papa præcepit, ut singuli saltem ter in anno, videlicet in Natali Domini, in Paschate, & Pentecoste communicarent, ut habetur *cap.* Etsi non frequenter *de consecrat. dist.2.* Idem in Concilio *Agathensi* plus quàm ante mille annos sancitum, *can.18.* Et tamen ejusdem Concilij canone 47, jubentur Christiani singulis diebus Dominicis interesse Sacrificio Missæ, usque ad Sacerdotis benedictionem. Ex quibus clarissimum est, plurimas Missas per annum celebratas sine communione populi. Ita quoque in Concilio *Turonensi III, can.50.* statutum lego: *Si non frequentius, vel ter laici homines in anno communicent.* Celebratum est id Concilium tempore Caroli Magni, eoque jubente ac probante. Inde quoque conficitur, plurimas Missas etiam publicas & solemnes, sine communione populi celebratas fuisse; maximè in parochijs oppidorum & pagorum. Tandem lex Ecclesiæ lata, ut Christiani semel in anno, idque in festo Paschatis, Eucharistiæ Sacramentum sumant. *cap.* Omnis *de pœnit. & remiss.* Quæ lex demum à Concilio Tridentino *sess.13. can 9.* confirmata, sancitaque est. Hæc paucis ex sententia Catholicorum: audiamus nunc quæ opponantur.

I. Objicis ex jure Canonico, *cap.* Peracta, *dist.2. de consecrat.* ex quo refers: *Peractâ consecratione, omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus.* At bene dixit Synodus Nicæna: *Hæreticorum est mutilatas sententias proferre.* ℞. verba hæc juris Canonici, habentur etiam integrius, de consecrat. dist.1. cap. *Episcopus*, & sumpta sunt ex Anacleti Epistola 1. quam leges tom.1. Concil. General. Is ita de Episcopo sacrificante: *In solemnioribus diebus, aut septem, aut quinque, aut tres Diaconos, qui ejus oculi dicuntur, & Subdiaconos, atque reliquos ministros secum habeat: qui sacris induti vestimentis in fronte, & à tergo, & Presbyteri è regione dextra lævaque contrito corde, & humiliato Spiritu, & prono stent vultu, custodientes eum à malevolis hominibus, & consensum ejus*

præbeant Sacrificio. Peractâ autem consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus: sic enim & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia. His postremis verbis non aliud præcipitur, quàm ut solemnioribus diebus ministri, qui Episcopo sacrificanti assistunt, communicent; id quod canone 9. Apostolorum, jam præscriptum erat, uti & Sirmondus in notis docuit. Sed ubi nunc, Nifani, Episcopus sacrificans apud vos? ubi Sacrificium? ubi ministri illi, qui istic recensentur? ubi vestimenta sacra? ubi Romana Ecclesia, quam hic audiendam præscribit Anacletus? Quanquam totum illud testimonium Anacleti, si admittatur etiam de populi communione, nihil contra nos facit, qui ultrò damus, communionem populi tum in Sacrificijs viguisse. Imò Canonem X. Apostolorum proferre debebas, si quid probare velles, sed nec ille ex præcepto procedit.

Sed mirum, quâ fronte communionem populi ex Sacrificio urgeatis contra nos, qui ipsum Sacrificium sustulistis; nec id, quod urgetis, ipsi servatis. Quid enim divina officia apud vos, quæ in locum Missæ celebratis, in quibus nullus communicat apud vos, per urbes, oppida & pagos? Et quis opifices, & rusticanam plebem singulis diebus Dominicis & festis trahat & cogat ad communionem? quæ enim probatio, quæ sanctitas vitæ ex Apostoli judicio non requiritur, ne quis *judicium sibi manducet, & reus fiat corporis & sanguinis Christi?* Plebem urgetis ad confessionem & communionem, & nulli rariùs ad hæc Sacramenta accedunt, quàm vos ipsi Prædicantes & Ministri: plerique vestrûm ne intra annum quidem participant. D. Anacletus, qui Episcopos & Sacerdotes nobis hac Epistola sacrificantes sistit, non aliter sistit, quàm qui sacrificando ipsi prius communicarent, uti tota exinde servavit Ecclesia. Indè illa decreta Conciliorum, ne quis Presbyter Missam celebret, qui non simul ipse sumat; quando in sumptione, si non essentialis, certè integralis pars Sacrificij consistit. Omissis in hanc rem alijs Pontificum & Conciliorum testimonijs, habes Aquisgranense Capitulare Caroli Magni, seu Aquisgranensem Synodum, anno regni ejus XX. celebratam, ut supra retuli, in quâ Canone 6. ita decernitur: *Auditum est, aliquos Presbyteros Missam celebrare, & non communicare, quod omnino in Canonibus Apostolorum interdictum esse legitur. Vel quomodo dicere rectè potest, si non communicaverit, Sumpsimus Domine Sacramenta? Hæc verò per singula capita in statutis*

tutis Nicani Concilij legere potestis, seu & in alijs sanctorum Patrum Synodalibus institutis vel edictis. Hæc Synodus se refert ad canones Apostolorum, inter quos Canon IX. id præscribit, uti & cætera Concilia. Idem lib.1. Capitularium Caroli Magni ijsdem verbis c.6. sancitum leges, & lib.6. Capitularium c.118: *Placuit, ut quotiescunque Sacrificans corpus & sanguinem Christi Jesu in altari immolat, toties perceptorum corporis & sanguinis Christi se participem prabeat.* Secundùm hanc doctrinam Apostolicam, Catholici Sacerdotes nefas habent, sacrificium Missæ celebrare, & non communicare. Quis autem vos Prædicantes & Superintendentes videt communicantes, dum missam vestram & officium divinum singulis diebus Dominicis peragitis? populum communicatis, non vos ipsos, quod primùm fieri oportebat, imò intra annum plerique nunquam. Interim populum urgetis ad frequentem confessionem & communionem: *opera nimirum gravia & importabilia, qua ipsi digito non attingitis,* Pharisæorum instar alijs imponitis. Tremoniæ, cùm cives Lutherani à Prædicantibus cogerentur ad confessionem & communionem singulis diebus Dominicis faciendam, atque ipsi interim Prædicantes intra annum non communicarent, questi ob id cives per libellum supplicem coram Magistratu, cogi se ad hæc sacramenta frequentanda, ad quæ Prædicantes non viderent accedere; ita Magistratûs imperio ad cœnam adacti, quam plerumque Prædicantes oppidorum & pagorum apud vicinum Prædicantem privatim in templo sumunt. Vidi ego quoque Superintendentem privatim in diœcesi Osnabrugensi stando cœnam sumere ad altare, è manu alterius ministri. Ita verò, qui privatæ nos Missæ incusatis, & traducitis apud plebem, ipsi privatam cœnam facitis: tanquam puderet vos, inter laicos cum populo communicare, ex quo Sacrificium Missæ abrogastis, in quo suâmet manu se communicare deberent, si veri Sacerdotes essent, & verum Sacrificium Missæ offerrent. Ut vel ex hoc discrimen inter Sacrificium & Sacramentum discere possis: Baptismus enim, Eucharistia, cæteraque Sacramenta, præter Matrimonium, ab alio administrantur suscipienti; in Sacrificio seipsum communicat Sacerdos. Et quò non ex uno errore in alium prolabi vos necesse est? Interim Augustana confessio, & Apologia profitetur Missam à se retineri, uti ab Apostolis tradita est. At ubi Apostolica illa doctrina, de qua hic agimus, ex Canone IX. Apostolorum, ex Concilijs, ex Capitulari Caroli Magni,

ex perpetua & quotidiana in hunc diem praxi toto orbe Catholico? Nullus enim, nisi sacrilegus, apud nos Sacerdos, tam in Occidentali, quàm Orientali Ecclesia Sacrificium celebrat, ex quo priùs non sumat, & se ipsum communicet. Audiamus cætera.

Objicis 2. contra privatas Missas ex concilio Moguntino, quod sub Carolo Magno celebratum est, quòd id can. 43. decernat: *Nullus Presbyter, ut nobis videtur, Missam cantare valet rectè. Quomodo enim dicet Dominus vobiscum, vel sursum corda admonebit habere? & alia multa his similia, cùm alius nemo cum illo sit?* Addis in hanc rem concilium Parisiense, sub Ludovico Pio convocatum, quo can.48. reprehenduntur *Presbyteri, qui sine ministris Missarum solemnia frequentant.* Addis Nannetense concilium in quo dicitur: *Nullus Presbyter præsumat Missam cantare solus, cui enim dicit? Dominus vobiscum, Sursum corda; cum nullus respondet? aut in canone, & omnium circumstantium? cùm nemo adsit?* Addis postremò ex Capitularium lib.5. Canonem 95. (qui tamen 93. est) quo idem, quod in Moguntino concilio, statuitur. ℞. frustrà hæc congeris: nihil enim hæc contra Catholicos, qui docemus: Sacerdoti sacrificanti semper debere adesse ministrum, sive Missam cantet, sive legat: is enim repræsentat populum, cui dicitur, *Dominus vobiscum,* ac cætera, quæ ad circumstantes diriguntur in Missa. Quanquam raræ ejusmodi sint Missæ, in quâ non præter ministrum, plures adsint. alia est Catholicorum pietas, quàm tu somnias. aut si absint, id per accidens est: nec ex natura Sacrificij requiritur præsentia aliorum magis, quàm dum vos ægros & morituros communicatis, solo sumente & ministro præsente.

Et quæ in illa cœnæ administratione alia apud vos in privatis ædibus consecratio, quàm *Epistolam ad Corinthios,* super panem in pixide, & vinum in ampulla allatum, legere? Hinc, cùm non ita pridem nobilis Lutherana matrona morti proxima accerseret Prædicantem pro Viatico sacro, Prædicans per famulam matronæ præmisit pixidem, in qua hostia seu orbicula panis, cum *aleis,* & *chartis lusorijs* inclusa erat; id ubi matrona famulæ indicio conspexit, aversata Prædicantem, qui tam indignè sacra tractaret, Catholicum Sacerdotem ad se evocavit, à quo sacris refecta est. Hæ privatæ, & quotidianæ vestræ sunt Missæ, ex quo consecratam Eucharistiam in tabernaculo servare desijstis. Interim tu Catholicorum Missas non privatas, sed solitarias vocari debere scribis: quasi

quasi verò Sacrificium apud Catholicos; à solo Sacerdote sine ministro ullibi gentium peragatur. Hæc licet videas quotidie Bilfeldiæ apud Catholicos, & legere possis in D. Thoma, in Bellarmino lib. de Missa, Azorio lib. X. c. 29, alijsque innumeris scriptoribus, falsò tamen scribere non desinis. At verò, dum in Nannetensi concilio, à te recitato, Canonem Missæ legis; & in eo, uti in cæteris verba Canonis; quid aliud legis? quàm vestram Lutheranam Missam, quæ canonem eliminavit, prædamnari?

Obijcis 3. Missas privatas non alio instituto multiplicari in Romana Ecclesia, quàm lucri & quæstus causâ. Tu quis es? qui ita judicas Ecclesiam Catholicam, & tot Episcopos, & sanctissimos viros, qui quotidie Sacrificium obtulêre Deo, & tot altaria cum templis erexêre? Tot præterea Cæsares, Reges, Principes & Christianos damnes necesse est, qui altaria dotarunt, & pro se vivis, & pro defunctis familiæ suæ, Sacrificia offerri voluerunt. Scis, quid Apostolus scribat 1. Cor. 9: *Quis militat suis stipendijs unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Dignus enim est operarius cibo suo.* Matth. 10. Scis, quid Carolus Magnus de oblationibus tot legibus præscripserit, commendaritque. Quod si de lucro, ex sacrorum administratione agatur inter nos, ejusque abusu: quæ Ecclesia sine ministrorum vitijs & excessibus? utrumne verò apud nos Catholicos, quod ubique Augustana confessio criminatur, an apud vos Lutheranos, hîc excessus sit major? nolim hoc magnopere moveas. Unde vos Prædicantes cum uxoribus, liberisque vivitis? unde familiam alitis, senatorum luxu parem? unde filias dotatis? unde opes colligitis? nisi ex bonis Ecclesiæ, quæ sunt, *vota fidelium*, *pretia peccatorum*, *& patrimonia pauperum?* quæ longè alio fine à majoribus donata, & ab Ecclesia instituta sunt. Quòd si Catholicis Sacerdotibus ex altari proveniant stipendia vitæ, nemo queri potest: quando ex Sacrificio, & vera Sacramentorum administratione, fructus pervenit ad laicos. Vos nec Sacrificium offertis, ex quo populo fructus esse possit; & Sacramenta, quæ populo administratis, præter Baptismum, inania & egena elementa sunt: quia Sacerdotes non estis. Et quàm non fraudem vos populo quotidie facere necesse est, dum ex copulatione conjugum, ex sepulturis mortuorum,

ex Ba-

ex Baptiſmi miniſterio, & honorario dono pœnitentium, ex oblatione communicantium ad altare, longè auctiora, quàm Catholici, ſtipendia colligitis. Tollat Magiſtratus nummum & donarium confeſſionis, oblationeſque altaris, brevi confeſſio exſpirabit, & cœna refrigeſcet, brevique Calvinianæ eccleſiæ facies apud vos erit. Memini, dum trans Viſurgim verſarer in Saxonia, duos Prædicantes, Paſtorem, & Sacellanum Lutheranum ſtare ad altare ſolemni die, cœnæ adminiſtratione occupatos; & dum populus ad utrumque cornu altaris offerret, increſceretque ex favore populi cumulus nummorum Sacellano, indignatus Paſtor, cœpit rixari cum Sacellano; à rixis ad pugnos, & ad verbera & vulnera perventum: nec ceſſavit hæc *cruenta ſcena*, in *ſacra cœna*, donec adſtantes honoratiores viri revellerent pugnantes à ſe: ac parum aberat, quin Miniſter calicem ſacrum capiti alterius impingeret. Quid non facit cupiditas pecuniæ, etiam inter ſacra myſteria? Supervacaneum ejuſmodi referre: *Inimici noſtri ſint judices.* Quando tot libri veſtrorum hominum extant, quibus vobis luxum, avaritiam, matrimonia cum opulentis filijs & viduis, quæſtumque ſacrorum exprobant. Sed mittamus hæc, nec contendamus de vitijs utriuſque partis, à quibus nec ego Catholicos abſolvo. Quamvis hoc inter Catholicos, & Lutheranos interſit: ut ſi quid lucri Catholici Sacerdotes ex ſacris participent per exceſſum, id tamen ex verâ ſacrorum adminiſtratione percipiant; vos autem Lutherani, cum nec legitimè Miſſi, nec veri Sacerdotes ſitis, duplici ſemper fraudi obnoxij eſtis, tam falſorum Sacramentorum quæ populo porrigitis, quàm falſi ſtipendij, lucrique ſacrilegi, quod nullo jure ut Catholicis, vobis competere poteſt.

Obijcis quartò, & tanquam novus Dictator ex officina textorum pronuntias: Miſſam vulgari cujuſque gentis linguâ celebrandam. Multa hîc rurſum congeris, etiam ex Caroli Magni Capitularium libro 6. c.73. quanquam verba à te non integrè citantur. Ita ergo habent: *Inſtituantur nimirum fideles, intelligant vim & myſterium Dominici corporis & ſanguinis, & Miſſæ, ſive precum, quæ in ea à Sacerdote fiunt*; recitantur deinde verba Canonis, *Memento Domine famulorum famularumque tuarum*, & quæ ſequuntur. Ubi Carolus non dicit, Miſſam vulgari linguâ peragendam: aliàs ipſa verba Latina non recitaret ex Canone, aut certè in linguam Germanicam hæc vertenda præſcriberet, nec diceret, lib.5.

capit.

Capit.c.219: *Missam ordine Romano* peragendum esse, quæ Latina lingua celebrata fuit. Quid ergo Carolus? nempe, ut populo explicetur à Sacerdotibus, quid in Missa oretur, & pro quibus oretur; nimirum tam pro vivis, quàm defunctis: uti in commemoratione post consecrationem additur: *Qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis.* Quid nunc opus illis tuis fallacijs? aut ubi oratio apud vos pro defunctis? candidè tandem, & Germanâ fide age nobiscum. Germanam linguam urges, & Punicâ fide scribis. Imo contra Augustanam tuam confessionem, quæ sic habet art. III. de Missæ abusibus: *Retinetur Missa apud nos, & summa reverentia celebratur: servantur & usitata cærimoniæ ferè omnes, præterquam quod Latinis cantionibus admiscentur alicubi Germanica, quæ addita sunt ad docendum populum.* Quod autem subjungis Germanos & Scythas Germanâ & Theotisca lingua in sacris usos fuisse, id de Sacrificio Missæ falsissimum est. Nullum tu librum Liturgicum seu Missale vetus à Carolo Magno introduces ad Lutheri tempora, in quo vel ullum Germanicum verbum contineatur insertum: Supersunt ejusmodi libri Liturgici ex omni ætate quam plurimi. Præstandum quidem est, & commendatum Episcopis in Concil. Moguntino & Turonensi can.17, ut Homilias SS. Patrum, in rusticam Romanam, aut Theotiscam linguam verti curent: nullibi tamen id de Sacrificio Missæ, aut Missæ etiam precibus à Carolo præscribitur. Locus verò Apostoli 1. ad Corinth c.14. quem in hanc rem adducis, non de Sacrificio, sed conventu primorum Christianorum, & collatione ante Sacrificium agit; in quo alius *psalmum*, alius *doctrinam*, alius *apocalypsin* & revelationem, alius *linguam*, nempe peregrinam, ex qua Apostolus interpretationem requirit: Missa verò ipsa non dirigitur ad populi instructionem.

℟. Nunc paucis ad rem ipsam, ex naturâ Sacrificij, quod in oblatione, consecratione, & sumptione consistit: ac tametsi ad oblationem necessariò, & ad consecrationem essentialiter verba requirantur, ea tamen non ad populum docendum, sed ad Deum diriguntur, & in consecratione ad elementum consecrandum: elementum verò verba non intelligit. Idem est de sumptione, quando totum Sacrificium non ad populum instruendum, sed ad Deum primariò colendum, & ad impetranda populo beneficia institutum est. 2. Si vulgari lingua Sacrificium esset offerendum, necesse esset frequenter verba Sacrificij mutare, quando

quæ alio tempore vulgaria sunt, alio verò non sunt. Deinde tolleretur communicatio Ecclesiarum: nec enim posset Sacerdos Italus in Germania, & Germanus in Italia celebrare. Idem est de Gallia, Hispania, Polonia, Anglia, alijsque nationibus. Quanquam non minus sit contra dignitatem, reverentiam & majestatem Sacrificij, quod tribus sacris linguis Hebræâ, Græcâ & Latinâ convenit peragere. Quò & illud referas, quòd in Missa quædam submissâ voce dicantur: qualia enim *Mysteria*, quæ ad omnium aures quotidie perferuntur? quâ super re Bellarminus c.12. lib.2. His alijsque diligenter maturèque expensis definivit Concilium Tridentinum sess.22. c.8: *Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim linguâ celebraretur.* Hoc Concilium fundat se in retento ubique, & antiquo cujusque Ecclesiæ usu, & Romanæ Ecclesiæ probato ritu; quippe quæ mater est omnium Ecclesiarum & magistra. Unde & Carolus Magnus Capitularium libro 5. c.219: *Unusquisque Presbyter Missam ordine Romano celebret.* Monet interim Concilium, ut frequenter Mysteria Sacrificij Pastores populo exponant, uti & Carolus Magnus hæc suprà expetijt. Quod si fideliter præstarent Pastores, nulla populi querela relinqueretur; perinde ut in Baptismo, alijsque Sacramentis, quæ Latinâ apud nos linguâ peraguntur, usu venit: neque ideo Lutherani doctiores sunt, quia vulgari linguâ hoc administrant, quàm Catholici. Rusticus Catholicus verâ fide illustratus, & doctus sequi judicium Ecclesiæ, multo est doctior, quàm Lutheranus Theologus. Et quæ Mysteria Sacrificij apud vos? qui cum Canone omnia Mysteria sustulistis.

At dicent: Teste Azorio p.1. lib.7. Instit. mor. c.26. Ecclesia permisit, ut Alexandrini populi & Ægyptij Arabicè, Armeni Syriacè, & Moravi olim Sclavonicè, Dalmatæ Dalmaticè, & Russi seu Rutheni vulgari suâ linguâ, divina officia peragerent. Hæc tua objectio, quâ insultas. Respondet Azorius: Alexandrinos, Ægyptios, & Armenos id in Græcorum odium à quibus se avulserant, extorsisse; apud Moravos verò invaluisse, quia Cyrillus & Methodius, à quo ad Christi fidem perducti erant, id ante Sexcentos annos à Pontifice impetrârant, uti Æneas Sylvius in hist. Bohem. c.13, & Cromerus lib.3. de rebus Polonorum referunt. Quanquam ut id credam, ægrè mihi persuadeo: nam quæ ab Introitu Missæ ad oblationem peraguntur, in his multa canendo & legendo ad

do ad populi instructionem & præparationem accommodata sunt, ut ex Justino æstimes: cætera in arcanis peraguntur. Neque de his integrum judicium hæreticis esse potest, mysteriorum Ecclesiæ ignaris.

Demum non hîc agitur, an Sacrificium Missæ non possit in aliâ, præter tres Sacras linguas, peragi? maximè in Syriaca & Chaldaica, quæ non aliter, quàm dialectis ferè differunt, cæterisque etiam; sed an expediat, & cujus auctoritate id permitti debeat? Moravi & Sclavi, id Romani Pontificis auctoritate obtinuerunt, nec ultrà evincit testimonium Innocentij III. à te adductum. Cæterùm, cùm id Bohemi quoque peterent, negavit Gregorius VII. Pontifex, qui in hæc verba rescripsit Duci Bohemiæ, lib. 7. Regist. in Epistola: *Quia,* inquit, *nobilitas tua postulavit, ut secundùm Sclavonicam linguam apud vos divinum officium celebrari annuntiemus; scias, nos huic petitioni tuæ nequaquam posse facere satis, & hoc nempe sæpe volventibus liquet, non immeritò sacram Scripturam omnipotenti Deo placuisse, quibusdam in locis esse occultam: ne si ad liquidum cunctis pateret, fortè vilesceret, & pateret despectui, aut pravè intellecta à mediocribus in errorem deduceretur.* Hæc ille sapienter. Vos autem Lutherani, auctoritate supra omnes Orbis Episcopos, & Pontifices vobis sumptâ, non modò divinum officium mutastis in vernaculam linguam, sed & ipsum Canonem & Sacrificium sustulistis ex Ecclesia, & ritu hactenus inaudito novam sacrorum formam introduxistis. Sanè verò, si omnes Romani Pontifices à S. Petro ad hunc usque diem percenseantur, omnes simul in unum collecti, non tantam sibi potestatem in mutandis Ecclesiæ ritibus sumere ausi sunt, quantam unus Lutherus sibi arrogavit, immutando cærimonias, abrogando Sacramenta, tollendo Sacrificium religionis, grassando per omnes fidei articulos, & omnia demum sursum & deorsum vertendo. Hæc Hæresis vestræ insania est, quam nobis sapientiam novi evangelij obtrudere non pudet. Bene de vobis Hilarius: *Qui creditis ex Evangelio quod vultis, & creditis quod non vultis; non Evangelio, sed vobis creditis.*

CAPUT IV.

De Auctore, et numero Sacramentorum.

DUo nobis hic controvertit Nisanius cum suis Lutheranis: primum de auctore Sacramentorum, utrumne omnia Sacramenta ad auctorem Christum referri possint? Secundò ipsum numerum Sacramentorum, quem Catholici septenarium profitentur, Lutherani verò ex his duo tantummodo retinent, Baptismum videlicet & Cœnam.

I. Auctor, institutorque Sacramentorum novi Testamenti est Christus; quod dogma certum, atque evidens est ex ipsa Scriptura, quando ipsi Apostoli, non nisi *ministros & dispensatores* Sacramentorum, se agnoscunt 1. Cor. 4: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei:* Non ergo *instiutores,* sed promulgatores & dispensatores Apostoli.

II. Sacramenta veteris Legis, uti & Sacrificia, immediatè à Deo sunt instituta, & à Moyse tantùm promulgata, ut constat ex libris Exodi & Levitici; & hæc tamen egena & vacua erant elementa. Quanto magis Sacramenta legis Gratiæ, Christum Deum auctorem commonstrant? Eadem Patrum sententia. *Cyprianus* serm. de ablut. pedum: *Ipse summus Sacerdos sui est Sacramenti institutor & auctor; in cæteris homines Spiritum sanctum habuere doctorem. Ambros.* lib. 4. de Sacram. c. 4: *Auctor Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus?* Ita *Augustinus,* Epist. 118. ad Jan. Sacramentorum *auctorem* Deum facit.

Sed utrum immediatè omnium Sacramentorum sit auctor Christus, an non quædam etiam mediatè per Apostolos sint instituta? id controverti scribit inter ipsos Catholicos. Interim primò subdolè reticet, quæ præter baptismum & cœnam Sacramenta ipsi Lutherani ex Augustanâ confessione, & Apologia olim receperint, quæ nunc rejecerunt, ut mox referam. Ac tametsi Magister Sententiarum hic l. 4. dist 23, & Hugo

Hugo de S.Victore, extremam *Unctionem* velint ab Apostolo Jacobo institutam; prӕterea Halensis parte 4, & alij quidam, *Confirmationem* in concilio Meldensi post tempora Apostolorum ab Ecclesia institutam dixerint; jam tamen de fide certum est, omnia Sacramenta immediatè à Christo instituta esse: id enim definit *Concilium Tridentinum sess.7. c.1*, unà cum Bellarmino passim Theologi ostendunt. Quocirca in particulari Concilium addidit, *extremam Unctionem* à B.Jacobo Apostolo promulgatam fuisse; ut explicaret, se de immediatâ Christi institutione loqui. Quo sensu Bellarminus Magistrum Sententiarum explicat, eodemque sensu posse etiam cӕteros explicari; tantùmque promulgationem ad Apostolos & Ecclesiam retulisse. Nam satis illi Doctores intellexerunt, nullius esse hominis vel creaturӕ, instituere *signum sacrum & practicum, gratiӕ formaliter sanctificantis*.

Demus etiam tibi, ante Tridentinum non fuisse definitum, utrum omnia Sacramenta immediatè à Christo fuerint instituta; ideo posteriora Concilia accessêre, ut controversias pro tempore ortas contra hӕreticos deciderent, id quomodo faciant, exposui lib.1. c.7. Quare falsissimum est, quod scribis, à Romano Pontifice nova Sacramenta esse instituta & obtrusa populo: Enimverò quomodo id sibi Romanus Pontifex vendicabit? qui cum Concilio Tridentino docet omnia Sacramenta à Christo immediatè esse instituta,& institui debuisse? cùm nec homini nec ulli creaturӕ competat instituere ritus, qui immediatè conferant gratiam formaliter sanctificantem, & peccata remittant. Hinc tua hӕc calumniandi libido est, aut ignorantia.

Demus etiam; (quantumvis falsum sit,) Christum quӕdam Sacramenta communicatâ potestate mediatè per Apostolos instituisse: Fuitne propterea Luthero aut vobis potestas abrogandi Apostolicos ritus & cӕrimonias? ut fecisse vos constat, immutando omnia, & turbando universam Ecclesiam; qui ex septem Sacramentis tantùm duo reliquistis. Quis unquam Pontifex tantam sibi potestatem vendicavit? quam nec omnes simul à S Petro, ad hunc Clementem X. Pontificem, sibi unquam sumere ausi sunt, ut vel unum ex septem Sacramentis aut ritibus illis Ecclesiasticis toto orbe receptis, si ita dicere mavis, abrogarent? Dignior Theologo, quem te prӕfers, quӕstio: Utrumne Christus determinatè instituerit materiam & formam omnium Sacramentorum? & cumpri-

mis Sacramenti Ordinis, ob illud Innocentij IV. cap. *Presbyter:* sed tu in vulgatis & tritis hæres, & nihil vibratum Theologi ingenio adfers; neq; alia, quàm ex alijs hæreticis exscripta; neque hæc ipsa quidem intelligis. Interim tu remittis nos ad *Antichristum,* de quo Apostolus 2. ad Thess. c. 2: *Extollitur supra omne id, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus.* Hunc *Antichristum* dicis esse Pontificem Romanum, qui præter baptismum & cœnam, cætera Sacramenta instituerit; quò simul includas S. Jacobum Apostolum necesse est, à quo *extremæ Unctionis* Sacramentum institutum vultis. Sed hæc tua insana calumniandi libido est, orta ex odio in Pontificem. Veriùs hæc de Luthero tuo dixeris, qui supra omnem Pontificum & Ecclesiæ, imò supra Apostolorum & Christi auctoritatem se extulit, abrogando tot Ecclesiæ Sacramenta, quæ tot sæculis à Christo orbis Christianus coluerat.

Alterum quod hîc controvertis, est *septenarius Sacramentorum numerus:* quem priusquam tibi probemus, operæ pretium erit, vestram dissensionem & fœditatem exponere; quando ipsas hæreses inter se digladiantes retulisse, sæpe etiam satis est confutasse. Quemadmodum teste Hieronymo in Ezech. *Hæreticorum pugna, nostra victoria est.*

Primò, Lutherus lib. de Captivitate Babylonica, sub initium ejus libri docet: *Unum tantum esse Sacramentum*, si secundùm Scripturæ usum sit loquendum; quæ tamen hæresis non reperit discipulos. Haud multo pòst scribit; tria pro tempore Sacramenta esse ponenda, Baptismum, Panem, & Pœnitentiam; ac proinde septem Sacramenta esse neganda: quæ tamen non aliter damnanda sint, quàm quod ex Scriptura probari non possint. Tam vanus, inconstans, & incertus Lutherus.

Secunda eorum opinio est, qui tantùm duo Sacramenta admittunt, baptismum & cœnam. Hanc quia *Lutherus* eodem in libro indicavit, arripuit primùm *Melanchthon,* & post eum *Illyricus, Kemnitius,* & alij Lutherani. Augustana confessio, in articulis Carolo V. propositis, nihil ausa fuit determinare; Melanchthon, qui primùm duo hæc Sacramenta admisit, postea tertium adjecit.

Tertia igitur opinio est eorum, qui tria Sacramenta profitentur. *Baptismum, Cœnam, & Pœnitentiam.* Hanc sententiam, quia Lutherus, (ut diximus) indicavit, secutus est Melanchthon. Ita enim in Apologia

logia ad art. XIII. Auguſt. confeſſ. *Si Sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei, & quibus addita eſt promiſſio gratiæ, facilè eſt judicare, quæ ſint propriè Sacramenta.* Et mox: *Verè igitur ſunt Sacramenta, Baptiſmus, Cœna, Abſolutio, quæ eſt Sacramentum Pœnitentiæ.* Hanc ſententiam poſtea Lutherus libro ad Pragenſes, & lib. de Miſſa privata, & demum anno M D XLV, qui fuit penultimus vitæ ejus, in Aſſertionibus contra Lovanienſes confirmavit. Ita enim aſſert. 35. *Pœnitentiam cum virtute clavium abſolventium, libenter Sacramentum confitemur, habet enim promiſſionem & fidem remiſſionis peccatorum propter Chriſtum.* Hæc communis & receptior inter Lutheranos exinde fuit ſententia, quod idem habent eorum temporum catechiſmi Lutherani, Philippi Brentij, & aliorum; adeoque hæc doctrina certa & ſancta fuit apud illos, ut qui ad gradus in Theologia, aut ad Paſtoratum promoveri vellent, in Auguſtanam confeſſionem, & Apologiam, & hanc ſententiam jurare tenerentur. Ac ne de impropriè dicto Sacramento hæc explicari poſſint, ut poſtea fecit Kemnitius & alij, qui Pœnitentiam ex numero Sacramentorum excluſerunt. Apologia expreſſè ſcribit, Pœnitentiam *propriè & verè Sacramentum eſſe*; idque ex definitione ſuâ aſſeruit, qua Sacramentum docet eſſe *Ritum, qui habet mandatum Dei & promiſſionem gratiæ.* Hinc in templorum parietibus, ut Hildeſij in S. Andreâ, majoribus literis ſcriptum legebatur: *Baptiſmus, Cœna, & Pœnitentia.*

Quarta Opinio, quæ tria quidem ut Lutherani Sacramenta recipit, ſed in tertio diverſa. Nam Zwinglius pro Pœnitentia recipit *Matrimonium* lib. de verâ & falſâ religione, Calvinus *Ordinationem* lib. 4. inſtit. cap. 14. & 19. Ita ut duo Sacramenta, Baptiſmum & Cœnam, velit omnibus eſſe communia, Ordinationem verò ſolis Eccleſiæ Miniſtris. His accedit Quinta opinio ex Lutheraniſmo & Calviniſmo conflata, quæ Melanchthonis eſt, quatuor Sacramenta aſſerens. *Baptiſmum, Cœnam, Pœnitentiam & Ordinationem.* Quin ipſe *Melanchthon*, artifex veſtræ Auguſtanæ confeſſionis, *Matrimonium* admiſit cum Zwinglianis, inter Sacramentorum numerum, uti hæc ex ſcriptis ab eo poſtremùm editis oſtendit Bellarminus.

Quinta Lutheranorum ſententia, qui cum Catholicis ſeptem Sacramenta admiſerunt, eaque Theologi Lipſienſes & Wittenbergenſes, in conventu Lipſienſi anno M D XLVIII. receperunt, uti Bellarminus refert

refert lib. de Confirm. c.1. Hæc novitas, varietas, absurditas à Luthero primùm, tubâ hujus novi evangelij vestri. Nihil simile apud Catholicos, qui tot sæculis, & toto orbe diffusi, in unâ professione septem Sacramentorum constantes permanent. Quid tu nunc Prædicans vestra deliramenta, vis esse nostra Sacramenta? Numerus & valor Sacramentorum haud alius, quàm monetæ apud vos, pro arbitrio vestro commutabilis. Quòd abjectâ Pœnitentiâ, jam passim duo Sacramenta teneatis, fecit Calvinistarum societas, ut cornu unum contra Catholicos hæresis vestra inflare validiùs posset. Ubi juramentum vestrum in Augustanam confessionem, & Apologiam? Aut jurasti in eam, quando Licentiatus Theologiæ es creatus; & *perfidus* es. aut non jurasti: & *Vertumnus* es, cum Vertumnis tuis.

II. Catholicorum doctrina una, ac constans semper fuit, septem esse propriè dicta Sacramenta; eaque à Catholicis asseritur ex Scriptura, & SS. Patribus. Quâ tamen in re à nobis exigi non debet, ut expressâ voce ostendamus nomen *septenarij* numeri: quando nec ipsi Novatores nomen *binarij* aut *ternarij*, aut *quaternarij*, ex Scriptura, aut Patribus ostendere possunt: Scriptura enim & Patres non scripserunt Catechismum, ut ob hæreses postea fieri necesse fuit: sicuti nec Canonem sacrorum librorum, multaque alia, ex numero & nomine suo, Scriptura nobis non consignavit. Hinc nec debet exigi à nobis, ut ostendamus, nomen *Sacramenti*, in Scriptura & Patribus, singulis attributum; id enim nec ipsi hæretici facere possunt. Ubi enim Scriptura *Baptismum*, & *Cœnam* vocat Sacramenta? Imò verò *Matrimonium*, quod solùm ab Apostolo nominatim Sacramentum dicitur, *ad Gal. c.5*, Lutherani ex numero Sacramentorum reijciunt. Sufficit igitur, rem ipsam ex Scriptura & Patribus ostendere, ac deinde ipsam definitionem Sacramenti convenire singulis. Ac licet Catholici, & Lutherani non conveniant in definitione Sacramenti, conveniunt tamen, ut Bellarminus asserit, in generali quâdam definitione Sacramentorum, quòd nimirum sint *Ritus, seu signa externa & sensibilia, quæ ex institutione divina habeant annexam promissionem gratiæ justificantis.* Apologia vestra sic habet: *Sacramentum est ritus, qui habet mandatum Dei, & promissionem gratiæ.* Ex hac definitione, uti vos probatis *Baptismum & Cœnam*; ita Catholici etiam *Confirmationem, Pœnitentiam, Ordinem, extremam Unctionem*, & *Matrimonium* probant

probant esse propriè dicta *Sacramenta.* Ergò nec illa debetis excludere. Cæterùm catechismus Concilij Tridentini ita definit: *Sacramentum est res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione, sanctitatis & justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ, vim habet.* Alij breviter: *Sacramentum est signum sacrum, practicum, gratiæ formaliter sanctificantis.* Omitto alias, quæ eodem recidunt.

II. Probant Catholici *septem Sacramenta*, ex traditione perpetuâ Ecclesiæ, & veterum Doctorum consensu, à quibus Magister sententiarum, *Petrus Lombardus* Episcopus Parisiensis lib. 4. dist. 2, & omnes inde Theologi septem Sacramenta tradiderunt. Hinc falleris, dum scribis, numerum septem Sacramentorum à Magistro sententiarum primò esse inventum, & introductum. Nec enim Magister sententiarum ex suo ingenio, & judicio hunc numerum primò tradidit, sed eum, uti ex usu & praxi Ecclesiæ acceperat, & ex Patrum sententijs collegerat, ita tradidit. Hæc enim doctrina tum praxi, usuque per totam Occidentalem Ecclesiam recepta erat, uti id planissimè etiam per singula Sacramenta ostendam ex Caroli Magni ætate. Sanè, si hæc Lombardi doctrina tum nova fuisset, & ab eo primùm introducta, reclamasset Ecclesia. Nulla enim adhuc publica hæresis extitit, cui non contradictum sit minimum. Quare & D. Otto Bambergensis Episcopus, & Pomeranorum Apostolus, (à quo gens illa ab idolorum cultu ad Christum perducta,) septem Sacramenta populum illum docuit, & pro catechesi explicavit hoc ordine: *Baptismum* videlicet, *Confirmationem, Unctionem infirmorum*, *Eucharistiam, Pœnitentiam, Ordinationem sive consecrationem Sacerdotum*, & *Matrimonium*: uti hæc ipse Episcopus docuit, & ex illo auctor vitæ σύγχρονος, qui cum Ottone vixit, *lib. 2. cap. de institutione Baptizatorum, apud Canisium tom. 2. Antiq Lect.* Vixit autem Otto Episcopus sub initium anni 1100, obijt verò Magister sententiarum anno 1184. Jam verò si doctrina septem Sacramentorum falsa est, sequitur Ecclesiam per tot sæcula à Spiritu S. desertam fuisse, & per summam impietatem & superstitionem, homines per Germaniam & Europam delusos fuisse, quod impium non minus est dicere, quàm facere: eò vel maximè, quòd Sacramenta hæc ex quotidiano usu fuerint administrata populo.

III. Numerus septem Sacramentorum assertus est in Concilio Florentino generali, ad quod anno Christi 1439. supra centum & qua-

draginta Patres convenerunt, ex eoque instructio Armenis data, & septem Sacramenta præscripta, consentientibus Græcis & Latinis Patribus. Ex quo satis liquet, Græcos cum Latinis in numero septem Sacramentorum convenisse, ut hîc frustrà oblatret Nisanius, Græcorum Ecclesiam nobis opponendo. Neque Græci hunc septenarium numerum admisissent, nisi & in sua Orientali Ecclesia ex Scriptura, Traditione, SS. Patrum doctrinâ, & praxi suæ Ecclesiæ agnovissent.

IV. Demum accedit Concilium Tridentinum generale sess. VII. in quâ contra hæreses hujus sæculi septem quoque Sacramenta definita, nec priùs id factum est, quàm Lutherus in hoc, uti in alijs, antiquam Ecclesiæ doctrinam oppugnare, & evertere cœpit. Nec aliud hic egit Concilium Tridentinum, quàm quòd cætera Concilia Oecumenica, contra nascentes & serpentes hæreses egêre. At Nisanius, qui omnibus Patribus sapientior videri vult, reprehendit primò hoc Concilium, quòd in alijs Sessionibus, & fidei dogmatibus speciem aliquam prætendat ex Scriptura & Patribus, in hac verò controversia nudo anathemate & auctoritate suâ procedat. At quantus tu nobis hîc impostor denuò es! Nam ita Concilium in proœmio decreti: *Propterea*, inquit, *Sacrosancta Oecumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata, præsidentibus in eâ eisdem Apostolicæ Sedis Legatis, ad errores damnandos, & extirpandas hæreses, quæ circa sanctissima ipsa Sacramenta hac nostra tempestate, tum de damnatis olim à Patribus nostris hæresibus suscitatæ, tum etiam de novo adinventæ sunt, quæ Catholicæ Ecclesiæ puritati, & animarum saluti magnoperè officiunt, sanctarum Scripturarum doctrinæ, Apostolicis traditionibus, atque aliorum Conciliorum, & Patrum consensui inhærendo, hos præsentes canones statuendos, & decernendos censuit.* Vides, ut Concilium se referat ad Scripturam, traditionem, Concilia, & Patres. Inter hos verò canones, primus est de numero Sacramentorum, qui sic habet:

Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino instituta, aut esse plura, vel pauciora, quàm septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem, non esse verè, & propriè Sacramentum; anathema sit.

Perstringis deinde Bellarminum, quod is dicat: *Hoc testimonium*, videli-

videlicet Concilij Tridentini, *etiamsi nullum haberemus aliud, debere sufficere; nam si tollamus auctoritatem præsentis Ecclesiæ, & præsentis Concilij, in dubium revocari poterunt omnium aliorum Conciliorum decreta, & tota fides Christiana.* Ita ille, nec verius quicquam dici poterat. Tu, si quid verius, & sapientius habes, profer in medium, & audire te cupimus. Sanè quotquot hactenus de controversijs fidei scripserunt, docti & sapientes viri, unâ voce & judicio præcipiunt, Judicem controversiarum in concilio Oecumenico esse quærendum; nec enim alia certior, & gloriosior cum triumpho Ecclesiæ via est ad infallibilem veritatem perveniendi. Id si non intelligis, parum profectò intelligis; & si intelligeres, hæreticus non esses. Nunc post scommata tua, ad argumenta procedamus:

Primum tuum, & palmare argumentum est, quod contexis ex S. Joannis Evangelio c.19, ubi perfosso latere Christi dicit S. Joannes: *Exivit sanguis & aqua*; verba mysticè interpretando, Patres cumprimis Græci docent significari Baptismum, & Eucharistiam. Magno ad hanc rem numero congeris testimonia, sed non his opus. Verbo enim respondemus: Patres quidem ex hoc loco duo Sacramenta tradere, sed *non tantùm* duo; nec alia idcirco negare, sicut Hebr.6. Apostolus duo tantùm recenset Sacramenta, *Baptismum*, & *manuum impositionem*, seu Confirmationem, quæ post Baptismum dabatur. Deinde, si per sanguinem Eucharistia fluxit ex latere Christi, ubi *Panis?* fluxitne hîc etiam ex latere Christi? nisi sub unâ specie mavis nobis Cœnam dare. ℞. 2. Patres etiam aliter hæc explicant, & duo Baptismata per *sanguinem* & *aquam*; unum in sanguine, id est Martyrium; alterum in aquâ, Baptismum. Ita Cyrillus Catech.3. Hieronym. Epist. ad Oceanum. Alij etiam per *sanguinem* intelligunt pretium redemptionis, per *aquam* Baptismum: quæ alijs literalis magis videtur expositio. Ideo dixit: *Exivit sanguis & aqua*, quod ordo hoc poscit: quando Baptismus omnem vim habeat ex pretio sanguinis. Ita exponit Ambros. lib.10. in Lucam, c.105. Leo Epist.4. Augustinus, & Beda in c.19. Joan. Lege hac super re Maldonatum, & interpretes alios. Ad hunc modum illud Joan.1. Epist. c.5: *Hic est, qui venit per aquam & sanguinem, Jesus Christus; non in aqua solùm, sed in aquâ & sanguine.* Ubi ostendit differentiam inter Baptismum Joannis, & Christi: quod Christi Baptismus efficacissimus fuerit, quem in aqua &

ſanguinis pretio dedit permixtum. Viden' igitur, ut ex his Patrum teſtimonijs nihil conficias.

Objicis II. Nullibi Scriptura dicit eſſe ſeptem Sacramenta. Contrà: nullibi etiam Scriptura dicit expreſſè eſſe duo, vel tria, vel quatuor Sacramenta; nullibi etiam *Sacramenti* nomen attribuit Baptiſmo, & Cœnæ; nullibi definitionem ponit ijs verbis quibus Lutherus lib. de capt. Babyl. definit: *Sacramentum eſt promiſſio ſigno externo annexa*; ſive, ut Melanchthon in Apologia: *Sacramentum eſt ritus, qui habet mandatum Dei, & cui addita eſt promiſſio gratiæ, ſeu gratuitæ reconciliationis, ſeu remiſſionis peccatorum.* Ex his ſat ſ intelligi opinor, uti eadem ſit cauſa veſtra ac noſtra; nec Catholicos à vobis oppugnari poſſe, quin ſimul omnia veſtra Sacramenta tollatis è medio. Quanquam definitio veſtra, quam Apologia dat, non conveniat Sacramento Cœnæ veſtræ; adeò Melanchthon Grammaticus, vobis ex Theologia non bene proſpexit. Et ratio eſt: nam cùm inſtitutum ſit hoc Sacramentum, non ut ex peccatore faciat juſtum & ſanctum; ſed ut juſtitiam & ſanctitatem conſervet & augeat: imò tantum abeſt, ut remittat peccata, ut peccatori etiam obſit, ſi cum conſcientia peccati mortalis accedat, 1 Cor. 11: *Probet autem ſeipſum homo: & ſic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit.* Et ut ſuprà dixit: *Reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Satis igitur eſt, quòd Scriptura rem ipſam de ſingulis Sacramentis tradat, (ut ſupra retuli,) ex qua numerus, & nomen, & definitio ſumitur. Quo in genere etſi pari nobiſcum gradu procedere debeant Lutherani, hoc tamen ultrà habent Catholici; quòd præter Scripturam, traditionem, Concilia, & Patres, habeant judicem controverſiarum in hac cauſa, ex cujus ſententia, & vivæ vocis oraculo, certi ſunt de Sacramentis ſuis. Quàm verò incertos & fallaces judices ſe ferant novatores ex Scriptura, vel ex adducto ab ipſis Joannis teſtimonio ſatis oſtenſum eſt.

Objicis III. Auguſtinum lib. 2. de Symbolo, c. 6. Ubi ex latere Chriſti gemina Sacramenta fluxiſſe dicit: hæc eadem Calvini eſt objectio. Reſpondet Bellarminus, Auguſtinum eo loco, *uti & tract. 9 in Joann.* duo Sacramenta ponere, exempli cauſâ, non tamen proinde negare cætera, ſed ſupponere: (uti poſt referam,) ſicut in Epiſtola 118. ad Januarium ſcribit: *In novo Teſtamento eſſe Sacramenta numero pauciſſima, & ob-*

& observatione facillima, & significatione præstantissima, à Christo instituta: sicut est Baptismus, Trinitatis nomine consecratus; & communio corporis & sanguinis ejus; & si quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur. Clarius conc. 1. in psalm. 103: *Munus Sacramentorum in Baptismo, & Eucharistia, & in cæteris sanctis Sacramentis, quale munus est?* Ubi denuò vides, præter hæc duo, alia agnosci Sacramenta à S. Augustino. Quare illud Augustini non additis Epist. 119. ad Januarium? *Ad celebrationem Sacramentorum utimur de sensibilibus rebus, aquâ, frumento, vino, oleo.* Ubi vides, enumerari materiam cæterorum etiam Sacramentorum. Quòd verò Sacramentum apud vos oleo & unctione conficitur, aut perficitur? sicut Confirmatio, extrema Unctio, & consecratio Sacerdotum apud Catholicos? Quæ nunc tua fallacia, unum dicere, & alterum tacere? At inquis: Augustinum aliquando de proprijs Sacramentis loqui, aliquando de improprijs & latè sumptis. Ita quidem est: quemadmodum & Scriptura, variâ significatione, Sacramenti nomen continet: sed cùm D. Augustinus propria enumerat, & his alia addit, ut citatis tribus locis facit; certum est de proprijs Sacramentis similiter loqui. Deinde, quo in loco dicit Augustinus, duo tantùm propriè esse Sacramenta? hoc tu nunquam ostendes ex Augustino. Quin si Augustinum legisses, invenisses septem Catholicorum Sacramenta. Ea hîc tibi nunc sisto.

D. *Augustini testimonia, quibus septem Sacramenta asseruntur.*

Ac primò *Baptismum*, & *Eucharistiam* ab Augustino inter propriè dicta Sacramenta numerari, ex adductis testimonijs extra dubium est, neque in hoc dissentimus. Augustinum verò præter hæc duo, alia quinque agnoscere Sacramenta, hisce ejus testimonijs non minus certum est.

Confirmationis Sacramentum tradit lib. 2. contra literas Petiliani, c. 104: *Sacramentum Chrismatis, in genere visibilium Sacramentorum est sacrosanctum, sicut ipse Baptismus.*

Ordinem docet esse *Sacramentum*, contra Epist. Parmeniani *lib. 2. cap. 13*: *Utrumque Sacramentum est, & quadam consecratione utrumque*

homini datum; illud cùm baptizatur, istud cùm ordinatur: ideoque in Ecclesia Catholica utrumque non licet iterare.

Pœnitentiam Sacramentum agnoscit, *lib.1. de adulterinis conjug. c.26. & 28: Eadem est causa Baptismi, & Reconciliationis; sine quibus Sacramentis, homines credunt se non debere exire de corpore.*

Matrimonium Sacramentum asserit *lib.1. De nupt. & concupisc. c.10: Hujus* inquit, *Sacramenti res est, ut mas & fœmina connubio copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent.*

Extremam Unctionem agnoscit *lib.2. De visit. infirmor. c.4: Non prætermittendum illud Apostoli Jacobi præceptum, infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ &c. ipsa videlicet olei sacrati delibutio, Spiritus sancti typicalis unctio est.* Serm.215. de tempore: *Quoties aliqua infirmitas supervenerit, corpus & sanguinem Christi, ille qui ægrotat, accipiat; & inde corpusculum suum ungat: ut illud quod scriptum est, impleatur in eo: Infirmatur aliquis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Atque ut Sacramentum hoc etiam planiùs videas, repete, ut *oleum*, aquam, frumentum, & vinum inter materias Sacramentorum ponat Epist.119. ad Januar. jam citatâ.

Vides Nisani, præter duo Sacramenta, *Baptismum*, & *Cœnam*, etiam *Confirmationem*, *Ordinem*, & *Pœnitentiam* propriè Sacramenta esse; quando hæc tria Sacramenta Baptismo conjungit & comparat. Atqui Baptismus est propriè Sacramentum; ergo & hæc tria. De reliquis duobus par est ratio. Quam nunc misera & spoliata apud vos Ecclesia! quæ præter Baptismum, nihil integrum retinet ex omnibus Sacramentis, per quæ virtus passionis Christi, tanquam per canales derivatur in homines. Eucharistiæ Sacramentum, quod ex *cœna vestra* jactatis, ad speciem magis, quàm ad fructum possidetis, Augustino judice; quando Sacerdotes non habetis, qui consecrent. Demum quid ullo Sacramento vobis magnopere opus est? quibus Sacramenta non sunt organa & causæ gratiæ, sed nuda signa ad excitandam alendamque fidem. Hujus rei principium vestrum est, quod sola fides justificet: proinde non alium apud vos Sacramenta effectum, fructumque habent, quàm ut fidem excitent; haud secus, quàm prædicatio verbi Dei: hoc solùm discrimine, quòd prædicatio verbi Dei per auditum id faciat, Sacramenta verò oculis admota, id per visum præstent. Hoc illud Lutheri axioma *lib. de capt. Babyl. c. de Bapt.*

Bapt. Sacramenta non juſtificant, nec ulli proſunt, ſed ſola fides. Quæ tam inaudita Catholicis, quàm exploſa ab omnibus doctrina veſtra eſt: ne quid hîc de cæteris veſtris erroribus attexam. Poſſem ego nunc eodem modo ex Carolo Magno ſicuti ex S. Auguſtino præſtitum eſt, ſeptem Sacramenta aſſerere, ſed id in ſingulis multò clariùs monſtrabitur. Quapropter ad ſingula ſuo ordine progrediamur.

CAPVT V.

De Baptiſmo, ejuſque ſubjecto.

ADmittunt Lutherani cum Catholicis, Baptiſmum eſſe propriè dictum Sacramentum. Eſt enim ritus expreſſus, *Lavacrum aquæ in verbo vitæ,* Eph. 5. Inſtitutionem quoque & mandatum habet S. Joan. c. 3: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Matth. ultimo: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Promiſſionem deinde gratiæ admittitis nobiſcum ex illo Marci ultimo: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Et ad Titum c. 3: *Salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus ſancti.* Inde catechiſmus Romanus definivit: *Baptiſmus eſt Sacramentum regenerationis per aquam, in verbo vitæ.* D. Thomas verò: *Baptiſmus eſt ablutio corporalis, facta ſub hac verborum forma: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Hîc *materia proxima* Baptiſmi eſt *ablutio*; *remota* verò *aqua naturalis:* quemadmodum id in concilio Lateranenſi c. *firmiter*; In Florentino verò, decreto ad Armenos; & Tridentino ſeſſ. 7. de Bapt. definitum eſt. Quas deinde hæreſes horum temporum adverſus veram & Catholicam doctrinam de Baptiſmo damnet Concil. Tridentinum, eâdem ſeſſione legere poteris.

Auguſtana veſtra confeſſio, tanquam velatura omnes errores, nihil definit, tantùm Art. IX. ſic habet: *De Baptiſmo docent, quod ſit neceſ-*

ſarius

ſarius ad ſalutem, quòdque per Baptiſmum offeratur gratia Dei, & quòd pueri ſint baptizandi. Eadem ferè repetit Apologia. Melanchthon interim Apologiæ architectus, in libro, quem *Loca theologica* inſcripſit, edidit-que anno M D LVIII. *tit. de Sacrificio*, ita definit: *Baptiſmus ſignum eſt, quo Deus nobiſcum agit, & recipit nos in gratiam.* Sed hæc definitio omni Sacramento convenit, adeóque ipſi Verbo Dei, quod nemo unquam inter propriè dicta Sacramenta retulit. Nihil hîc apud Lutheranos de vero effectu Baptiſmi audias, niſi quantum per fidem ſuſcipientis operatur Baptiſmus, quæ ſola juſtificat apud illos. Inde Apologia in Artic. XIII. de Sacramentis in genere: *ſicut Verbum Dei incurrit in aures, ut feriat corda; ita ipſe ritus incurrit in oculos ut moveat corda, & fidem excitet.* Quare idem utriuſque effectus eſt, Verbi videlicet Dei, & Sacramenti. Nihil hîc audis de originali peccato, quod per Baptiſmum remittitur; nihil de omni culpâ & pœnâ remiſſâ in Baptiſmo; nihil de gratia, quam ex opere operato confert, quâ verè & formaliter juſtificatur homo; nihil de fide & infuſis donis; nihil de charactere indelebili, ob quem Baptiſmus iterari non poteſt.

Nihil de his quoque Niſanius, quæ multo dignior ſcribendi materia fuiſſet. Quid ergo titulo illo de Baptiſmo? Duo rurſum. Primo agit de Baptiſmo infantum, in quo leviter perſtringit Pontifices & Catholicos, quòd olim non niſi feſto Paſchatis & Pentecoſtes baptizarint. Secundò ad calumnias ſuas & mendacia tranſit, ac ſcribit: Catholicos ſeu Romanenſes etiam campanas baptizare.

De Baptiſmo infantum nihil habes, in quo Catholicos reprehendas, hunc enim multo integriùs, & ſanctiùs, & ſollicitiùs adminiſtrant Catholici, quàm vos Lutherani: neque tuis argumentis quibus eum aſſeris, indigemus; quæ multo clariùs ex Scriptura, Traditione, Concilijs, & Patribus, tot Catholici Doctores & Scriptores tradiderunt. *Nec enim oportet quærere apud Eccleſiæ hoſtes veritatem, quam facilè eſt apud Eccleſiam ſumere*, uti monet nos Irenæus lib. 3. c. 4.

Nos verò ex hoc infantum Baptiſmo multa à vobis requirimus, in quibus nunquam ſatisfeciſtis nobis. I. Licet Baptiſmus infantum ex Scriptura probetur, nullum tamen, SS. Patrum judicio, clarius & validius argumentum, quàm *Traditio*, in qua ſe Patres & Eccleſia fundant. Ita enim cæterorum nomine diſertè Auguſtinus lib. 10. de Gen. c. 23: *Conſuetudo*

tudo matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis, nequaquam spernenda est, nec ullo modo superflua deputanda; nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio. Idem *lib. 4. de Bapt. c. 24. Lib. 1. de Peccat. merit. c. 26*, ubi eadem repetit. Origenes *lib. 5. in cap. 6.* ad Rom. *Ecclesia ab Apostolis accepit traditionem, etiam parvulis dare Baptismum.* Ita Cyprianus *lib. 3. Epist. 8.* Hieronymus *lib. 3. contra Pelag.* Nazianzenus *orat. in S. Lavacrum.* Chrysostomus *Hom. ad Niceph.* Prosper. *lib. 2. de vocat. gentium c. 8.* Concilium Milevitanum, Gerundense *can. 5.* Bracarense II. *can. 7.* Quapropter Melanchthon, cùm Anabaptistæ urgerent mandatum *pædo-baptismi* sibi à Scriptura demonstrari, argumentum suum ex Traditione adversus Anabaptistas in fronte collocavit. At vos Lutherani, quàm fortiter ex eo argumento oppugnari vultis Anabaptistas, tam turpiter deseritis causam vestram reijciendo Traditiones, quando Catholici contra vos urgent Canonem Scripturæ, numerum Sacramentorum, numerum sacrorum Ordinum, aliaque innumera; quæ haud minus, quàm Baptismus infantum, ex Traditione à Catholicis adversus vos probantur.

II. Hîc à vobis requirimus fidem parvulorum. Dicitis enim, & docetis: ad omne Sacramentum requiri fidem, quæ per ritus excitetur, excitata verò justificet suscipientem: atqui talis fides non potest esse in parvulis baptizatis, quæ necessariò actualis esse debet, uti dicitis; parvuli autem dum baptizantur, nihil intelligunt actualiter. Atque hæc causa fuit, cur Anabaptistæ à vobis recesserint, & Baptismum distulerint ad adultam hominis ætatem, in quâ intelligere, & credere possint, juxta illud Marci ultimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, hic salvus erit.* Neque unquam huic argumento satisfecit Lutherus, neque cæteri post eum Lutherani. Respondent quidam: parvuli dum baptizantur, sentiunt motus quosdam, similes illis quos S. Joannes Baptista in utero matris exultans ostendit, quibus pueri ad fidem excitantur: ita Lutherani in conciliabulo Wittenbergensi, cùm nullum alium exitum reperirent. Verùm hoc est ad continua miracula confugere; neque hujus responsionis ullum fundamentum in Scriptura. Imò jam dudum S. Augustinus risit hanc responsionem, *Epist. 57. ad Dardanum*, quippe quæ injuriam faciat sensibus, quando etiam contraria signa dant pueri, ejulatu alijsque motibus. Quapropter merum est figmentum, quod hîc pro responso obtruditis, neque Kemnitius vester se aliter expedire potuit, quàm quod diceret,

rem esse difficilem intellectu, quòd aliâ responsione hîc elabi non posset. Nifanius verò, *tractatu de Justificatione,* docet: certum quidem esse, in parvulis operari fidem, sed *modum* sibi esse incognitum. Tantus tu Doctor es, & doces quæ non scis, neque intelligis? Si Ecclesiam Catholicam audires, illa te *modum* doceret: parvulos videlicet *per infusam fidem, & caritatem justificari* Bene de vobis dixit Apostolus 1. ad Timoth. 1. *Quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis Doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.*

III. Ex Baptismo infantum, à vobis requirimus remissionem peccati originalis: certum enim est, omnes homines nasci in peccato originali. David psalm. 50: *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Apost. ad Eph. 2: *Eramus & nos naturâ filij iræ.* Rom. 5: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit.* Et mox: *In quo omnes peccaverunt.* Jam verò ab initio nascentis Ecclesiæ, omnium Conciliorum & Patrum doctrina fuit, peccatum illud originale tolli per Baptismum; ideoque omnibus hominibus Baptismum necessarium esse ad salutem. Quam in rem innumera sunt testimonia. omnium instar sit Augustinus lib. 3. de orig. animæ c. 9: *Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes antequam baptizentur, morte præventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.* In Epistola verò 20. ad Hieronymum scribit: *Qui dicit parvulos, qui sine participatione hujus Sacramenti exeunt de vita, posse in Christo vivificari, hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam.* Eadem Caroli Magni doctrina, in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, in professione fidei: *Prædicamus enim,* inquit, *& credimus veram remissionem peccatorum, sive per Baptismum, sive per pœnitentiam.* Rursum: *Redite obsecro ad unitatem sanctæ Matris Ecclesiæ, ut vos eruat de angustia servitutis, qui vos per Baptismi gratiam à vinculo liberavit originalis peccati.* Vos autem Lutherani, etsi Baptismum nobiscum necessarium agnoscatis, & nostris argumentis oppugnetis Anabaptistas, & Calvinistas hanc necessitatem negantes, in simili tamen errore & damnatione estis. Docetis enim cum Luthero, Melanchthone, Libro concordiæ, imò cum ipso Calvino in *antidoto Concilij Tridentini,* peccatum originale non tolli per Baptismum, sed tegi tantùm; uti id de omnibus peccatis docetis, quæ per Pœnitentiam tolluntur. Fundamentum verò hujus vestri erroris est,

quia

quia statuitis: concupiscentiam verè, & propriè peccatum esse originale. Quo nihil absurdius doceri poterat à vobis: cùm concupiscentia maneat in homine, nec unquam tollatur Baptismo; nisi homines in Angelos transformare concessum sit novo vestro evangelio. At Scriptura ubique docet, per Baptismum tolli peccatum: Joan.1. *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Eph.5. *Mundans eum lavacro aquæ.* Et quæ in hanc rem innumera sunt testimonia. Quare Gregorius Magnus lib.9. Epist.39: *Qui dicit, peccatum in Baptismate non funditus dimitti; dicat, in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos.* Ita Augustinus lib.2. de peccat.merit.c.9: *Parvulo reatus originalis peccati, in Baptismi acceptione solvitur.* Lib.6.c.7. contra Julianum: *Peccatum hoc solâ regeneratione solvitur, atque unico isto remedio pellitur & tollitur.* Atque hæc hæresis olim fuit *Origenistarum*, de quibus Epiphanius hæres.64. *Messalinorum* apud Theodoretum, *lib.4. de fabul.Hæret.* aliorumque tempore S. Gregorij Magni docentium: per Baptismum non tolli peccata, sed tegi: quam vos hæresin ab inferis resuscitatis, qui nos ad tam insulsam Ecclesiæ vestræ doctrinam invitatis. Ut hic omittam cæteros Lutheri errores, non minus absurdos, dum docet: *I. Homines Baptismo fieri impeccabiles, nec posse damnari, etiamsi velint, nisi nolint credere. II. Baptismo liberari hominem ab obedientia divinæ legis. III. Baptismo exsolvi homines ab humanarum legum observatione. IV. Baptismo absolvi homines ab omnibus votis. V. Solâ memoriâ Baptismi justificari à peccatis, quæ post Baptismum committuntur.* Quas hæreses vestras, aliasque idcirco ordine damnavit Concilium Tridentinum sess.7. Nec minus refellunt Catholici tot scriptis & libris.

IV. Requirimus à vobis, & à te cumprimis, tanquam novo vestræ Ecclesiæ Doctore, *necessitatem Baptismi* ad salutem: Nam tua doctrina est *in tractatu de justificatione: Infantes Christianorum sine Baptismo mortuos, posse salvari, si casu aliquo necessitatis, à Baptismo excludantur, aut in utero materno extinguantur.* Hoc falso tuo dogmate primùm accedis Pelagianis, qui docebant: Baptismum non esse necessarium ad remissionem peccati originalis, tametsi ad ingressum regni cœlorum requiri dicerent. Eundem errorem defendit Vincentius Victor, contra quem scripsit S. Augustinus libros de anima. *Sed nostri hæretici*, inquit Bellarminus *multo audaciores, docent: ne quidem necessarium esse ad regnum cœlorum.*

Quod primò docuit *Wiclef*, deinde *Zwinglius*, & *Bullingerus* ejus successor, sacramentariorum antesignani; post illos *Calvinus* lib 4. Instit. cap.16. *Bucerus* in cap.3. Matth. *Petrus Martyr* in cap. 70. ad Corinth.1. Ita verò ex antiquis hæresibus procudere vobis novas semper placuit multo absurdiores, quàm Catholicæ doctrinæ inhærere; quando jam dudum id definitum est in Concil. Carthag. & Milevitano, teste Augustino Epist.90. & 91: *Omnibus infantibus Baptismum esse necessarium ad salutem, excepto casu Martyrij:* uti idipsum etiam in Concilio Tridentino sess.7. cap.5. decisum est. Quod primò clarum est ex Verbo Dei expresso Joan.3: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quod Scripturæ pronuntiatum cum universalissimum sit, neminem, ac ne infantem quidem excludit. Neque privati hominis est, sed Ecclesiæ, Scripturam & Spiritus sancti mentem explicare. Id deinde constat ex Verbo Tradito, & perpetuâ Ecclesiæ traditione, ex Concilijs, ex Pontificum, & Patrum consensu, de quibus *Bellarminus* lib.1. de Bapt. c.4. *Suarez* disput.77. Sect.1. *Vasquez* disput.149. cap.1. cæterique Theologi: quos si consulas, reperies esse de necessitate medij, quâ omnes obligentur, sive scientes sint, sive ignorantes; sive potentes, sive impotentes: Secùs est de necessitate præcepti, ut ex ijsdem disces. Patres qui hoc docent, magno numero adsunt, *Irenæus* lib.3. c.19, *Origenes* in cap.6. ad Rom. *Nazianzenus* orat. in S Lavacrum, *Basilius* orat 13. de exhort. Baptismi; *Cyprianus* lib.3. Epist.8. *Ambrosius* lib.2. de Abrahamo cap. ult. *Augustinus* lib 1. de origine animæ cap. 12. & Lib.3. c.9. Epist.28. *Prosper* lib.2. de vocat gent. cap.8. *Fulgentius* lib. de fide cap.30 *Bernardus* serm.66. in Cant. Et quàm planè *Augustinus* supra citatus Lib.3. de orig. animæ cap.9: *Quisquis dixerit, quod in Christo etiam vivificabuntur parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profectò & totam contemnat Ecclesiam; ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo omnino vivificari non posse.* Vides, ut S. Augustinus se revocet ad *traditionem* & *judicium* totius *Ecclesiæ*, qualis tùm ævo illo fuit de Baptismo infantum. Non jam moramur, quid Calvinus, quid Zwinglius; quid ex tua secta Mentzerus, & nonnulli novitatum amantes dicant. Ecclesiæ hoc est judicare ex Scriptura, Concilijs, & Patribus. Argumenta quæ adfers, ex Calvini pharetrâ sunt, & centies explosa. Dicis, præter

præter Baptismum *fluminis*, etiam esse Baptismum *flaminis*, & *sanguinis*, quo salventur homines. Ita est: sed de his constat ex Scriptura & Patribus. Deinde, hi non nisi Baptismi metaphoricè sunt, & per analogiam, quia veri Baptismi, qui unicus est, absentiam supplent; eundemque, quem ille, conferunt effectum gratiæ. De Baptismo *Sanguinis* per *martyrium*, constat tum ex Scripturâ Matth.10: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*, tum ex SS. Patribus. De Baptismo *Flaminis*, per veram cordis conversionem, quæ includat contritionem, & charitatem, ac simul etiam desiderium, seu votum Baptismi, constat similiter ex Scriptura, Ezech.18: *Si impius egerit pœnitentiam à peccatis suis, iniquitatum ejus non recordabor amplius*; tum vel maximè ex SS. Patribus, *Ambrosio* de obitu Valentiniani Jun. *Augustino* lib. 4. de Baptism. c.22. *Bernardo* Epist.77. alijsque. Demum ex Con. Trident. sess.6. c.4. Uti Luc.3. & Marc.1. appellatur *Baptismus pœnitentiæ*. Qua de re Bellarm. lib.1. de Baptismo cap.6. & passim Theologi. De quarto verò modo, quem tu hic addis, nullus Scripturæ locus, nulla Traditio, nullus SS. Patrum consensus est: sive eum per fidem parentum fieri velis, sive per extraordinariam Dei dispositionem. Quicquid tandem Cajetanus, & Gerson temerè opinati, rejectique à cæteris Ecclesiæ Catholicæ Doctoribus. Tam liberè nobis fidei dogmata, quàm Philosophorum placita obtruditis: sive illud Ecclesia vestra approbet, sive non. Neque etiam tu pro hoc dogmate tuo vel Augustanam confessionem, vel Apologiam, vel ullum conciliabulum, vel denique consensum doctorum sectæ tuæ profers. Quilibet Prædicans, qui supra vulgus Prædicantum se sapere credit, inter vos liberrimus est scriptor, doctor, & dictator. Labbadæum ob novitatem doctrinæ ejecistis, & novas quotidie ipsi supra veteres hæreses invehitis, propiusque semper ad Zwinglianos & Calvinistas acceditis, tanquam expulsi semel, vagantesq; spiritus illi Luc.11. & Matth. 12. *ambulant per arida, & inaquosa loca, & nullibi requiem inveniunt.* Quocunque sursum & deorsum vertatis omnia, nulla unquam aut uspiam requies erit, & finis novitatum inter vos, nisi ad antiquam & veram Ecclesiam Catholicam redeatis, quæ *columna est, & firmamentum veritatis.*

V. Requirimus à vobis veteres Baptismi cærimonias, quas ab ipso Apostolorum ævo, universa servat Ecclesia: quales ante Baptismum

sunt *Abrenuntiatio satanæ*, *Fidei promissio*, (quam adulti per se, & *suscipientes* parvulorum nomine præstant;) *signum Crucis* in fronte & pectore, *Exorcismus*, seu dæmonum adjuratio certis precibus facta, *gustus salis*; *tactus narium, & aurium cum saliva*, exemplo Christi sputo tangentis linguam & aures muti *Marci* 7. & oculos cæci nati *Joan*.9. *Impositio manuum, ac benedictio Sacerdotis*, *Unctio* facta oleo sacro in pectore & scapulis. Cærimoniæ quæ Baptismum comitantur sunt: *Impositio nominis*, *susceptores* à quibus baptizati in fide instituuntur, *consecratio aquæ*, trina mersio. Cærimoniæ post Baptismum: *Unctio Chrismatis in vertice*; *Cereus accensus*, qui baptizato datur in signum fidei & gratiæ acceptæ; *Vestis candida*, quam ferre solebant baptizati à Sabbatho sancto ad Dominicam in Albis; quo ritu nunc Sacerdos tegit candido linteolo caput baptizati, dicendo: *Accipe vestem candidam* &c. Quàm verò hæ Baptismi cærimoniæ antiquæ sint, vel ex ipsâ Apostolicâ traditione, vel ex usu nascentis Ecclesiæ, eruditè per singula ostendit Bellarminus ex Concilijs, & Patribus, Baronius, Valentia disp. 4. Suarez disp.30. Vasquez disp.166. alijque scriptores Catholicorum, neque hic prosequi necesse est.

Ad Carolum Magnum appellasti, hunc tibi & hîc sistere par erit. Carolus igitur Capitularium lib.1. c.7: *Episcopi diligenter discutiant per suas parochias*, id est diœceses, *Presbyterorum fidem*, *Baptisma Catholicum, & Missarum celebrationes.* Baptisma verò Catholicum est, quod non solùm materiâ & formâ constat, sed Catholicis cærimonijs integrum est. Quare in Concilio Moguntino can.4. Patres decernunt: *Sacramenta Baptismatis, volumus, ut sicut sancta vestra*, (scilicet Caroli Magni) *fuit admonitio, ita concorditer & uniformiter in singulis parochijs, secundùm Romanum ordinem inter nos celebrentur, jugiterque conserventur.* Idem præscribitur ex Aquisgranensi Synodo, in Constitutionibus Caroli Magni, *Ritu* verò & ordine *Romano* continentur cærimoniæ suprà recitatæ, ut veteres ritualium libri commonstrant. Explicatè hos Baptismi ritus habes in Epistola Caroli ad Albinum, aut quisquis auctor ille est eorum temporum. Deinde Capitularium libro 6. c.190: *Placuit, ut fideles intelligant pactum: quod cum Deo in Baptismate fecerunt: Quid sit abrenuntiare diaboli operibus & pompis ejus, & omnibus operibus ejus.* Eò spectant, quæ passim linguâ Theotisca per catechesin tradebantur bapti-

baptizandis, quæque in *Liptinenſi* concilio legas, ex quo & Carolus Magnus hæc inter Capitularia ſua retulit. Nam priuſquàm ad Baptismum admitterentur ex gentiliſmo Saxones, jubebantur *orationem Dominicam*, & fidei *Symbolum* & abrenuntiationem diaboli ediſcere, ut in Baptiſmo interrogati, patriâ linguâ reſpondere poſſent. Qui mos etiamnum obtinet apud Germanos, & Saxones.

Cæterùm ipſum Baptiſmum à Sacerdote Latinâ linguâ adminiſtratum eſſe conſtat ex rudi Sacerdote, qui Grammaticæ non ſatis peritus, fractis verbis baptizarat: *In nomine Patria, & filia, & Spiritu ſancta.* Quem Baptiſmum cùm D. Bonifacius iterare vellet, conſulto tamen prius Zacharia Pontifice, Baptiſmum validum pronuntiavit, nec iterandum; ut habetur tom.17. Concil. Pariſ. ex epiſtola Zachariæ ad Bonifacium, & apud Gratianum de conſecrat. diſt.14. c. *Retulerunt nuntij*. Non verò ob id præcepit Pontifex, ut Germanicâ linguâ Baptiſmus adminiſtraretur. Hinc & Carolus Magnus lib.6. Capitularium c.181: *De quibus dubium eſt, utrum ſint baptizati, an non? omnimodis abſque ullo ſcrupulo baptizentur.* His tamen verbis præmiſſis: *Non te rebaptizo, ſed ſi nondum baptizatus es; Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Nec aliâ linguâ quàm Latinâ omnia Sacramenta ſunt peracta, tempore Caroli Magni per Saxoniam & univerſam Germaniam, quæ tandem Lutherus primùm, ut cætera omnia, immutavit, pervertitque. Ubi enim ſignum Crucis? ubi exorciſmus? ubi impoſitio manuum? ubi unctio ſacri olei in pectore & ſcapulis? ubi Chriſma, quo in vertice unguntur baptizati? ubi cæteræ preces & cærimoniæ? tantum abeſt, ut ſacrum oleum & chriſma conficiatis, quo inuncti Chriſtiani dicimur, ut ne aquam quidem conſecrare poſſitis.

Quanquam non omnes cærimoniæ Baptiſmi ita abrogatæ apud vos, quin ex ijs retinueritis *impoſitionem nominis, ſuſceptores ac ſponſores, recitationem Symboli,* & alibi etiam *abrenuntiationem diaboli*, trinam immerſionem, ſeu effuſionem aquæ ſuper caput; tametſi jam in aliquibus Saxoniæ locis invaluerit, ut in dorſo baptizentur pueri. Hîc denuò requirunt Catholici à vobis: quo principio religionis veſtræ haſce cærimonias retineatis? quas neque ex Scriptura, neque Apoſtolorum exemplo probare poteſtis, quò tamen omnia revocari vultis. Interim nihil frequentiùs in Auguſtanâ confeſſione, & Apologia legas, quàm *damnari traditio-*

traditiones humanas; quales certè hæ cærimoniæ sunt, quas aut Apostoli, aut Ecclesia, pro suâ potestate à Christo & Apostolis accepta, ad majorem solemnitatem, & reverentiam Sacramenti, & ad populi etiam instructionem instituit; ut per visibilia signa, abdita mysteria, effectusque Sacramentorum doceantur: quæ & Carolus Magnus ob id *ex adducto cap.190. lib. 6. Capitul.* populo explicari voluit.

Nunc quid carpas in Catholicis, audiamus. I. Non probas antiquum ritum, quo olim in Ecclesia, festo Paschatis & Pentecostes, solemnis Baptismus agebatur, quòd id à Siricio Papa, & Leone M. introductum dicas: (addere poteras *Gelasium Papam* Epist.1. c.12, *Cyrillum* in catechesibus, *Hieronymum* ad Pammachium, *Augustinum* lib. de cura pro mort. c.12: *Venit Pascha, dedit nomen inter alios competentes*) non tamen ob id, si necessitas posceret, extra illud tempus vetitum erat baptizare: quod vel ex Carolo Magno discere poteris, qui licet hanc consuetudinem probarit, servarique voluerit; non tamen exclusit alia tempora necessitatis. Ita enim lib.5. Capitularium cap.104: *Baptismus non fiat nisi statutis temporibus, id est Pascha & Pentecoste, nisi infirmitas intercesserit.* Et c.11. *ut non baptizetur nisi in vicis publicis.* Idem præscribit lib.6.c.178. etiam in infantibus servandum; Et c.185. addit: *nisi infirmitas occupaverit.* Solemnis enim Baptismus ad venerationem hujus Sacramenti ab Eccesia ordinatus erat. Quare solemni huic Baptismo Carolus Magnus pridie Paschatis Romæ interesse voluit, cùm Hadrianus Pontifex Baptismatis Sacramentum celebraret, uti Anastasius in vita Hadriani PP. refert: ac secundo adventu, Romæ Pipinum filium in Paschate baptizari voluit. Verùm hic solemnis erat Baptismus in epistola Caroli Magni ad Albinum magnificè descriptus. Inde manet hodiedum in Ecclesia ritus consecrandi Fontes baptismales, pridie Paschæ & Pentecostes, qui dudum apud vos cum cæteris exolevit. Interim Tertullianus lib. de Baptismo c.19: *Diem solemniorem Baptismo præstare; cæterùm omnis dies Domini, omnis hora, omne tempus habile Baptismo.* Idem Cyprianus docuit teste Augustino Epist.28.ad Hieronymum, consultus an ad modum circumcisionis octavus dies exspectandus esset? Respondit: *Animam pueri non esse perdendam, sed ante etiam baptizari posse.* ita censuit cum Episcopis. Itaque Baptismus solemnis, quo *catechumeni*, & adulti cumprimis post instructionem baptizabantur, non excludit Baptismos aliorum tempo-

temporum, increscente nimirum fidelium multitudine. Quam ob causam multa sæpe fuerunt mutanda in Ecclesia: Quemadmodum Basilius, Nazianzenus, Nyssenus, alijque Patres dilatum Baptismum magnopere reprehendunt in suis orationibus apud Baron. ad an. Christi 377. Quare in Concilio Moguntino can. 4. ubi Baptismus hic solemnis commendatur, addit: *Non interdicta licentia, quâ in Baptismo tribuendo, quolibet tempore periclitantibus subvenitur.* Et Siricius: *Si in qualibet necessitate opus fuerit sacri undâ Baptismatis, omni volumus celeritate succurri.*

Alterâ parte, de *subjecto* Baptismi, Nisanius ad plebeias calumnias deflectit: *Catholici*, inquit, *non solùm homines, sed & campanas suas baptizant.* Non te pudet ejus calumniæ & mendacij? quasi Catholici nescirent subjectum Baptismi, sicut & aliorum Sacramentorũ, esse solum hominem gratiæ capacem. Aut quis Sacerdos formã Baptismi ulli alij creaturæ unquam, quàm homini adhibuit? quæ obstetrix etiam aliter Baptismum administrat, quàm infanti? Rationem dant Theologi, quòd ad solos homines institutio Christi sit directa. Hæc tu scis docere, & facere Catholicos: & tamen contra mentem palàm scribere, & declamare apud plebem non desinis; tanquam ad hoc *Licentiatus Theologiæ* creatus sis, ut licentiam habeas calumniandi. *Hecuba* tua si hæc diceret, aut sutor aliquis Lutheranus, rideretur. Legatione fungimur pro Christo, quotquot ministri Christi sumus; nisi tu legatus esse mavis, qui mentiendi causa pro republica tua sis missus. Sed audiamus, quomodo probes: *Pontificale*, inquit, *Romanum* hæc profitetur. Tunc *Episcopus* es *Bilfeldiensis*, & non legisti Pontificale, seu librum rituum? Ego nullam *baptismi* mentionem invenio, in toto hoc actu *benedictionis* campanarum. *At*, inquit, *sal, & aqua exorcizatur, ad expellendum ex campana dæmonem, ut pravorum spirituum depellat nequitiam.* Ecce, quàm stupidus es Episcopus! Hæc *aqua* est *benedictio*, non campanæ: quæ fit etiam in consecratione altaris, & templi, ut aquâ benedictâ aspergi possint. Forma benedictionis campanæ hæc est: *Sanctificetur, & consecretur signum istud, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, in honorem sancti N.* Simili ritu quàm multa benedicuntur in Ecclesia?

Pergis, & opponis hæc verba, ex Ordine, & Pontificali libro: *Post tinctum aquâ tintinnabulum, petitur, ut elementum aquæ mysterialiter Baptismo commodum, sancti Spiritus sui sanctitate reddatur.* Ubi hæc verba

in Pontificali Romano legisti? Et si alibi legisti similia, scito, spectare hæc ad benedictionem aquæ; quæ ut Baptismi mysterio subservit, ita aliarum etiam rerum benedictioni. Et quid hosce metaphoricos loquendi modos scrutaris? cum in Scriptura habeas: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* 1.Cor.15.

Pergis, & dicis: nomina sanctorum imponuntur campanæ, & Patrini adhibentur. ℞. nomina imponuntur, ut sub ejus patrocinio populus ad Ecclesiam vocetur; ita etiam castellis, navibus, alijsque nomina SS. imponuntur, ad patrocinium sancti alicujus. Patrini subinde deliguntur pro sumptibus æris campani, idque ab egenâ plebe fit, quæ id nomen per abusum dat. Sed nullus Episcopus hosce ritus benedictioni, ubi impensæ suppetunt, adhibet. Ex his alijsque, ut Bellarminus advertit, vulgus tantùm imperitum campanarum *benedictionem, baptismum* vocare: sicut vulgus vos *Sacerdotes*, & *Prædicantes* appellat, quales tamen vos nec esse, nec dici vultis. Imò, inquis, campanæ unguntur *oleo* sacro. Ita est. etiam altaria, calices, & templorum parietes, oleo sacro unguntur, ut res Deo consecratæ, & ad cultum divinum deputatæ intelligantur; ne quis profanare audeat, quod ut antè omnes pagani, & Turcæ, ita hæretici faciunt, maledicâ hac vestrâ doctrinâ provocati. Scribis, Bellarminum queri de hoc injuria, quòd baptismus campanarum nobis adscribatur. Ita est: sed non immeritò queritur Bellarminus, & refutat lib.4. de Pontif. c.12. Sed opponis illi Danhauerum vestrum, qui id probat. ℞. Danhauerus tantus est mendax, quantus tu es, & Magdeburgenses, qui id Cent.10. c.6. scribere primùm & mentiri sunt ausi. Quàm antiquus sit usus campanarum, & quàm hic ritus non minus, quàm panis, olei, cerei Paschalis, aliarumque rerum, in Ecclesia sit laudabilis & utilis, leges apud Suarez lib.2. in defens. fidei Cath. c.16. ubi hanc quæstionem pertractat. Et quid reprehensionis invenis in illis *benedictionibus?* cùm D. Paulus 1. ad Timoth. dicat: *Creaturam omnem Verbo Dei, & oratione sanctificari?*

Postremùm Caroli Magni legem adfers ex Constitutionibus ejus, quæ sic habet: *Clocas non baptizent.* Recitemus integrè ex Capitulari Aquisgranensi, quod est in tomis Conciliorum. *Clocca,* id est campanæ, *non baptizentur, nec chartæ per perticas pendeant propter grandinem.* Non istic Carolus campanarum benedictionem prohibet, sed abusum & super-

perstitio-

perstitionem, ut ex adjunctis patet. Multa ejusmodi vel ex paganorum ritibus, vel per populi inscitiam irrepsere, quæ passim Carolus vetat: ut constat ex indiculo superstitionum, & Capitularium libris. Cæterùm, ut Carolus Magnus voluerit ab Episcopis altaria, vestimenta sacerdotalia, & omnia quæ ad usus Basilicæ spectant consecrari, relatum est suprà ex lib.7. Capitularium c.338. Quæ omnia à vobis Lutheranis inter superstitionis ritus damnantur, tanto jam vos Carolo Magno & omnibus Concilijs, & Patribus antiquis sapientiores. Omissis in hanc rem testimonijs, quæ ab alijs producuntur, unum Augustinum audiamus; ut vel ex his cærimonijs apertè constet, quanta in omnibus etiam ritibus Catholicæ Ecclesiæ *nostra* consensio sit cum *antiquâ* Ecclesiâ, quæ à tempore S.Augustini toto orbe terrarum diffusa, hisce ritibus baptizavit, nec aliunde has cærimonias accepit, quàm ex Apostolicâ traditione.

CAERIMONIAE BAPTISMI, Ex D. Augustino demonstratæ.

De signo Crucis, quo aqua Baptismatis consecratur.

Per mare transitus Baptismus est, sed quia Baptismus, id est salutis aqua, non est salutis, nisi Christi nomine consecrata, qui pro nobis sanguinem fudit, cruce ipsius aqua signatur. Hom.27. c.1. tom.10. Lib.4. 50. Hom. *Crucis mysterio, rudes catechizantur; eodem mysterio fons regenerationis consecratur.* Serm.19. de Sanctis. *Signo crucis consecratur unda Baptismatis, ut eâ diluatur reatus, tanquam in chirographo scriptus.* lib. 6. contra Pelag. c.8. *Ecclesia Baptismo, & passionis Christi signaculo liberatur.* q.51. tom.4. 65. quæst.

EXORCISMUS, et exsufflatio Baptizandorum.

Illud etiam, quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplamur intuitu: Cùm sive parvuli, sive

juvenes, ad regenerationis veniunt Sacramentum, non priùs fontem vitæ adeant, quàm exorcismis, & sufflationibus Clericorum, spiritus ab eis immundus abigatur; ut tum verè appareat, quando Princeps hujus mundi mittatur foras. lib. de dogm. Ecclesiast. c. 31. *Parvuli propterea catechizantur, & exsufflantur, ac baptizantur, ut Princeps hujus mundi foras mittatur. Verùm opinor, quod eis Baptismo vestro baptizandis minimè exsuffletis, ne non imagini Dei, sed diaboli faciatis injuriam.* tom. 7. Hypog. lib. 5. circa finem. *Accusat Ecclesiam toto orbe diffusam, in quâ ubique omnes baptizandi infantuli, non ob aliud exsufflantur, nisi ut in eis Princeps mundi mittatur foras, à quo necesse est vasa iræ possideantur, cùm ex Adamo nascuntur, si in Christo non renascantur. Contra istam fundatissimam veniens veritatem, ne universam Christi Ecclesiam oppugnare videatur, quasi me unum alloquitur.* lib. 2. de nuptijs & concup. c. 17. & 18. *In veritate, non falsitate, potestas diabolica exorcizatur in parvulis, eique renuntiant; quia per sua non possunt, per corda, & ora gestantum id faciunt.* lib. 1. de nuptijs & concup. c. 20. *Verùm est, quod antiquitus veraci fide Catholica prædicatur, & creditur per Ecclesiam totam, quæ filios fidelium nec exorcizaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum & à principe mortis erueret.* Lib. 6. contra Pelag. c. 2. Eadem habet Epist. 105. ad S. Sixtum contra *Manichæos* & *Pelagianos*, quos Lutherani sequi malunt, quam totam *Ecclesiam Catholicam*, ad quam B. Augustinus provocat.

Oleo sacro, et Chrismate baptizati inuncti, tempore S. Augustini.

Omnes qui ad salutarem Baptismum consequendum Ecclesiæ offeruntur, & Chrisma & oleum benedictionis accipiunt, ut jam non vasa vacua, sed Deo plena, & templum Dei esse mereantur. Serm. 206. de temp. *Ad omnes Christianos pertinet Unctio, prioribus temporibus autem veteris Testamenti ad duas solùm personas pertinebat.* tract. 44. in Joan. Id quod pluribus explicat lib. de vita Christiana c. 1, docetque in veteri lege Sacerdotes, & Reges inungi solitos; in Christi verò lege omnes Christianos inungi solitos. Inde subjungit: *Ex Sacramento unctionis hujus, & Christi, &*

sti & Christianorum omnium, idest, in Christo credentium, vocabulum descendit & nomen. Eadem repet. lib. c.40. qq. Evang. *Demum Benedicimus fontem Baptismatis oleo Unctionis: huic accedit, quod ter oleo inungimus, quos baptizamus.* Quæ Augustini nomine citantur in decret. dist. 11. Can. Ecclesiast. ex dictis Basilij.

Abrenuntiatio satanæ.

Ex quâ re nobis factus est adversarius diabolus, nisi ex hac, quia renuntiavimus diabolo, pompis & Angelis ejus? Lib.1. de Symb. c.1. Ubi multis exponit hanc renuntiationem diaboli. Uti & lib.3. c.1. & concione contra Judæos & Paganos, catechumenos alloquens: *Exspectatur dies judicij, & præsto erit adversarius diabolus: recitabuntur verba professionis nostræ.* Serm.10. de tempore *susceptores* baptizatorum alloquens: *Agnoscant se,* inquit, *fidejussores esse ipsorum, pro ipsis enim respondent, quòd abrenuntient diabolo, pompis, & operibus ejus.*

Trina mersio in Baptismo.

Quando in salutari lavacro tertiò Christiani merguntur, tunc Ægyptij, id est originalia peccata, vel actualia crimina quasi in rubro mari sepeliuntur. tom.10. de temp. serm.91: *Postquam credere promisistis, tertiò capita vestra in sacro fonte demersimus: rectè enim tertiò mersi estis, quia accepistis Baptismum in nomine sanctæ Trinitatis.* ex hom. S.Aug.4. de Consecr. dist.4. Can.76. Eadem legis serm.201. de tempore.

Hæc paucis de cærimonijs Baptismi ex Augustino, quas vos Lutherani primùm abrogastis, & abjecistis. Tuum nunc tibi Lutherum, ex ordine D. Augustini *profugum Monachum*, cum *Manichæis* & *Pelagianis* relinquimus. Nobis cum Augustino, & fundatissima Catholica Ecclesia (ad quam Augustinus pro cærimonijs provocat) stare, & sentire placet. Illa pia nobis mater est, quæ nos per *Baptismum* regeneravit in Christo, unctosque *Chrismate*, nomen *Christiani* hominis ab utero materno profiteri docuit.

CAPVT VI.

De Sacramento Confirmationis.

ALterum hoc Sacramentum est, quod Catholici ex fide Christianæ religionis profitentur cum Concilio Tridentino sess. 7. can. 1. (quantumvis obluctentur Novatores) ac primùm manifestè asserunt ex Scriptura. Etenim ritus & signum sensibile, nempe *manuum impositio*, Act. 8. v. 171. *Imponebant manus super eos*, conjunctâ oratione. v. 15. *Oraverunt pro ipsis*, cum unctione Chrismatis & signo crucis, ut habemus ex Apostolicâ traditione. Confert deinde infallibiliter gratiam Spiritus sancti, ut v. 16. dicitur. *Nondum enim in quenquam illorum venerat* Spiritus sanctus, *sed baptizati tantùm erant in nomine Domini JESU. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Similiter *Act. 19.* rogati discipuli quidam Christi: *Si Spiritum sanctum accepistis credentes?* Cumque dicerent, se Joannis Baptismo esse baptizatos, eo cognito, respondit Paulus, eum tantùm fuisse Baptismum pœnitentiæ, ut in Christum venturum crederent. *His auditis baptizati sunt in nomine Domini JESU, & cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant*, celebrando Dei laudes; qui tum temporis effectus & indicia externa etiam, præsentis Spiritus sancti per Confirmationem collati, frequentia erant.

Quâ in re observandum, etsi *manus impositio* tantùm memoretur, *unctio* tamen *Chrismatis* cum signo Crucis conjuncta erat: simul enim dum manus imponebantur, signum Crucis Chrismate formabatur in fronte confirmandorum, idque ministerio manus Episcopalis. Atque id quàm necessarium simul fuerit, ostenditur *Act. 8. v. 14.* ex eo, quòd primarij Apostoli *Petrus* & *Joannes*, tantùm laboris & itineris susceperint, ut Ierosolymis irent Samariam, ad *Spiritum sanctum*, hoc ritu *Confirmationis*,

tionis, Samaritanis impertiendum, quos *Philippus Diaconus* baptizaverat; poterant enim aliàs orare pro ipsis Ierosolymæ manentes.

Porro materiam, quam ex Traditione & Patribus constat fuisse Unctionem oleo in fronte factam in modum Crucis, deducit S. *Ambrosius, Anselmus, Theodoretus* ex 2. Corinth.1. v.21: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus: qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Cyrillus præterea & Augustinus ex 1. Joan.2.v.27: *Unctio quam accepistis ab eo, maneat in vobis.* Mandatum enim etsi expressè non addatur, evidenter tamen colligitur ex citatis locis. Nunquam enim Apostoli tam confidenter, & ordinariè imposuissent manus ad gratiam Spiritus S. communicandam, nisi id Christus præcepisset: cùm scirent, non posse ullum hominem instituere cærimoniam, ad quam infallibiliter Spiritus sancti gratia sequeretur. Ex his ergo conficitur, *Confirmationem* esse *Sacramentum*: Est enim *ritus externus, qui habet mandatum, & promissionem gratiæ ex institutione Christi,* ut Sacramentum in genere definit etiam Apologia Augustanæ confessionis.

II. Asseritur testimonijs Pontificum, ex primis post Christum sæculis. *Clemens Rom.* in Epist. 4: *Omnibus festinandum est sine mora renasci, & demum consignari ab Episcopo, & septiformem Spiritus S. gratiam recipere.* hìc Confirmationem conjungit Baptismo. *S. Urbanus* Epist. decretali: *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum, Spiritum S. post Baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur. Cornelius* Papa & Martyr, Epist. ad Fabianum Antiochenum, apud Euseb. lib. 6. c.33: *Non fuit signaculo Chrismatis consummatus, unde nec Spiritum S. potuit promereri. Melchiades* Papa & Martyr, ab Hispaniæ Episcopis rogatus, utrumne majus esset Sacramentum, Baptismus, an Confirmatio? respondit his verbis: *Scitote utrumque magnum esse Sacramentum.* Atque in uno majus esse Baptismo, quòd non nisi à summis Sacerdotibus, id est, Episcopis conferatur. *Eusebius* Papa in Epist.3: *Manus,* inquit, *impositionis Sacramentum magnâ veneratione tenendum est, quod ab alijs perfici non potest, nisi à summis Sacerdotibus:* id ex actis Apostolorum ostendit. Vixit autem *Eusebius* Papa temporibus Constantini Magni *tom. 1. Concil. Parisiensium.* His accedit *S. Leo* Papa Epist.86. *Damasus* Epistol.4. *Innocentius* I. Epist. ad Decentium c.3.

III. Asse-

III. Afferitur teftimonijs aliorum Patrum, *Dionyfius Areopagita* lib.de Eccl.Hierarch. c.2. parte 2.& c.4.v.3: *Qui facratiffimo regenerationis myfterio confecrantur, adventum Spiritus S. confummans unguenti inunctio elargitur. Juftinus* q.137. fcribit: *Peractis myfterijs Baptifmi confignari fideles facro unguento.* Eadem habet *Origenes* Hom.8. in Levit. & hom.9. *Cyrillus* in Myftagogis catechefibus fcribit de tribus Sacramentis: *Baptifmo, Confirmatione & Euchariftia*; quæ neophyti eodem die percipere foliti. Eadem legis apud *Nazianzenum* orat. in S. Lavacrum; *Theodoretum*, comment. in c.1. cantic. *Amphilochius* in vita S.Bafilij inquit: *Baptizavit Maximinus Epifcopus Bafilium, & veftivit veftibus albis, atque ungens oleo chrifmatis, tradidit eis vivificam communionem.* Cyprianus lib 5. Epift. ult. *Ungi quoque neceffe eft eum, qui baptizatus fit, ut accepto Chrifmate effe unctus Dei, & gratiam habere in fe Chrifti poffit.* Et lib.2. Epift.1. *Tunc demum plenè fanctificari & effe filij Dei poffunt, fi Sacramento utroque nafcantur. Eufebius Emiffenus* in ferm. de Pentecofte: *Spiritus fanctus, qui fuper aquas Baptifmi defcendit, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præftat ad gratiam. Pacianus* lib. de Baptifmo: *Lavacro purgantur peccata, Chrifmate Spiritus fanctus fuperinfunditur.* Auguftinus libro 2. contra Petilianum c.104: *Sacramentum Chrifmatis in genere vifibilium fignorum facrofanctum, ficut ipfe Baptifmus.* Et paulò poft: *Vifibile & fanctum Sacramentum* appellat. Lib 15. de Trinit. c.26. Apoftolorum exemplum confirmat, adducendo teftimonium ex c.8. Act. Apoft. ex quo & Catholici afferunt tom.4. quæft.42: *Ante afcenfum Dominus formam difcipulis dedit, quomodo accipere deberent baptizati Spiritum fanctum, quod nunc ab Epifcopis cuftoditur.* Et paulò poft: *Non pertinet ad omnes credentes, fed Epifcopos tantùm, ut baptizatis per manus impofitionem dent Spiritum fanctum.* Longum cætera loca adducere.

IV. Afferitur ex Concilijs: *Elibertino* c.38, *Arelatenfi I.* can.8. fub Sylveftro Papa celebrato, *Arelatenfi II.* fub eodem Papa can.17. Utroque hoc Concilio, jubetur Baptifmus non repeti in hæreticis, fi legitimè baptizati cognofcantur; fed tantùm per *manus impofitionem* & *Chrifma* recipi in Ecclefiam.) *Laodiceno* can.7. jubentur Novatiani eodem modo recipi in Ecclefiam. Quare falluntur, qui Confirmationem ex *Meldenfi* concilio primùm deducunt, cùm hæc Concilia ante illud celebrata fint.

Demum

Demum *Traditione* monſtratur, quæ tum ex Concilijs, & Patribus; tum ex praxi Eccleſiæ, & tot ſæculorum uſu evidens eſt. Quapropter Hieronymus in dialogo contra Luciferianos, qui hujus Sacramenti veritatem poſcebant, reſpondit: *Exigis, ubi ſcriptum ſit? In Actibus Apoſtolorum. Sed etiamſi Scripturæ auctoritas non ſubeſſet, totius orbis in hanc partem conſenſus, inſtar præcepti obtineret.*

Vides jam Niſani, quàm falſò ſeptenarium Sacramentorum numerum inter errores Pontificios & Catholicorum reponas, quos conſtat hoc Sacramentum ſecundo loco numerare, eò, quòd poſt Baptiſmum olim dari conſueverit. Sed quare ad Carolum Magnum hîc non provocaſti? Vidiſti opinor, Carolum Magnum ex hujus Sacramenti profeſſione Catholicum eſſe, ſeu *Papiſtam,* ut nos ſoles appellare; aut certè non legiſti Monumenta Caroli Magni, quare neceſſe eſt, ut ego tibi ſiſtam.

Confirmationis Sacramentum à Carolo Magno creditum, aſſertumque.

Ordiamur à *Pipino* Rege, ac Patre *Caroli Magni*, ejuſque patruo *Carolomanno* religioſiſſimo Principe, quorum auctoritate, conſilio, & ope, *D. Bonifacius* collapſam Eccleſiæ diſciplinam per Germaniam inſtauravit. I. Igitur Confirmationis Sacramentum diſces ex Epiſtola 7. *Gregorij III.* Pontificis ad *Bonifacium,* quâ ſcribit, & commendat in hæc verba Confirmationem: *Qui in nomine Trinitatis baptizati ſunt, oportet eos per manus impoſitionem, & ſacri Chriſmatis unctionem confirmari.* Quod & gnaviter præſtitit *D. Bonifacius.* Hinc in Concilio Germanico Ratisbonæ vel Auguſtæ celebrato, *Can. 3.* inter cætera ab illo ſtatutum: *Ut quandocunque jure Canonico Epiſcopus circumierit Parochiam ad confirmandos populos, Presbyter ſemper paratus ſit ad ſuſcipiendum Epiſcopum, cum collectione & adjutorio populi, qui ibi confirmari debet, & in Cœna Domini ſemper novum Chriſma accipiat ab Epiſcopo.* Idem Canon cum cæteris in Concilio Liptinenſi receptus, præſente ſemper Carolomanno. Idem in ſtatutis *D. Bonifacij* leges ex ejuſdem Epiſtola 105. ad *Cudbertum* Archiepiſcopum tom. 17. Concil. Pariſienſ. editionis regiæ: *Sta-*

tuimus, ut singulis annis unusquisque Episcopus parochiam suam circumeat populum confirmare, & plebem docere, investigare, & prohibere paganas observationes, vel omnes spurcitias Gentilium. Quin ipse *Bonifacius* per omnem vitam tam sedulus fuit in hoc Sacramento administrando, ut pridie Martyrij convocarit populum Christianorum in Frisiâ, ad quem dum pro Confirmationis Sacramento administrando accederet, obrutus à barbaris, cum suis Sacerdotibus & Clericis occiditur, uti in vita ejus apud Othlonum, & Serrarium memoratur lib.3. c.26. *Dies,* inquit Othlonus, *appropinquabat, qui ad eandem Confirmationem statutus erat; cùmque dies appropinquasset, omnes quasi filij à Patre exspectabant ad accipiendam Spiritus S. gratiam* Jam ab ipso *Carolo*, quot statuta, & testimonia? Lib.6. Capitularium cap.83: *Omnes maximam curam habeant, ne sine Confirmatione Episcopi quis vitam finiat, animaque periclitetur.* Cap.174. eodem libro: *Annuntient Presbyteri populis, ut quàm citius potuerint, suos infantulos ad confirmandum Episcopo præsentare faciant.* Lib.7. c.299: *Præcipimus, ut ad accipiendum, per manus Pontificis impositionem, Spiritus sancti donum sollicitè, & devotè omnes concurrant, & Episcopo suo, quæ necessaria sunt, fideliter ministrent.* Lib.7. cap.93: *Statuimus, ut singulis annis unusquisque Episcopus parochiam suam sollicitè circumeat, populum confirmare, & plebes docere, & prohibere paganas observationes.* Quæ Carolus ex Concilio *Ratisbonensi* D. Bonifacij transumpsit. Idem cap. 109. repetitur. Lib.4. Capitularium, in Additionibus Caroli, commendat *Confirmationem cum chrismate.* Omitto, quæ Carolus lib.1. c.99. alijsque in locis toties præscribit Presbyteris, ut in cœna Domini oleum ab Episcopo consecratum procurent, & diligenter servent clausum. Lib. 7. c.310: *Chrisma ab Episcopis petatur à Presbyteris, idque juxta Canones, & secundùm morem Romanum, quòd in cœna Domini conficitur,* Lib.5. c. 80. *Et in Concilio Moguntino* Can.27: *Presbyteri sub sigillo custodiant chrisma, & nulli sub prætextu medicinæ donare præsumant; quod si fecerint, honore priventur.* Quæ deinde lib.5. c.5. de Patrinis Confirmandorum; Quæ lib.7. c.319. ex Concilio *Arelatensi* & *Laodiceno* suprà relatis decernit; ne videlicet hæretici rectè baptizati denuò baptizentur, sed tantummodò *per manus impositionem ab Episcopo factam recipiantur in Ecclesiam*; quod chrismatis unctione in Sacramento Confirmationis fieri debere docet *Arelatense* II. Concilium.

Demum

Demum in hanc rem nihil testatius, quàm quæ suprà de Chorepiscopis relata sunt: ijs enim, quòd veri Episcopi non erant consecrati, omnino tot legibus Carolinis prohibitum, ne *Chrismaconficiant, ne per impositionem manus Spiritum S. tradant, quod hæc Pontificum & Episcoporum sint.* Lib.7. Capitularium c.310. & cap.328: *Sed quæ Presbyterorum sunt tantummodo agant.* Lib.7. c.310: *Et si quam consecrationem aut Confirmationem fecerint, ab Episcopis canonicè reformentur.* Lib.6.c.284. causam hujus exponit Carolus ex priscis Pontificum & Patrum decretis lib.7. cap. 318: *Quòd Chorepiscopi illi ex ordine LXX. discipulorum & Presbyterorum sint, ut sacri Canones testantur, quos nunquam Spiritum paraclitum tradidisse novimus.* Accedit Epistola ad Albinum: *Baptizatus suscipiatur ab ipso, à quo suscipiendus est; si verò Episcopus adsit, statim confirmari eum oportet Chrismate.* Et mox: *Id enim solùm Episcopis debetur, qui tradunt Spiritum paraclitum baptizatis.*

Satis nunc vidisti, opinor, quæ Ecclesiæ Catholicæ, quæ SS.Patrum, quæ Caroli Magni sententia sit de Sacramento Confirmationis? Ac tametsi Carolus Sacramenti nomine non exprimat, rem tamen hujus Sacramenti ubique professus est, nec aliter quàm à Patribus & Ecclesia Catholica Sacramentum accepit, Sacramentum tradidit. Et verò si Confirmationem detrectas Sacramentum agnoscere; cur tam celebrem in Ecclesia ritum in Scriptura fundatum, & ab ipso Apostolorum ævo toto orbe Christiano frequentatum, & inde ad nos perductum abjecistis ex Ecclesia vestra? Saltem inter cærimonias vestras retinere oportebat, quarum multas nobiscum communes habetis. Sed causa in promptu est: Videbat nimirum Lutherus se Episcopum non esse, nec Ecclesiam suam Episcopos habere posse; idcirco omnia quæ ab Episcopis dependent munia, ac Sacramenta abjecit, omnium qui ante ipsum fuere audacissimus. Tametsi ex priscis hæreticis non defuerint, qui Chrisma, & Chrismatis Unctionem abjicerent; à quâ tamen Unctione in Baptismo, & Confirmatione acceptâ, teste S.Augustino, cæterisque Patribus, *Christiani* etiam appellantur.

CAPVT VII.

De Euchariſtiæ Sacramento, et Transſubſtantiatione.

EUchariſtiam verè ac propriè Sacramentum eſſe Lutherani juxta ac Catholici profitentur. Habet enim ritus , Matth.26. *Cœnantibus autem eis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis.* Qui ritus ab alijs quoque Evangeliſtis, & Apoſtolo 1. ad Cor.11 deſcribuntur. Habet & inſtitutionem Chriſti & mandatum: *Hoc facite*, & Joan.6: *Niſi manducaveritis &c.* Habet & promiſſionem gratiæ, Joan.6: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Duæ cumprimis contra Sacramentum Euchariſtiæ hoc ſæculo ſunt hæreſes: Prima eſt, *Calviniſtarum*, & *Zwinglianorum*, negantium verum Chriſti corpus eſſe præſens in Euchariſtia; nec aliud in hoc Sacramento agnoſcunt, quàm figuram corporis Chriſti, qui ob id *ſacramentarij* dicuntur. Altera eſt *Lutheranorum*; docent illi quidem corpus Chriſti eſſe præſens in Euchariſtia, in eoque ex parte cum Catholicis adverſus *ſacramentarios* conveniunt: verùm ex alterâ parte docent, unà cum corpore Chriſti manere ſubſtantiam panis, & cum ſanguine Chriſti ſubſtantiam vini, negando *transſubſtantiationem*. Ideò *Impaniſtæ* paſſim vocantur. Hæc nunc illa controverſia, quam hîc multis nobis movet & recoquit Niſanius. Ac tametſi fateatur, nihil ſe in Caroli Magni libris reperire, ex quo *Transſubſtantiationem* oppugnet, id tamen multis conatur probare ex hæreſis ſuæ dogmate.

I. Primus harum hæreſeôn auctor *Berengarius*, notus in Eccleſia hæreſiarcha, qui tres potiſſimùm hæreſes docuit, quibus parens fuit præcipuarum hujus temporis ſectarum; uti hæc *Guidmundus, Landfrancus, Algerus*, eorumque temporum ſcriptores, unâ cum Concilijs tradiderunt. I. Docuit, *parvulos non eſſe baptizandos.* Quo dogmate parens fuit Anabaptiſtarum. II. Docuit, *corpus Chriſti non eſſe verè præſens in Eucha-*

Eucharistia, sed tantùm ut res significata per signum, & figuram. Quo dogmate, post *iconomachos,* aliosque, *sacramentariorum* parens fuit. Verùm postea convictus erroris hujus, damnatusque in Concilio *Romano*, docuit pòst alteram palinodiam, *Corpus Domini esse quidem verè præsens in Eucharistia, sed simul cum pane & vino.* Quam subtiliorem suam sententiam jactare solitus. Hoc verò dogmate Berengarius auctor *Lutheranorum,* qui corpus Christi præsens docent in pane, sub pane, & cum pane. Itaque ut Catholici docent *transsubstantiationem,* quòd factâ consecratione, substantia panis & vini esse desinat; ita Lutherani docent *consubstantiationem.* Hæc nimirum illa pervulgata controversia, quam tot præstantes Theologi exactissimè pertractarunt, & quæstio profectò quæ supra plebei Prædicantis ingenium est. Ideo nihil reperio in tuo hoc scripto, quod à Calvinistis, quos ex hoc dogmate fratres habetis, non multo versatius sit motum, & à nostris multo verius sit confutatum; si modò Bellarminum, Vasquez, Suarez, Becanum, & quos ipse citas Theologos, perlegere lubeat.

II. Fundamentum Catholicæ veritatis est in Scriptura, ex quâ Concilium *Lateranense* sub Innocentio III, ut refertur c. *Firmiter*; & *Tridentinum* sess. 13. cap. 4. his verbis definit: *Quoniam Christus redemptor noster, corpus suum id, quod specie panis offerebat, verè esse dixit; ideò persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuò sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis & vini, conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam Sanguinis ejus, quæ conversio convenienter & propriè à sancta Catholica Ecclesia transsubstantiatio est appellata.* Quibus Concilij verbis, non modò *veritas*, sed *fundamentum* ex quo hæc tractat, continetur. Fundamentum autem sunt verba *consecrationis.* Enimverò dum Christus accepit panem, dixit: *Hoc est corpus meum*; pronomen demonstrativum *hoc* absolutè, & sine restrictione positum, denotat nobis totum illud substantiale, quod sub accidentibus continetur: si verò simul contineatur substantia panis, & Corpus, non potest simpliciter dici: *Hoc est Corpus meum*: quia Corpus non est tota substantia contenta; dicendumque esset, *Hoc est Corpus & panis*: cùm neutra pars seorsim sit totale contentum. Sicut ostenso lapide, non possum dicere, *hoc est materia,* aut *hoc est forma lapidis,* etsi utraque pars contineatur sub accidentibus

 lapidis;

lapidis; cùm neutra seorsim sit totale contentum. Similiter sicut de vase, in quo *mel*, & *vinum* continetur, non bene dico, *hoc est mel*; sed, *mel & vinum.* Secundò si ex duabus substantijs alterutra demonstranda esset, potiùs panis demonstrandus fuisset à Christo, quàm Corpus; quòd species & accidentia sensibilia per se primò, & connaturaliùs denotent propriam substantiam, quæ est panis, quàm alienam, quæ est *Corpus Christi*: atque ita panis diceretur esse corpus Christi, quod est falsissimum. Aliud est, si de vase pleno dicas, *hoc est vas vini*, seu, *hoc est vinum*; eò quod accidentia dolij seu vasis duplicem habeant respectum, alium *naturalem* ad substantiam ligni, alium *artificialem* ad continendum vinum, ad quod ex communi usu aptatur figura hæc. At longè alia ratio est in accidentibus panis, & vini, quæ neque ex natura suâ, neque ratione figuræ sunt apta aut facta ad continendam substantiam Corporis aut Sanguinis Christi.

Igitur uti Ecclesia Catholica ex simplici, & aperto verborum sensu, *Hoc est corpus meum,* contra sacramentarios asserit præsentiam Christi in Eucharistia; ita contra Lutheranos asserit *Transsubstantiationem.* Hæc paucis, quæ planissimè explicata leges apud Bellarminum, Suarez, Vasquez, & omnes Theologos.

III. Hoc idem SS. Patrum fuit fundamentum, hæc eadem sententia planissimis eorum verbis nobis relicta, quos inter *Cyprianus* sermone de Cœna Domini: *Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed naturâ mutatus, omnipotentiâ verbi factus est caro.* Quid clariùs dici poterat? *Cyrillus* Catech. 4: *Aquam aliquando mutavit in vinum, & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutarit? Ambrosius* lib. de initiandis c. 9: *Quantis utimur exemplis, ut probemus non hoc esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, majoremque vim esse benedictionis, quàm naturæ; quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. Gregorius Nyssenus* in orat. Catech. c. 37: *Rectè verbo Dei sanctificatum panem, in Dei verbo Corpus credimus immutari. Chrysost.* Hom. 83: *Non sunt humanæ virtutis opera proposita. nos ministrorum locum tenemus, qui verò sanctificat ea, & immutat, ipse est. Augustinus* serm. quem citat Beda in c. 10. 1. ad Corinth. 1. *Non omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi, fit Corpus Christi.* Quo dicto advertas, non dixisse Augustinum: *Panis est Corpus Christi,* (ut Lutherani volunt,) sed

sed, *fit Corpus Christi*, quæ verba mutationem significant. Pari claritate *Augustinus* serm. 28. de verb. Domini: *Ante verba Christi, quod offertur, panis dicitur; ubi verba deprompta fuerint, jam non panis dicitur, sed Corpus appellatur. Cyrillus Alexand.* Epist. ad Calesyrium: *Ne horreamus Carnem & Sanguinem appellare apposita sacris altaribus: condescendens Deus nostræ fragilitati, influit oblatis vim vitæ, convertens ea in veritatem propriæ Carnis. Eusebius Emissenus* serm. de corpore Domini: *Quando benedicendæ verbis cælestibus Creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequam invocatione Numinis consecrentur, substantia illic est panis & vini; post verba autem Christi, Corpus & sanguis Christi est. Quid mirum est autem, si ea, quæ verbo creare potuit, possit creata convertere? Theophylactus* in c. 6. Joan. *Transformatur arcanis verbis panis ille, per mysticam benedictionem, in Carnem Domini.* Hunc in modum producit Bellarminus, Suarez, Valentia q. 3. p. 3, Vasquez disp. 80. c. 3, Gvalterius in eruditâ Chronologia sua, Coccius, alijque per omnes ab Apostolis ætates ad Lutherum usque testimonia Patrum, in quibus, *Mutatio*, *Conversio*, *Transformatio*, & *Transmutatio* exprimitur, & panis in Corpus Christi, & vini in Sanguinem conversio asseritur. Quibus verbis idem Patres significant, quod Ecclesia Transsubstantiationis nomine, & claritatis causâ appellat. Res eadem, etsi verba diversa. Et quid de nomine contendimus, cùm rem ipsam habeamus? Ita Homousios, & Theotocon, aliaque nomina, nova aliquando, cùm res antiqua, & veritas ante nomina esset.

Ad hæc Patrum testimonia nihil aliud respondet Nisanius, quàm Scripturæ inhærendum esse, quæ accidentalem tantùm mutationem, non substantialem nobis tradit. Enimverò tu præclarus nobis hîc interpres es! cùm accidentia non mutentur: manent enim species ut ante, nisi omnium oculos fallere velis. Et quis Patrum accidentalis mutationis uspiam meminit? qui tam expressè mutationem panis in Corpus Christi, & vini in Sanguinem tradunt. Posses tu eâdem explicatione transire ad *sacramentarios*, & tollere nobis omnem Christi præsentiam in Eucharistia, uti in hac causa fratres estis. *Quid communicabit cacabus ad ollam?* inquit Ecclesiasticus c. 13, *quando enim se colliserint, confringetur.* Plutonis una olla est, in qua coquitis has hæreses vestras.

IV. Ne de sensu Scripturæ & SS. Patrum dubium esse possit, accedunt

dunt Concilia, quorum primum eſt *Romanum* ſub Nicolao II. anno Chriſti M LX. in quo convictus Berengarius, abjuravit hæreſin *ſacramentariorum* de præſentia Chriſti in Euchariſtia. Secundum eſt Romanum ſub Gregorio VII. anno Chriſti M LXXIX. in quo denuò convictus abjuratâ veſtrâ hæreſi profeſſus eſt panem & vinum ſubſtantialiter converti in Corpus & Sanguinem Chriſti. Omitto hîc *Vercellenſem*, & *Turonenſem* Synodos, in quibus idem Berengarius Patriarcha veſter damnatus eſt. Tertium Concilium generale eſt *Lateranenſe* ſub Innocentio III. celebratum anno M CC XV, quo dogma hoc Catholicum nomine *Transſubſtantiationis* confirmatum eſt, ut ipſi agnoſcitis. Interfuere autem huic Concilio cum Pontifice & Cardinalibus tam Græci, quàm Latini Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi quadringenti octoginta, præter Abbates, Prælatos, & Legatos Orientis, & Occidentis Imperatorum, Legatoſque Regum Hiſpaniæ, Galliæ, Angliæ, aliorumque. Quartum eſt Concilium *Romanum* generale, celebratum anno Chriſti M CD XIII, quo damnatus eſt hic *Joannis Wicleſi* articulus: *Subſtantia panis materialis, & ſimiliter ſubſtantia vini materialis, manet in Sacramento altaris.* Quintum Concilium generale eſt *Conſtantienſe* anno Chriſti M CD XIV, quo hæc *Wicleſi* hæreſis rurſum damnata eſt, & quidem à Martino V. vero ac legitimo Pontifice. Sextum Concilium generale *Florentinum*, in quo ex conſenſu Græcorum & Latinorum Patrum data eſt inſtructio Armenis, interque cætera hæc de Euchariſtia inſtructio: *Subſtantia panis in Corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in Sanguinem convertuntur.* Lutherani, cum hoc judicio Græcorum ſe perculſos viderent, miſerunt poſtea *Auguſtanam* ſuam *confeſſionem* ad Patriarcham Conſtantinopolitanum, pro cenſura & approbatione ſuæ doctrinæ, & cumprimis articulum X. de *Cœna Domini.* Sed quale reſponſum accipere ad perpetuam ſuorum confuſionem? *Multa,* reſcripſit Patriarcha, *in hac parte de vobis referuntur, quæ nobis nullo pacto probari poſſunt. Eccleſiæ igitur ſanctæ judicium eſt: in ſacra Cœna poſt Conſecrationem & benedictionem panem in illud ipſum Corpus Jeſu Chriſti, vinum autem in ſanguinem virtute Spiritus ſancti tranſire ac immutari.* Appellas Niſani cum tuis ad Orientalem Eccleſiam, ex quâ hoc judicium oportebat te primùm adferre, adeò *inimici* etiam & Schiſmatici ſunt *judices* noſtri. Accedit poſtremò Concilium Tridentinum generale cujus ſententiam ſuprà

prà retuli. Adducis tu quidem multa testimonia scriptorum per varias ætates, verùm si ea conferas cum testimonijs Patrum, Bellarmino, & Gvalterio, Coccio, alijsque adductis, prorsus contrarium reperies: & quæ citas, contra te faciunt, ut legenti patebit. Optarem ego vel unum Concilium produci, quo vestra hæc doctrina, tam expressè exsertèque definiretur, quàm hoc Catholicum dogma assertum sit; id quia non potuisti, silêre maluisti, & calumniari. Interim audiamus, quæ præterea proferas.

Objicis I ex Scriptura, *Calvini* telum 1.Cor.10. *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Centies hoc audivimus, & centies responsum est: *Eucharistiam* ratione accidentium externorum vocari *panem*, quem species exhibent: sicut Angeli vocantur sæpe viri, & juvenes, *Act.1. Marc.ult.* Vel *panem* vocari in sensu diviso, ratione termini *à quo*, quòd ante consecrationem verus panis extiterit: uti Gen.2. Eva vocatur *os Adæ*; vel more Hebræo, quo quivis *cibus* appellatur *panis 4.Reg.6.v.22. Joan.6.v.31.& 41.* Eadem responsio est ad illud *Matth. 26.& 1.Cor.11. Accepit panem, & fregit, ac dedit discipulis suis.* Constat enim, Christum non modò accepisse, & dedisse panem, sed etiam dixisse: *Hoc est Corpus meum.* Ante enim panis erat, post consecrationem verò Corpus Christi.

Objicis II Synodum Nicænam II. in qua *Act.6.* Gregorius Neocæsariensis Episcopus dicit, *Eucharistiam esse imaginem Christi.* ℞. Hoc argumentum, si quid valeat, æquè Lutheranis, quàm Catholicis solvendum est contra Calvinistas. Respondet I I Sirmondus in notis, Gregorium Episcopum id recitasse ex sententia iconoclastarum, uti sanè res est. Quare Patres in illo Concilio non minus hanc hæresin, quàm cæteras iconomachorum damnarunt. Ita enim Patres illi Act. 6. *Nullus aliquando tubarum Spiritus, Sanctorum Apostolorum, aut illustrium Patrum nostrorum, incruentum Sacrificium nostrum, quod est in commemoratione Christi Dei nostri, dixit imaginem Corporis ejus.* Subditur deinde: *Non dixit, accipite & comedite imaginem Corporis mei, sed manducate Carnem meam, Corpus meum, quod per Sacerdotem offertur in Sacrificium.* Patrum reliquorum sententiæ, in hæc verba accessit ipse Gregorius Episcopus: *Acceptum panem benedixit, & gratias agens fregit, & dans dixit: Accipite, & comedite in remissionem peccatorum, Hoc est Corpus meum. Simi-*

 liter

liter & calicem tradens dixit: Hic eſt Sanguis meus. Demum concludit: *Euchariſtiæ panem, non ut falſam imaginem naturalis carnis, per Spiritus S. adventum ſanctificandum, divinum Corpus fieri voluit, mediante Sacerdote.* Græcè, Σῶμα εὐδόκησε γίνεσθαι μεσιτεύσοντος ποιουμένου ἱερέως. Demus etiam imaginis nomen hîc interſeri, quid inde? quando Chriſtus ipſe filius Dei etiam *figura ſubſtantiæ ejus* dicitur Hebr. 1. nec propterea naturalis & verus Dei filius eſſe deſijt. Hinc etſi Patres aliquando dicant in Euchariſtia eſſe *figuram*, *ſignum*, & *imaginem* Corporis Chriſti, non ideò favent hæreticis; quia nuſquam dicunt eſſe meram & vacuam figuram, quæ veritatem rei excludat. Quo in genere poteſt conſiſtere ſignum & imago cum veritate rei. Sic bonus color eſt ſignum præſentis ſanitatis, & chirotheca exprimit figuram manus: ſic Baptiſmus eſt repræſentatio ſepulturæ Chriſti ad Col. 2. nec tamen ideo verus Baptiſmus eſſe deſinit. Joannes Baptiſta erat Propheta, & pluſquàm Propheta. Ita Euchariſtia etſi figura dicatur, plus tamen quàm figura eſt, quia continet Chriſtum, quem ſub ſpecie panis ſignificat. Sed hujusmodi argumenta dum movet Niſanius, Calviniſtam agit, non Lutheranum. Lege Concilium hoc, & diſce ex eo Sacrificium verum, Sacerdotis poteſtatem in conſecrando, & converſionem panis in Corpus Chriſti.

Objicis III. ex Patribus Theodoretum Dial. 2. *Neque enim myſtica ſymbola poſt ſanctificationem propriam naturam exuunt, ſed permanent in priori ſubſtantia, & figura & forma, & viſibilia & tactilia ſunt.* Addit Græcè, μένει γὰρ ἐπὶ προτέρας οὐσίας. *Hic locus*, inquit, *ſudes eſt in oculis Jeſuitarum.* Quæ tibi hic ſomnia fingis? Ex cubito tuo, aut craſſo Lutheri cerebro hoc argumentum profluxit. Quid Jeſuitas fatigas? cùm Cardinalis Peronius contra Pleſſeum, alijque hunc locum excuſſerint. Omiſſis igitur aliorum explicationibus, R. Theodoretum loqui de ſpeciebus & accidentibus, & innatis proprietatibus panis, quales ſunt ſapor, ac ſimiles, quibus naturæ & ſubſtantiæ nomen tribuitur, etiam à Chryſoſtomo, Gelaſio, Ephremo, dum de hoc Sacramento agunt: uti præter Jeſuitas oſtendit Baronius ad annum Chriſti 496, in obitu Gelaſij. Cæterùm, his Patribus, oppone Patres, quos ſuprà adduxi, horum teſtimonia tu præteris, quemadmodum mos vobis eſt cum noctuis obſcura ſectari, & clara apertáque fugere.

Objicis

Objicis IV. Olim in Ecclesia Constantinopolitana mos fuit, post Eucharistiæ celebrationem pueris relictas particulas dare teste Evagrio lib.4.hist.c.35. Nicephoro Cal. lib.17.c.28. uti & in *Matisconensi* Concilio II. legitur, quod can.6. dicit: *Innocentes pueros ad Ecclesiam fuisse adductos, & indicto eis jejunio, reliquias Sacrificiorum post peractam Missam vino conspersas percepisse.* Quod & in Turonensi can.19. sub Carolo Magno habito legitur. At hi pueri, infers, ad ipsam mensam Domini non admittebantur, ergo panem relictum pro communi pane habuerunt. Quis te cum pueris non rideat? qui Calvinistam agis, dum Lutheranum agere vis, nudum panem ex Eucharistia fabricando. Imò si communis panis fuit, quid ergò jejunio dispositi? Unde communis sententia est, ut ex *Turonensi* mox audies, pueros hosce participasse de Eucharistiæ Sacramento, sin minus, nihil probas contra nos, qui de pane Eucharistico in Corpus Christi mutato hîc agimus. Tu autem vide, quomodo ex hoc probetur communio sub unâ specie contra Lutheranos, præsertim cùm *Turonense* Concilium Can. citato dicat: *Presbyteri omnino admonendi sunt, ut cùm sacra Missarum solemnia peregerint, atque communicaverint, pueris aut alijs quibuslibet personis adstantibus Corpus Domini indiscretè non tribuant.* Nulla hîc mentio fit communicati calicis, ut vel inde etiam Catholici Communionem probent sub unâ specie. Nam si vino conspersus Eucharisticus panis est datus pueris, certè sub una specie pueri communicarunt.

Objicis V. Scotum, quod is dicat in 4. dist.11. q.3. etsi panis simul cum corpore Christi maneat, contentum sub accidentibus, posse nihilominus verè dici, & demonstrari hoc ens, sive hoc Corpus meum contentum sub signo isto visibili. Respondet Bellarminus: Scotum dicere, potuisse Deum efficere, ut in Sacramento verè adesset Corpus Christi cum pane; &, si hoc fecisset, mysterium futurum fuisse facilius, & minus miraculi in se continere: quod etsi quidam concedant fieri potuisse, alij tamen negant. sed ea res ad fidem non spectat. Secundò dicit *Scotus*, non extare locum ullum Scripturæ tam expressum, ut sine Ecclesiæ definitione evidenter cogat admittere *Transsubstantiationem*. Quod omnino non improbabile censet Bellarminus, si de protervo agatur. Obnixi interim alij *Scoto*, id aliter cum D. Thoma, ut dixi, clarè revinci volunt ex verbis Christi; argumentis certè, quæ nunquam à Lutheranis & novatoribus

soluta sunt; neque excusant probantve *Scotum*, quod scripserit, ante *Lateranense* Concilium non fuisse dogma fidei *Transsubstantiationem*: quippe qui Concilium *Romanum* sub *Gregorio VII*, in quo hæc Berengarij hæresis damnata est, consensumque Patrum non legerit. Tertiò dicit *Scotus*, ex duobus sensibus quos Scriptura habere posset, Ecclesiam delegisse & declarasse illum, qui *conversionem substantiæ panis in Corpus Christi, & vini in Sanguinem* docet: quòd idem Spiritus, qui Scripturam dictavit, etiam per Ecclesiam declaret verum sensum. Id si Lutherani cum Scoto profiteri velint, nulla erit controversia inter nos & ipsos. Similiter *Durandus, Occam, Paludanus*, quos citas rationi *Scoti* inhærentes, non ex verbis Christi dilucidè satis, sed ex Ecclesiæ definitione *Transsubstantiationem* evidenter haberi dicunt. Solus *Petrus de Alliaco Cameracensis*, longiùs progressus, sensit *Transsubstantiationem*, nec ex Scriptura, nec ex definitione Ecclesiæ evidenter colligi; sed nullius, ut inquit Vasquez, eruditionis Theologus: quamvis tamen Cameracensis hic *Transsubstantiationem*, Patrum magis doctrinæ, & communi Ecclesiæ judicio conformem asserat. In quo quantum vos Lutherani disceditis etiam ab hoc ipso Scriptore!

Igitur in quo omnes Catholici cum *Scoto* conspirant, & in quo demum firmissimè standum, & unicè acquiescendum sit, est judicium Catholicæ Ecclesiæ, *quæ est columna, & firmamentum veritatis*; ex hujus judicio, & declaratione infallibili, *Transsubstantiatio* nobis est dogma fidei nostræ; perinde ut cætera, quæ ab Ecclesia in Concilijs Oecumenicis per singula ferè sæcula contra hæreticos sunt decisa: non quòd Ecclesia novos fidei articulos faciat, ut vos fraudulenter populo persuadetis, sed quòd controversa fidei dogmata *quoad nos* declaret, quæ tamen ante, & *in se* semper fuere æquè vera fidei dogmata. Quâ de re lib. 1. c. 7. suprà relatum est.

Vestra autem Ecclesia Lutherana, cùm prorsus contrarium doceat, optarem ego scire, utrumne judicium vestræ Ecclesiæ fallibile sit, an infallibile? si fallibile? prorsus illi me committere nec possum, nec debeo, relictis cumprimis tot Patrum sententijs, & tot Conciliorum decretis: Si infallibile? ergo jam datur aliud principium infallibile præter Scripturam, quod hactenus negastis. Agitur enim hîc non de materiali Scripturæ, sed formali; id est, de sensu horum verborum Christi, *Hoc est*

Corpus

Corpus meum, non secus contra vos de *Transsubstantiatione*, ac contra *Sacramentarios* de præsentiâ Christi in Eucharistia. Hîc si tu nos sine vero judice controversiarum expedire possis, magnum profectò nobis laborantis hujus sæculi eris oraculum. Quanquam non aliud hîc à te exspectem, quàm quod S. Augustinus scripsit Epist. 56: *Omnium hæreticorum, quasi regularis ista temeritas, conari auctoritatem stabilissimam fundatissimæ Ecclesiæ, quasi rationis nomine & pollicitatione superare.*

CAPVT VIII.

De Communione sub utrâque specie.

ALteram hanc de Eucharistia controversiam attexuit hîc nobis adversarius. Celebris quidem illa, ac nescio, an apud plebem ulla plausibilior, quæ jam à centum annis cum exortâ Lutheri hæresi agitata, & innumeris scriptorum Catholicorum libris discussa, decisaque est.

I. Quâ in re id primò statuendum, non esse quæstionem inter nos & Lutheranos: *an Communio sub utrâque specie aliquando fuerit in usu?* Id enim, inquit Vasquez, Suarez, & cæteri omnes, negari non potest. Quare id ultrò largimur, quando primis Ecclesiæ sæculis modò sub unâ, modò sub utrâque specie Eucharistia communicata populo, ut cujusque Ecclesiæ, Regni aut Provinciæ mos, & consuetudo ferebat, donec tandem una species per Occidentis Ecclesias consuetudine introductâ, legis instar obtinuit, ut Patres in Concilio *Constantiensi* profitentur. Nulla interim primis sæculis, licet alibi sub una, alibi sub utraq; specie daretur communio, inter Ecclesias lis, nulla inter Episcopos & Pastores ob id dissensio, nulla partis alterius condemnatio, nullum schisma, nulla hæresis; quod satis intelligerent Ecclesiæ Pastores, & Doctores, nihil hîc agi contra institutionem Christi, nihil contra divinum præceptum, sed id cuique Ecclesiæ liberum relinqui. Et mirum, si quid hîc erroris, & fraudis in sub-

tracto calice contra divinum mandatum intervenisset, (ut Lutherani obtendunt,) id à nullo Concilio, à nullo Episcopo, à nullo unquam Doctore animadversum fuisse, aut Ecclesiam tam diu à Spiritu S. desertam fuisse, maximè si utraque species, (ut Lutherani contendunt,) ad salutem sit necessaria. Tot præterea hæreses fuerunt ab ortu Ecclesiæ, & quod haud minus hîc mireris, nulla tamen ex his objecit Catholicis illum diversum usum, quod alibi sub una specie, alibi sub utraque specie Eucharistiam populo darent.

II. Serò tandem circa annum MCCCCXII. *Petrus Dresdensis* ex pædotriba Germano repente Theologus, *Jacobellum Misnensem* Pragæ Concionatorem, in suas partes traxit: hi primùm ex Joan. cap. 6. Communionem sub utraque ad salutem necessariam esse docuerunt, & persuadere cœperunt. Hæc nova doctrina ab *Hussitis* in *Bohemia* avidè arrepta, in tam pertinacem ac funestam postea hæresin excrevit, quæ ob id statim in Concilio *Constantiensi*, & *Basiliensi* damnata est.

III. Ab Hussitis Lutherus accepit hanc novam doctrinam, & ex Bohemia in Saxoniam traduxit, quæ simili mox plausu insanæ plebis excepta est, sed quàm varius, quàm incertus Lutherus fuerit, hîc prius recognoscere interest. Nam *serm. de Euchar.* sub initium defectionis suæ, sic scribit: *Non dixi, neque consului, neque intentio mea est, ut unus, aut aliquot Episcopi propriâ auctoritate incipiant alicubi porrigere utramq; speciem, nisi ita instituatur, aut præcipiatur in aliquo generali Concilio.* At non multo pòst, mutatâ mente ita Lutherus in Assert. art. 16: *Consultum mihi videtur nunc, ut non modò per Concilium, sed per quamcunq; diœcesin quilibet Episcopus etiam invito Papâ, Christum secutus in Evangelio, rursus utramque speciem laicis daret.* Rursum in Epistola ad Bohemos Lutherus: *Tametsi Christus nihil necessarium præscripserit, præstare tamen pacem, & unitatem servare, quàm de speciebus contendere.* Quis hic non dicat Lutherum Catholicum? Imò lib. de utraque specie tom. 3. Jenens. edit. *Si perveneris ad locum, in quo una species ministratur, accipe tantùm unam; si præbeantur duæ, duas accipe.* Demum Lutherus in formula Missæ totus à se alius: *Si,* inquit, *Concilium statueret, aut permitteret utramque speciem, nos nequaquam utrâque uti mallemus; sed in despectum Concilij, ejusq; statuti, aut unâ, aut neutrâ, & minimè utrâque uti vellemus; maledicturi universos, qui ex potestate, aut statuto Concilij utrâque uterentur.* Hoc postremum

mum Lutheri judicium fuit. Æstimet nunc ex eo prudens lector, quàm non illi veritatis cognitio, sed insultandi libido; non obedientia, quæ Ecclesiæ & veris Pastoribus debetur, sed insania turbandi Ecclesiam proposita fuerit.

Inde res eo brevi delapsa, ut quilibet pro ingenio & libertate se judicem hujus controversiæ ferret; nec ullus ex Prædicantum numero esset, qui non sapere sese supra Episcopos, & Episcoporum Concilia crederet. Imo viri, fœminæ, juvenes, senes, & pueri adeo à Prædicantibus ad biblia remissi, hìc *judices* sunt, ac tot interpretes, quot opifices; tot capita, quot pensa lectionis bibliorum: adeoque id per Saxoniam invaluit, ut cippis & sepulchris mulierum inscribatur, quoties scripturam legendo pervolutarint. *Mysterium* olim Theologia erat, modò *sutorum & textorum criterium.* Quemadmodum id Nicephorus Gregoras olim questus: *Apud nos*, inquit, *etiam opificibus effusa sunt arcana Theologiæ; illi & fora & porticus, & theatra omnia Theologiâ compleverunt, neque solem suæ impudentiæ testem facere verentur.*

Paragraphus I.

Communio sub unâ specie ex Scripturis asserta.

PRimùm ex Scriptura, atque ex ipsa institutione argumentum sumitur. Nam etsi Christus sub utraque specie instituerit Eucharistiam, eò, quòd non modò *Sacramentum*, sed & *Sacrificium* esse voluerit, idcirco tamen nihil fraudis, aut damni committit Ecclesia, si Eucharistiam sub unâ specie administret populo. Ratio hæc redditur, quòd in ijs quæ à Deo instituta sunt, duo spectari debeant: Primò *substantia*, & *essentia rei institutæ*: Secundò *circumstantiæ, modus*, ac *ritus accidentales*. Igitur etsi Ecclesia nihil mutare possit, in ijs, quæ ad *substantiam* Sacramenti jure divino ordinata sunt; potest tamen ea ex causis mutare, & ordinare, quæ ad *modum*, *circumstantias*, ac *ritus* pertinent. Atqui *Communio sub una*, vel *duabus speciebus* ejusmodi *modus* ac *ritus* est, ergo ab Ecclesia ex causis mutari, & ordinari potest. Propositio certissima, quam multis exponit Bellarmi-

Bellarminus *lib.4. de Eucharistia, c.18.* Suarez *lib.2. defens. fidei Cath. c.5.* Becanus *opusculo de Com. sub utraque c.1.* alijque Theologi innumeri. Probant exemplo *Baptismi*, ad cujus essentiam spectant hæc duo, *ablutio externa*, quæ fit per aquam; deinde forma verborum: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* Cætera extrinseci sunt ritus, qui mutari possunt, ut V.G. *una* an *trina* mersione fiat. Nam aliquando Ecclesia jussit sub *trina* mersione baptizari, ut constat ex *Can.49. Apost. Tertull. lib. de Corona milit.* Et tamen eadem Ecclesia, postulante certâ causâ, statuit aliquando, ut *unâ* mersione daretur Baptismus, ut constat ex *Concil. Toletano IV. c.5.* Quod idem docet Augustinus *Epist. 118.* & probat ex illô 1.Cor.11. *Cætera cum venero disponam.* Eodem modo se habet in Eucharistiæ Sacramento, quando ad substantiam ejus non aliud requiritur, quàm Christus sub exteriori symbolo panis & vini consecrati præsens. Perinde autem est, unum, an duo symbola sint: nec enim minùs sub uno symbolo totus, quàm sub duobus, sumitur à fidelibus. Accedit, quòd *usus* rei, non sit de *substantia* rei permanentis, cùm sit re ipsa posterior; *Communio* verò est *usus* Sacramenti, quod est *res permanens*, non *actio transiens*, ut constat, multisque asseritur à Theologis.

II. Probatur unius speciei usus, ex *verbis* & *facto* Christi. Primum constat ex *cap.6. Joan.* Ubi Christus agens de fructu Eucharistiæ, non semel, sed iteratò unam speciem ad salutem prodesse asserit: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Rursus: *Panis quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita.* Iterum: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Quantum alij ex hoc capite *utramque speciem* obtendunt, tantum Concilium Trident. manducationem sub *unâ specie* docet prodesse ad salutem. Alterum ex *facto* Christi, est *ex cap 24. Lucæ*, ubi duobus discipulis in Emmaus sub solâ specie panis Eucharistiam porrexit: *Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum.* Hunc verò locum intelligi de pane Eucharistico, docent magni Auctores, Maldonatus *in c.24. Lucæ*, Valentia, Vasquez, Toletus, Salmeron, Henriquez, apud Becanum: Præterea Cornelius à Lapide, alijque interpretes; probantque Hieronymi, Augustini, & aliorum Patrum testimonijs. Utcunque etiam se habeat explicatio hujus loci, saltem Patres illi censuerunt, unam speciem non esse prohibitam jure divino, secùs quàm Lutherani docent.

III. Una

III. Una species asseritur ex *usu* ipsorum Apostolorum *Act. 2.* uti Lucas scribit : *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Alter locus est apud Lucam *Act. 20 : Una autem Sabbathi, cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis.* Utroque loco agi de *pane Eucharistico* etiam adversariorum non pauci admittunt, quos inter ipse *Lutherus, Kemnitius, Calvinus,* & *Beza*; neutro autem loco fit mentio calicis. Quâ super re *Bellarm. lib. 4. c. 24. & 5.* & interpretes, qui multis rationibus ex his *unam speciem* asserunt. Nihil hîc addo de figuris hujus Sacramenti ex veteri Lege, quales *Lignum vitæ, Agnus Paschalis, Manna, Panes propositionis,* & *participatio Sacrificiorum,* de quibus Bellarminus c. 24. Quæ omnes *unam speciem* denotant ex typo. Contra ea, quæ ex Scripturis adduximus,

Objiciunt I. Non modò institutionem Christi in hoc Sacramento intervenire, sed & præceptum divinum, quo omnes Christiani teneantur sub utrâque sumere. Verùm illud præceptum jam à centum annis quærunt adversarij, & nondum Catholicis ex Scripturâ probare potuerunt. Imò dum præceptum urgent, ipsi adversarij inter se non conveniunt. Nam *Hussitæ* quærunt ex capite Joannis 6; at *Lutherani* negant toto illo capite præceptum contineri, (uti Catholici etiam cum Concilio Tridentino negant ex illo præceptum deduci,) quando capite illo, una species non minùs, quàm utraque commendatur ad salutem satis esse.

Lutherani ergo quærunt præceptum in verbis Lucæ c. 22. *Hoc facite*; Sed repugnat *Calvinus,* & dicit: solis ministris Ecclesiæ, non laicis id dictum esse. Urgent interim Lutherani, *Hoc facite,* à Christo dictum & mandatum, nempe quod ego feci. Ipse vero Christus tria fecit, *consecravit, sumpsit,* & *distribuit* omnibus præsentibus; ergo ministri idem debent facere, & distribuere calicem ; Quia addit : *Similiter & Calicem accepit.* Respondet Bellarminus : Mirabilis hîc Dei providentia est, nam S. Lucas illud *Facite* posuit post datum Sacramentum sub specie panis : post calicem verò datum non repetijt : ut intelligeremus, sub specie panis jussisse Christum dari omnibus Sacramentum, non sub specie vini.

Urgent ex Apostolo 1. ad Corinth. 11. ubi Apostolus tam sub specie panis, quàm post speciem vini repetit hæc verba, *Hoc facite.* Respondet denuò Bellarminus, rursum hîc providentiam Spiritus S. elucêre,

quando post consecrationem panis absolutè dicit Paulus, *Hoc facite in meam commemorationem*; post calicem quidem repetitur, sed sub conditione, *Hoc*, inquit, *facite, quotiescumque bibetis.* Ubi modum loquendi per voculam *Quotiescumque*, variat Spiritus S. Igitur dum Apostolus dicit: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*; haud aliud dicit, quàm: Ego non accepi cum præcepto utriusque speciei, ergo nec tradidi vobis. Quemadmodum Paulus etiam disjunctivè dixit: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè*; uti Cornelius à Lapide observavit.

Calvinistæ igitur, & cum his *Lutherani*, præceptum quærunt in verbis Matth. 26. *Bibite ex hoc omnes.* Id ut persuadeant, dicunt, non sine mysterio additum esse, eò quòd in porrectione panis non dixerit Christus, *manducate ex hoc omnes*; tanquam futuri essent, qui calicem aliquando subtraherent. Respondent Catholici: voculam *omnes* ad illos tantùm spectare, de quibus Marcus cap. 14. dixit: *Et biberunt ex illo omnes*, qui soli Apostoli fuerunt. Cur verò Christus non dixerit, *manducate ex hoc omnes*, causa erat: quia Christus panem priùs fregerat, ut Scriptura dicit, & in duodecim particulas fractas diviserat, id in poculo seu calice fieri non poterat, ideò S. Lucas de poculo scripsit: *Accipite, & dividite inter vos*; quod idem est, quod S. Matthæus dixit: *Bibite ex hoc omnes.* Concludamus nunc uno syllogismo rem omnem: Qui ita instituit Eucharistiam sub duplici specie, ut tota ejus ratio sit sub una specie, is Eucharistiam non sub duplici tantùm specie, sed sub una etiam instituit: Atqui, Christus ita instituit Eucharistiam; Ergo etiam sub una specie instituit.

Objiciunt II. *Consecratio* Sacerdoti sub utraque specie præcepta est, ergo etiam *administratio* Sacramenti sub utraque specie facienda est laicis. Quoties responsum à Catholicis, *consequentiam nullam esse?* Utcumque enim se habeat antecedens, alia sanè est ratio Sacrificij, quæ expressam repræsentationem exigit, prout in cruce per cruentum Sacrificium utriusque separatio Sanguinis à corpore facta est, & in eâ oblatio & Sacrificium peractum, quod incruentum Sacrificium repræsentat. Alia est ratio Sacramenti, quod illam expressam repræsentationem in diversis speciebus non poscit, quâ super re lege Suarez *disp. 8. art. 12.* Vasquez *disp. 213.* Bellarminum, & alios; quòd in sumptione laicorum solùm

lum memoria passionis Christi commendetur. Et quid ista in hac brevitate scriptionis contendimus? quæ sexcentis libris & scriptorum disceptationibus hac ætate discussa, ac velut in mortario, pistillis Catholicorum Theologorum contusa sunt. Neque Nisanius quicquam ex suæ Theologiæ promptuario adfert, quantum etiam Theologiæ Licentiatum se ferat, sed totus est in Patrum testimonijs, & historijs, de quibus nunc ordine referamus.

Paragraphus II.

Communio sub una specie, etiam post tempora Apostolorum in usu fuit, tam in Occidentali, quàm Orientali Ecclesia.

PRobant id primò Catholici ex eo, quòd cùm apud alios esset usus unius speciei, Ecclesia hunc usum nunquam aut reprehenderit, aut damnarit; quod tamen necesse erat, si una species esset contra divinam legem. Cæteris in hanc rem omissis, *Manichæi,* qui Romæ frequentes erant, nunquam communicabant, nisi sub specie panis, ut S. Leo testatur *serm. 4. de Quadragesima*; tum quòd vinum *fel Draconum* existimarent, tum quod Christum verè mortuum & pro nobis sanguinem effudisse negarent. Nec tamen *Epiphanius*, *Augustinus*, alijque Patres hanc Communionem illorum sub una specie improbarunt, aut damnarunt, quod tamen facere eos oportebat, qui cæteros eorum errores tam accuratè perstrinxerunt. Neque Leo Papa eos ob id erroris damnavit, solùmque reprehendit, quòd ut laterent sacrilegi, in una specie communicarent cum Romanis & Catholicis. Hinc Gelasius Papa qui post annos triginta successit *Leoni,* ut proderentur *Manichæi*, Legem tulit, ut Catholici etiam *Calicem* sumerent. Igitur ut ante *Leonem,* & sub *Leone,* ita post illum ad *Gelasium,* una species in usu fuit Romæ; & quod consequens est, in dispositione Ecclesiæ fuit, unâ an utrâque specie communio daretur populo. Neque ob id ullum schisma, vel ulla populi & Episcoporum que-

rela fuit. Quâ ſuper re Baronius *ad annum Chriſti 443*, Bellarminus, Suarez, Vaſquez, Becanus, & alij.

Ex his nunc patet reſponſio ad illud quod ex ordine Romano objicit Niſanius: *Recepto calice Dominico, Archidiaconus confirmat omnes ſanguine Domini, quos communicavit Pontifex corpore Dominico* Quanquam iſtic de Clericali potiùs Communione agatur, quæ à laica diſtinguebatur, tametſi poſtea abrogata ſit. Ut vel ex hoc recognoſcas unam ſpeciem fuiſſe in uſu. Utcunque ſit: neque enim *Ordinem* illum *Romanum*, de quo agis, ad manus habeo. At parum intereſt: Eccleſia enim pro diverſis temporibus aliud, atque aliud hac in re ordinare potuit; neque tu tempora iſtius *Ordinis* conſignas.

II. Communio ſub *una ſpecie* etiam in Orientali Eccleſia Conſtantinopoli non minùs, quàm Romæ in uſu fuit, quod evidenter conſtat ex hiſtoria, quam refert *Sozomenus* lib. 88. c. 5. *Nicephorus* lib. 13 c. 7. *Baronius* ad annum Chriſti 400. & alij cumplures. Mulier videlicet Macedoniana hæretica, ut tegeret hæreſin ſuam, acceſſit cum Catholicis ad Euchariſtiam, & è manu S. Chryſoſtomi accepit panem Euchariſtiæ, tanquam panem illum manducatura, quem tamen clàm dedit ancillæ, à qua alium accepit, quem ubi manducare voluit, converſus eſt in lapidem. Jam ſi tum omnes *Calicem* ſumere coacti fuiſſent, fraudem diſſimulare non potuiſſet. Ergo una tum ſpecies in uſu fuit, eaque libera fuit.

Objicit contra illud Niſanius Chryſoſtomum, in Epiſtola ad Innocentium Pontificem, in qua ſcribit, ab Arianis tumultum factum Conſtantinopoli, in eoque milites ſub veſperam magni Sabbathi ſanctuarium ingreſſos, effudiſſe ſacratiſſimum Sanguinem in veſtes adſtantium: Ex quo Baronius etiam ad annum Chriſti 404. deducat, eo tempore etiam Sanguinem Chriſti aſſervari ſolitum. Verùm hoc argumento primò nimium probas Lutheranis, qui extra uſum negant permanentiam Corporis & Sanguinis Chriſti; ideoque non aſſeruant Euchariſtiam, uti hodiedum Catholici faciunt in ægrorum & morientium cumprimis viaticum. Reſpondeo igitur: non negare nos tum utramque ſpeciem in uſu fuiſſe, ita tamen, ut altera etiam in uſu fuerit, imò libera utraque; nec Bellarminus ſibi contradicit, quando aſſervationem Euchariſtiæ ſub una ſpecie *ordinariam*, & *magis communem* vult dicere, cumprimis in Occidentali Eccleſia.

III. Pro-

III. Probatur *usus unius speciei*, ex domestica communione, quæ olim frequens erat tempore persecutionis, & extra eam, cùm Eucharistiam domum deferrent, & pro necessitate, atque usu sumerent fideles, idque sub unâ specie. De qua Communione *Tertullianus lib. 2. ad Uxorem, & lib. de orat.* Præterea *Cyprianus, Clemens Alexandrinus, Hieronymus. Augustinus*, alijque Patres. Planissimè *S. Basilius* Epist. ad Cæsariam: *Illud autem*, inquit, *in persecutionis temporibus, necessitate cogi quempiam non præsente Sacerdote, aut ministro, Communionem propriâ manu sumere, nequaquam esse grave, supervacaneum est demonstrare; propterea quod longâ consuetudine hoc ipso rerum usu confirmatum est: omnes enim in eremis solitariam vitam agentes, ubi non est Sacerdos, Communionem domi servantes, à se ipsis communicant. In Alexandria verò, in Ægypto unusquisque eorum, qui sunt de populo, ut plurimum habent Communionem in domo suâ.* Quid ad hæc Nisani? Credisne omnes hosce contra legem Christi peccasse, qui sub specie *panis* domi Eucharistiam sumebant, quæ in manus ipsis dabatur? quod sub *specie vini* nemo factum docet. Deinde, quomodo hinc non vides *permanentiam* Eucharistiæ extra ejus usum, secùs, quàm vos doceatis?

Idem probatur ex alijs ritibus veteris Ecclesiæ: qualis præterea primus erat *asservatio Eucharistiæ*, pro morientium cumprimis viatico, idque sub *una* plerumque *specie*, ut multis Conciliorum, & Patrum testimonijs ostendit Bellarminus. Hunc ritum convincunt per Orientis & Occidentis Ecclesias, pastophoria & tabernacula, quæ per omnem Saxoniam & Germaniam reperies in omnibus templis, tam antiqua, quàm ipsa religio Christiana est. Et cui verisimile, sub *specie vini* servatam Eucharistiam? maximè in parochijs oppidorum & pagorum: quin in parva quantitate vinum acesceret, aut effunderetur: quando tanta cura etiam adhibenda, ne sub *specie panis* indecorè servetur. Nec uspiam ejusmodi vasa reperiuntur, quibus sub *specie vini* asservata fuerit Eucharistia. Unde morituris passim apud Patres & historicos, uti & in Synodis, & Capitularibus Caroli Magni, sub una specie Corpus Christi datum esse legas. Quin *S. Ambrosius* dum ageret animam, monitus fuit ab Angelo *S. Honoratus* Vercellensis Episcopus, qui illi aderat: *Surge, festina, jam enim moritur. Is ubi descendit, dedit Sancto Corpus Domini; quo accepto, brevi pòst emisit spiritum, bonum viaticum secum deferens.* Ita Paulinus, in

ejus vita. Refert de *Gallo* Episcopo Gregorius Turonensis lib. Vit. Patrum, c.3. Is cùm revelationem accepisset, post triduum è vita evocandum, *convocavit populum, & omnibus confracto pane Communionem sancta & pia voluntate partitus est.* Ab hoc ritu, quia vos Lutherani recessistis, necesse habetis in ædibus ægrorum & morientium consecrare Eucharistiam, lecto capite 11. Epist. 1. ad Corinth. Hinc cùm nuper Minister Lutheranus in Comitatu Waldeccensi hoc ritu feminæ è trabe lapsæ Eucharistiam dare vellet, & ipsa interea exspiraret, Prædicans consecratum panem & vinum ipse sumpsit, ob quod ad gravem mulctam postulatus. Sed quo miser deferret consecratam Eucharistiam? cùm apud vos *tabernacula* non sint; nec fides, doctrináque de permanentia Corporis & Sanguinis Christi. Vidi aliquando, cùm Prædicans Lutheranus duos senes communicaret in ædibus, virum & feminam, ac cùm vir senex omne allatum in ampulla vinum exhauriret, femina illi sub una specie communicanda fuit. Quàm multa & quotidiana occurrunt ejusmodi, ex quo ordinem Ecclesiæ Catholicæ abjecistis?

Alter ritus est communicandi infantes, idque sub una specie moris erat, vel instillando aliquid in os Sanguinis Domini, quod & in morituris factum fuisse leges in Capitularibus Caroli Magni; vel ex relictis consecrati panis particulis. Tertius ritus est Communio laica, quæ in pœnam gravis delicti Clericis dabatur, ablatâ Communione Clericali, quæ sub utraque dari solita. Hujus Communionis crebra mentio in decretis Pontificum, & Concilijs apud Bellarminum lib. 4. de Euchar. c. 24. Quartus ritus Communio Præsanctificatorum, cujus usus erat apud Græcos per totam Quadragesimam, excepto die Dominico & Sabbatho: idem usus in Ecclesia Latina etiamnum obtinet feriâ VI. hebdomadæ sanctæ. Nam eo die non fit consecratio à Sacerdote; & ipse Sacerdos in publicâ actione communicat sub una specie, perinde ut cęteri Sacerdotes feriâ V. hebdomadæ sanctæ. De hac Communione multa extant Concilia, uti & apud S. Gregorium in officio Parasceves, & Ordine Romano. Quis verò dicat, Ecclesiam Græcam, & Latinam in hoc ritu antiquitus tradito errasse? aut contra legem divinam sub unâ specie communicasse? Ut hoc serò tandem à Luthero & Prædicantibus discendum sit.

His omnibus Nisanius opponit testimonia SS. Patrum, Ignatij, Justini, Cypriani, Nazianzeni, aliorumque, uti eos Kemnitius, Calixtus,

Joannes

Joannes Gerhardi, alijque magno numero congesserunt: quorum testimonijs asseritur, fideles Corporis & Sanguinis Christi participes esse factos. Verùm non tantâ hîc mole opus est: Verbo enim respondeo, frustrà hæc agi & conglomerari: non enim negamus, sub utraque specie Eucharistiam datam esse. Deinde, Patres illi maximam partem agunt de Sacrificio, quod in utraque specie confici & sumi debet. Demum sub una specie non minùs est participatio Corporis & Sanguinis Christi, quàm sub utraque. Cùm mortuum Christi Corpus nulli porrigatur, aut porrigi possit. Jam satis ad hæc Patrum testimonia respondit Bellarminus, Suarez, Vasquez, Valentia, Forerus, Erbermannus, alijque innumeri Scriptores. Calixtum, qui longo catalogo producit hosce Patres, inter cæteros refutavit Joannes Mulmannus, libro de calice Eucharistico; nec mihi his vacat immorari, nec operæ pretium est: sufficit enim ostendisse unam quoque speciem non minùs, quàm utramque in usu fuisse, quod nunc ultrà monstrabimus.

Paragraphus III.

Communio unius speciei ex Hierosolymitanæ Ecclesiæ usu deducta, et propagata per Occidentis Ecclesias.

Hierosolymitanam Ecclesiam unam ex antiquissimis esse, nulli controversum esse potest, quòd eam Apostoli primùm instituerint, & in ea formam Christianæ religionis reliquerint; quæ deinde per traditionem Apostolorum ad posteros manarit. Et verò, quantùm ad Sacramentum Eucharistiæ attinet, constat ex ijs, quæ ex actis Apostolorum retulimus, Apostolos sub unâ specie Eucharistiam administrasse. Hunc deinde usum sequentibus sæculis in ea Ecclesia retentum esse, præclarè testatur Humbertus Cardinalis, qui anno Christi 1054. ad Constantinum Monomachum Legatus est missus, & Palæstinam lustravit. Quare referam ea, quæ clarissimus scriptor *Petrus à Marca Archiepiscopus Parisiensis* in notis ad Claræmontanum Concilium, (ut postremâ Conci-

Conciliorum Regiorum editione habentur,) pertractavit. Fatetur is quidem, diversum fuisse modum per Orientem administrandi Eucharistiam, idque apud Græcos, qui sub utraque specie præbuerint. Hierosolymis tamen, quæ Ecclesia antiquissimæ Apostolorum traditioni constanter inhæsit, Eucharistiam sub unâ specie populo datam esse. At Græcorum quidem mos, qui post tempora Damasceni invaluit, hic erat, ut Eucharistiam Sanguine Domini intinctam darent: atque hic *abusus* potiùs, quàm verus *usus* erat, quem ob id Concilium *Claramontanum* Can. XXVIII. damnat. Is ita habet: *Ne quis de altario communicet, nisi Corpus separatim, & Sanguinem similiter sumat, nisi per necessitatem, & cautelam.* De hoc usu *Micrologus*, scriptor ante Gregorij VII. tempora c.26: *Non est authenticum.* inquit, *quod quidam corpus Domini intingunt, & intinctum pro complemento Communionis populo distribuant: nam Ordo Romanus contradicit.* Hunc præterea usum, Concilium *Braccarense* anno Christi 678. congregatum improbat: hunc pravum demum usum Humbertus Cardinalis Græcis objecit. Nunc audiamus, quid ultra *Petrus à Marca* Episcopus scribat de Communione unius speciei. Caterùm, inquit, Eucharistiæ administratio sub solo panis Symbolo laicis hoc sæculo porrecta, magnum incrementum habuit per constitutum à Christianis regnum Hierosolymitanum, ad exemplar antiquissimæ Ecclesiæ illius civitatis, in qua nulla specierum mixtione facta, solo pane sibi exhibito, adventantis ex orbe universo populi pietas rem Sacramenti percipiebat. Quod profitetur antiquus ille Patriarcha Hierosolymitanus, cujus verba sexcentis abhinc annis retulit Humbertus, ad sugillandos Græcorum ritus in hæc verba: *Cochlear autem, cum quo communicant,* de Hierosolymitanis loquens, *sicut in Ecclesia Græcorum minimè habent, quia non ita commiscent sanctam Communionem in calice, sed solâ Communione communicant populum. Itaq; in magnis & parvis Ecclesijs hunc morem sibi traditum à sanctis Apostolis habent omnes Christiani ipsius provinciæ. Græcè autem celebrantes, alij sic, alij aliter à suis acceperunt. Adhæc si quid ex sancta & venerabili Eucharistia, in Hierosolymitanis superfuerit, nec incendunt, nec in foveam mittunt, sed in pixidem mundam recondunt, & sequenti die communicant ex eis populum: quia quotidie communicant ibi, eò quòd conveniant illuc ex diversis provincijs Christiani, qui propter fidem & maximum amorem filij Dei meare ibidem desiderant: quia & lo-*

& locus ipse venerabilior & sanctior est omnibus locis in terra, & ibi est sepulcrum sanctum & honorabile Domini nostri JESU Christi, & sanctus Calvariæ locus. Ita Humbertus Legatus Cardinalis & Episcopus ante sexcentos annos. Quo quid testatiùs, & clariùs adferri poterat? Pergit Archiepiscopus Parisiensis, & suum etiam judicium interponit. Consuetudo, inquit, illa unius Symboli non statim invasit omnes Ecclesias Occidentis, quamvis in quàm plurimis servaretur ob reverentiam Sanguini Domini debitam; sed postquam egregius ille Theologiæ magister Thomas Aquinas eâ de re consultus, earum Ecclesiarum pietatem, & prudentiam in eo usu laudavit, quæ verba ejus sunt 3. p. q. 80. art. 12: *Proindè in quibusdam Ecclesijs observatur, ut populo sumendus Sanguis non detur.* Quare in Concilij *Constantiensis* sess. 13, quæ est habita 15. Junij, anno 1415, assertum est: consuetudinem unius speciei diutissimè observatam fuisse, cujus observatio ut legitimè præscripta, omnibus indicta est, donec venerabili Ecclesiæ aliud statuendum videretur. Sacri calicis restaurationem Concilium *Tridentinum* summi Pontificis providentiæ commisit, si provinciæ alicujus à Communione Ecclesiæ per hæresin abscissæ, unitas hac ratione procurari possit. Habes nunc duorum præstantissimorum Episcoporum judicium & testimonium. Tot nobis auctores citas ubique in tuo libro, ut heluo librorum ex Gerhardino promptuario videri velis, & hoc ipsum de Hierosolymitana Ecclesia, ne attingis quidem, quia non legisti. Atque hoc clarissimum testimonium mihi *Ferdinandus* Episcopus noster monstravit, cùm postremam editionem Conciliorum Regiorum Parisijs acciperet.

Cæterùm D. Thomæ judicium, ad quod se refert Archiepiscopus, hoc insuper est: *Tametsi communio sub utraque sit perfectior, si tamen ex parte sumentium consideretur, ea sub una specie magis conveniens est, ob summam religionem & reverentiam, quam exigit.* Vide nunc Nifani, quàm fraudulenter agas cum D. Thoma. Adducis ejus rationes, quibus probat utramque speciem in se consideratam perfectiorem quidem esse, & hanc ipsam conclusionem omittis. *Alexander Alensis* celebris Theologiæ Doctor, & D. Bonaventuræ magister, p. 4. q. 53. ita scribit: *Licet sumere Corpus Christi sub una specie panis tantùm, sicut ferè ubique fit à laicis in Ecclesia, ac licet sub utraque specie sit majoris efficaciæ & complementi, Ecclesia tamen utitur alio modo propter causas pertractatas.* Et quanto

tempore ante Concilium Constantiense, anno videlicet 1200? Ut vel inde videas antiquum in Ecclesia usum unius speciei introductum invaluisse. Antiquior Alense *Rudolphus* Abbas ad S. Trudonem, cujus circa annum M C XIIX. hi sunt versus ab Archiepiscopo Parisiensi relati:

Hic & ibi cautela fiat, ne Presbyter agris
Aut sanis tribuat laicis de sanguine Christi:
Nam fundi posset leviter, simplexque putaret,
Quòd non sub specie sit totus Christus utraque.

Omitto D. Bonaventuram, Gabrielem Biel, Gersonem, aliosque scriptores, qui antiquissimum hunc usum unius speciei per Germaniam & Occidentalem Ecclesiam testantur, ad quem se Concilium *Constantiense* inter cæteras causas retulit. Ita enim sess. 13: *Unde cùm hujusmodi consuetudo ab Ecclesia & SS. Patribus rationabiliter introducta, & diutissimè observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare.* Pari modo Concilium Basiliense sess. 30. statuit, multisque se refert ad laudabilem consuetudinem ab Ecclesia introductam, & à Patribus commendatam. Demum Concilium Tridentinum sess. 21. c. 2: *Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis & rationabilibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodò specie communicaret, aut in eo errasse; anathema sit.*

Paragraphus IV.

Utrumne utraque species Eucharistiæ plus gratiæ conferat, quàm una?

MAgnum nobis *κλεψοποτηρίας* furtique crimen intendunt Novatores, ex subtracto laicis calice; nec violati tantùm præcepti divini, sed spolij reos faciunt Catholicos, quòd cùm major gratia, & utilitas ex utraque specie sumatur, quàm ex una, illo tamen fructu spoliemus communicantes. Sed quàm inanis hæc querela sit, & quàm falsa accusatio, paucis hîc exponam.

I. Qua

I. Qua in re primò statuendum, nullam gratiam ad salutem necessariam subtrahi illis, qui sub unâ specie communicant, quod Bellarminus lib.4. de Euchar. cap.20, ex instituto pertractat, ac planè docet: *Ex qualibet specie percipitur tantum ejus fructus, quem Catholici in Sacramento quærunt, quantum necessarium est ad salutem.* Hæc enim propositio illius certa est, ex Concilio Tridentino, sess. 21. cap. 3: *Fatendum enim*, inquit, *sub altera tantùm specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi; & propterea, quod ad fructum attinet, nullâ gratiâ ad salutem necessaria defraudari, qui unam speciem solùm accipiunt.* Hinc & Can. 3. directè damnat hæreticorum sententiam, utramque speciem ex necessitate urgentium: *Si quis*, inquit, *negaverit totum, atque integrum Christum omnium gratiarum fontem & auctorem, sub una specie panis sumi; anathema sit.* Et verò, quomodo gratia aliqua ad salutem necessaria deesse poterit, ubi omnium gratiarum fons, & auctor dignè percipitur? Deinde fructus, quem Catholici in Sacramento quærunt, est gratia Dei animæ infusa; at quælibet species confert gratiam, cùm sit verum Sacramentum, uti & quilibet gradus gratiæ sufficit ad explenda mandata, quemadmodum hîc exponit Bellarminus, alijque Theologi. Quod vel satis illud Christi Joan. 6. docet: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Hæc indubitata Catholicis: præterquàm quòd sive sub una, sive utraque specie sumas, una refectio fit, quâ non modò necessaria, sed & par gratia conferri potest.

II. Verùm, utrumne utraque species sumpta per se majorem gratiam conferat, quàm singulæ seorsim, quia id tam apertè non videtur definiri à Tridentino, controvertitur inter Theologos, negant plerique veteres Theologi, quod & sensit D. Thomas 3. p. q. 80. art. 12: *Potest à populo sumi Corpus sine Sanguine, nec exinde sequitur detrimentum.* Idem sensêre D. Bonaventura, Richardus, Gabriel, alijque præter Alensem suprà à nobis relatum. His accedunt recentiores Theologi, Sotus, Cajetanus, Roffensis, Canisius, Alanus, Ledesma, Valentia, Koning, Tannerus, Becanus, Comptonus, cumprimisque Bellarminus, cujus hæc altera assertio est: *Nihil spiritualis fructus capitur ex duabus speciebus, quod non capiatur ex una.* Quam deinde multis confirmat argumentis. Multis etiam propugnat Suarez disp. 63. c. 6. compluresque ex antiquis producit Theologos, ex quibus nonnulli id tam certum volunt, ut dubitari no-

lint. Atque hæc ſententia, quæ graviſſimorum Theologorum eſt, & ſimul ſanctorum Virorum, cùm tantùm gratiæ ex una ſpecie doceat percipi, quantùm ex utraque, nullum prorſus locum relinquit querelæ ex ſubtracto calice.

III. Interim quia Suarez fatetur totam hanc controverſiam verſari inter limites ſcholaſticæ opinionis, & in utramque partem diſputari poſſe; hinc contrà alij affirmant, ex utraque ſpecie plus gratiæ conferri. In quam ſententiam, poſt Alenſem, abierunt Vaſquez, Kelifonus, Præpoſitus, Caſpar Hurtado, Gammachæus, Lugo, Franciſcus Vekenus, qui & ſuam ſententiam rationibus probabilem exponunt; neque tamen ex hac ſententia ullum Lutheranis patrocinium eſſe poteſt, pro utraque ſpecie adverſus Catholicos.

Nam ſi his Auctoribus objicias, hinc ſequi, magnam injuriam inferri laicis, quibus Eccleſia unam tantùm ſpeciem concedit: Reſpondent, id minimè ſequi, eò quòd Eccleſia, cui Chriſtus ſuorum Sacramentorum diſpenſationem commiſit, poſſit ſubjectos ſibi homines aliquo inſtrumento gratiæ non neceſſariæ, & minùs principalis privare, quando rationabiles cauſæ, ac major Sacramenti reverentia id requirunt. Nec enim Eccleſia ſolùm utilitati ſumentium, ſed etiam venerationi Sacramentorum conſulere debet: ex quo debito multa conſtituit, ex quibus fideles aliquo fructu gratiæ carent; videlicet ne uno die ſæpius communicent laici, ne ſæpius uno die celebrent Sacerdotes, ne Euchariſtia parvulis ante juſtam ætatem detur. Addunt hi Auctores, quod per ſubtractum Calicem de plenitudine nutrimenti decedit, id frequentatione Sacramenti, communione ſpirituali, alijſque pijs, ac bonis operibus, abundè & facilè compenſari poſſe. Quid cenſes Niſani, an ideò Græci, quia intrito in calicem conſecrato pane communicant ſub utraque, ſanctiores quàm Latini per Occidentalem Eccleſiam? aut Lutherani, quàm Catholici? Id ſi verum, non dixiſſet Lutherus, poſt ſuum Evangelium obſideri mundum à ſeptem diabolis. Imò quid dicimus, Lutheranine ſanctiores quàm Calviniſtæ, quòd hi figuram, illi verò corpus & ſanguinem ſe ſumere credant? Negabunt Calviniſtæ, & ſi Catholicos conſulas, dicent utroſque umbrâ paſci; haud ſecùs, quàm Auguſtinus dixit: *Hæreticos Sacramenta in ſpeciem habere, non ad fructum aut ſalutem.*

IV. Utinam Lutherani, quàm hîc vanè ſunt anxij, tam verè & ſollicitè

licitè agerent causam Sacrificij Missæ:id quia cruentum Christi in cruce Sacrificium repræsentat,sub utraque specie toto orbe Christiano ad Lutheri tempora, est peractum,& tamen sine ullo prorsus scrupulo à Luthero primùm abrogari, & cum eo præstantissimum religionis cultum soli Deo debitum, tantumque fructum vivorum, & mortuorum è suis Ecclesijs proscribi sunt passi. Aut certè secum expenderent,in quo Doctores ipsorum fructum hujus Sacramenti reponant; nimirum ut per Sacramentum excitetur fides,quæ sola apud illos justificat,& in qua omnem fructum Sacramentorum collocant. Hæc autem fides, aut ex aspectu Sacramenti,aut ex auditu verborum excitatur. utrum dixerint,id tam per unam speciem,quàm utramque fieri potest,etiam ante sumptionem, aut sine omni sumptione. Imò satis erit ad hunc fructum participandum,si Minister clarâ voce recitet verba institutionis ex Evangelio, & laici Ministrum recitantem,aut cap.11.Epist.1.ad Corinth. quâ consecrant, prælegentem audiant,uti pluribus ingerit Bellarminus citato libro & cap. Becanus lib.1.Man.c.9.Concl.7. alijque Theologi. Ecce in quæ absurda vos deducitis, qui Ecclesiam docere vultis!

Jam verò, si decisionem hujus controversiæ quærere libeat, reperietur in communi principio, quòd Ecclesia in ijs, quæ ad fidem & salutem omnium spectant, nec errare, nec defraudare possit. Quemadmodum Apostolus id tradit, 1 ad Corinth. c.4. *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & Dispensatores mysteriorum Dei, hîc jam quæritur inter Dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* At verò quanta hîc Catholicis querendi causa adversus Lutheranos, & cæteros Novatores, à quibus omnis potestas Ordinis & Jurisdictionis sacræ sublata est? & quibus non fraudibus quotidie obnoxij, & sacrilegi tenentur Ministri falsarum religionum, qui egena & vacua tantùm elementa pro veris Sacramentis populo dispensant? Sed hac super re actum lib.2. Verbo Christi ad Pharisæos absolvam, Matth.23: *Decimatis mentham, & anethum, & cyminum* in minuta videlicet intenti cum Pharisæis, *& quæ graviora sunt legis relinquitis.*

Paragraphus V.

Quis usus Eucharistiæ, à Carolo M. servatus, atq; ejus tempore per Germaniam, et Franciæ regnum?

NIhil hîc magis contendit Nisanius, quàm ut usum utriusque speciei nobis ex Carolo persuadeat: quam in rem nonnulla adducit ex Capitularium libris, & Synodis Carolinis, quæ quàm inania sint, postea explorabimus. sed nunc potiùs unius speciei usum ex illo etiam sæculo adstruamus.

Primum argumentum. Carolus M. in omnibus se ad *Ordinem Romanum* conformavit, ut toties jam demonstratum in Sacrificio Missæ, Baptismo, atque alijs Ecclesiæ legibus ac ritibus: Atqui *Ordo Romanus* supra octingentos annos ab *Alcuino* Caroli M. præceptore citatus, apertissimè usum unius speciei indicat, nam in capite de Ordine Missæ, significat in parvo Calice sanguinem Domini consecrari solitum, ex quo deinde pro Communione populi in magnum calicem vino & aquâ plenum, modicum Sanguinis infundi consuevit: is verò calix magnus, etsi *calix* etiam *Sanguinis* diceretur, non tamen illo modico Sanguinis contactu consecratus Sanguinis calix erat; nec vinum illud in Sanguinem commutari potuit. Hunc deinde morem cæteras Ecclesias servasse affirmat Bellarminus, idque ex Epistola Gregorij II. Pontificis ad Bonifacium confirmat, quæ Can. V. sic habet: *In Missarum solemnijs illud observandum est. quod Dominus noster Jesus Christus sanctis suis tribuit discipulis. Accepit namque calicem dicens: Hic est calix novi Testamenti in meo Sanguine. hoc facite. quotiescunque sumetis. Unde congruum non est duos, vel tres calices in altario ponere, cùm Missarum solemnia celebrantur.* Id tamen maximè necessarium erat, si pro populo calix consecrandus, & distribuendus fuisset, cumprimis in numerosis parochijs, ubi aliquot millia hominum festis solemnioribus communicant. Idcirco nullibi etiam per Germaniam tam capaces reperiuntur calices, cùm tamen plurimi calices Sacrificiorum inter monumenta sacrorum à Caroli Magni ævo supersint,

[illegible] qualis *D. Willibrordi* Embricæ, *D. Ludgeri Helmstadij* fuit, alij[illegible] Episcoporum veterum calices monstrantur. Hinc de calice Sacri[illegible]j Gregorium Pontificem loqui certum est, quando extra Sacrifici[illegible] apud Catholicos consecratio non fit. Atque hoc *Gvilhelmus Du[illegible]dus* Episcopus Mimatensis lib. 4. Rational. Div. Off. c.42, quem contra nos adducit Nisanius, pro nostra magis sententia scripsit: *In qui[illegible]dam,* inquit, *locis post sumptionem Corporis & Sanguinis Christi, aliquid [illegible] ipso Sanguine reservatur in ipso calice, & superinfunditur vinum pu[illegible] ipsi communicantes inde sumant, non enim esset decens tantum con[illegible]e Sanguinem, nec calix capax inveniretur.* Nonne hìc usum unius [illegible] satis vides? si modò videas. Ut quid indecens dicit Durandus, [illegible]nficere tantùm Sanguinis, qui populo sufficiat, si sub utraque specie [illegible]mmunicavit populus? quales certè calices negat etiam Durandus sæ[illegible]culo suo, videlicet XIII, reperiri. Et verò duplex genus calicum olim [illegible]sse, agnoscas ex Vitis Pontificum apud Damasum & Bibliothecarium, cumprimisque in vita Sylvestri, quemadmodum id Onuphrius tradit lib. de interp. voc. Eccles. Quorum alterum fuit calicum majorum seu *sacrificalium*, alterum minorum, seu *ministerialium*; sic dicti, quòd pro Clero & populo communicante subservirent. Seu jam Clerus, vigente Clericali communione, seu Clerus & populus simul (ut Onuphrius scribit, & subinde in Romana Ecclesia mos fuit,) ex calice per cannam biberint; seu per modicum vini consecrati infusum, contactumque, ut dicit Bellarminus, participarint; seu etiam vinum non consecratum ad ablutionem, ut modò mos obtinet, præbitum fuerit. Certè Pontifex, hoc postremum *ministerialium* calicum genus, dicit non esse ponendum in altari, quod tamen fieri necesse erat, si cum *sacrificali* calice, hic etiam *ministerialis* consecrandus fuisset. Et cur obsecro hic calix *ministerialis* dictus est minor? qui pro populo major esse debuit, ob populi magnitudinem ex eo communicantis? Id potiùs quæramus à Lutheranis, & Nisanio, qui se Episcopum fert, ubi apud illos calix major & *sacrificalis?* qui jam dudum cum ipso sacrificio Missæ sublatus est ex eorum Ecclesijs. Contrà, quæ unquam Christianorum Ecclesia ante Lutherum, sine sacrificio, & calice sacrificali? Et si Occidentalis Ecclesiæ testimonium satis non sit, consule Orientalem Ecclesiam, & in ea omnes Christianos tam Catholicos, quàm schismaticos; tam Græcos unitos, quàm

non

non unitos : omnes hi tibi ab ævo Apoſtolorum in hodiernum diem ex calice *ſacrificali* Sacrificium Chriſtianæ religionis apud ſe monſtrabunt.

Opponit hîc nobis Niſanius Lindanum lib. 4. Panopl. Evang. ſub finem, qui eundem Canonem ſuprà relatum à Gregorio II. Pontifice ad Bonifacium, refert jam ante à Gregorio M. ad Auguſtinum Anglorum Apoſtolum & Epiſcopum perſcriptum; atque inde conficere, populo utramque ſpeciem dandam: cujus tamen contrarium ex hoc Canone conficit Bellarminus & alij, ut res ipſa loquitur. Sed urget *Lindanus*, poſteà Ruræmundenſis Epiſcopus, repertos eſſe in Friſia ab ævo D. Bonifacij calices diverſæ formæ, pro populo communicando, ex quibus per cannam ferruminatam Chriſti Sanguinem ſuxerit populus: verùm hi ipſi calices, ut veriùs reputes, non alij, quàm in quos de calice Sacrificij modicum Sanguinis infuſum fuit, ſecundùm Romanum, ut diximus, Ordinem. Ejuſmodi & ego antiquos calices, ſeu pocula rotundata vidi in antiquiſſimis Weſtphaliæ parochijs, vidique adoleſcens ex eis populum per cannas bibere poſt Communionem Panis ad cornu altaris acceptam, idque poculum præberi in medio choro ab ædili. Imò Ancumij, in vetuſtiſſima Oſnabrugenſis diœceſis parochia, reperi in tabulario Eccleſiæ antiquam in pergameno ſcripturam ac decretum, quo Archidiaconus Sneidlagen ablutionem, quam hactenus in aqua ſumpſerant poſt Communionem, juſſit commutari in vini ablutionem. tantùm abeſt, ut ſub utraque communicarint. Et quæ apud vos Lutheranos in cœna veſtra hîc religio? qui unum tantummodò Calicem recitatâ parte Epiſtolæ 1. ad Corinth. 11. conſecratis, eoque à communicantium turba in magnis parochijs ſemel exhauſto, ſuperinfunditis ex cantharis circùm altare poſitis, iterùm, tertiùm, quartùmque, prout multitudo populi exigit, nullâ conſecratione repetitâ, ut toties conſpexi: præterquàm, quòd nec Sacerdotes ſitis, nec Epiſtola illa Pauli, quâ conſecratis, tum nondum ſcripta fuerit, cùm Chriſtus Cœnam inſtitueret.

Alterum argumentum ſe offert ex Epiſtola Zachariæ Pontificis ad Francos & Gallos, quâ reprehendit Sacerdotes, qui caſtra ſequebantur, & cum militibus contra paganos pugnabant: *Qualis enim*, inquit, *victoria dari poteſt, ubi Sacerdotes una horâ Dominica pertractant myſteria, & Chriſtianis corpus Dominicum porrigunt, & poſtea paganos necant?* Ubi

unam

unam speciem referri vides. Quòd si in altera etiam Sanguinem accepissent, pronum erat Pontifici exaggerare factum, ab humano sanguine per Sacerdotes effuso, qui sanguine Christi populos reficerent. Hanc Pontificis legem Carolus Magnus lib.5. Capitularium recepit, relictis in castris uno alteroque Episcopo cum Sacerdotibus, qui Missas celebrarent, & militibus Sacramenta administrarent, & morituris viaticum corporis Christi præberent. Et quis sibi persuaserit, Sacerdotes illos castrenses sub specie vini circumtulisse alteram speciem, tot periculis corruptionis & effusionis obnoxiam? Quapropter & Widekindus Magnus sub specie panis vidit Christum in forma pueri in ora militum ingredientis, uti hoc Crantzius, & alij referunt. Clarior hic usus unius speciei ex Concilio Aquisgranensi II, sub Ludovico Pio cap.3. can.23. qui sic habet: *Sanè communicatio Corporis Domini omni die Dominicâ debuit celebrari.* Nulla hîc calicis mentio. Et quid verisimiliùs, quàm hunc usum sub Ludovico Pio traductum ex usu ævi Carolini. Ita leges tom. XXI. Concil. Parisiens.

Tertium argumentum deducitur ex Gregorij III. Pontificis decreto, quod à Carolo Magno inter judicia ejus Can.31. receptum tom XVII. Concil. Parisiens. *Si quis continuò creditur moriturus, infundatur ori ejus Eucharistia.* Quod jam ante in Concilio Carthag. IV. statutum erat. Illa verò communio non fiebat sub specie vini, sed panis madefacti in vino, aut alio liquore, ut infirmus Eucharistiam deglutire posset, (ut rectiùs scribit Bellarminus) eò quòd Eucharistia non sub specie vini, sed panis asservaretur pro ægris & morituris. Quò illud spectat lib.1. Capitularium c.161. *Presbyter semper Eucharistiam habeat paratam, ut quando infirmaverit, aut parvulus infirmus fuerit, statim eum communicet, ne sine Communione moriatur.* Eodem referas illud lib.7. Capitularium c.372: *Placuit ut omnes, qui sacram acceperint Eucharistiam, & non sumpserint, ut sacrilegi repellantur.* Quod de specie panis intelligendum, non vini: nam quomodo quis vinum sumat, & non consumat? Quare planiùs tom. XX. Conciliorum in decretis: *Cuncti Sacerdotes omnibus infirmis ante exitum vitæ, Viaticum & Communionem Corporis misericorditer tribuant.* Accedit huc proinde argumentum, quod suprà attulimus de asservatione Eucharistiæ, quæ etsi in Ecclesia Græca subinde sub specie vini facta fuerit, in Occidentali tamen Ecclesia nullum ejus vestigium, nisi sub spe-

cie panis. Et cui verisimile videri potest, communem legem ferri potuisse, ut Eucharistia per pagos & oppida remotiora sub specie vini conservaretur, in quibus ægrè vinum per æstatem pro Sacrificio servari potest, quin acescat? Quare Ecclesia Latina multò ordinatiùs quàm Græca, venerationi hujus Sacramenti prospexit. Lego præterea in Capitularium Caroli libris multas leges, quibus ampullæ Chrismatis, & olei sacri diligenter asservari, & recludi jubentur. Lego & tom. VIII. Concil. Parisiensium recentioris editionis Hincmari Canones, interque eos Can. VII, quo jubentur Sacerdotes *habere pixidem, in qua congruè possit recondi sacra oblatio, reservanda ad viaticum infirmi.* De nullo verò vase, aut poculo lego, in quo sub specie vini in Occidentali Ecclesia asservata sit Eucharistia.

Quartum argumentum sumas ex ipso ritu administrandi Eucharistiam. Nam in porrectione corporis Christi Sacerdos dicere solitus: *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam.* Ita expressè fieri consuevisse legis in Epistola Caroli Magni ad Albinum de Neophytis baptizatis, & communicatis, uti & in libris Capitularium, qui mos hodiedum inde obtinet. At in porrectione Calicis nullam hujusmodi formam verborum legas, quod argumento est, Calicem populo non fuisse præbitum: quando & Sacerdos, dum in Sacrificio Corpus & Sanguinem sumit, ad utramque speciem suam sumendi formam præscriptam habet in liturgia. Demum quoties in libris Capitularium, & Synodis Carolinis legis severis pœnis in eos Sacerdotes statutum, qui celebrant, & non sumunt tam corpus Christi, quàm sanguinem ex calice; nullam verò legem Carolinam reperies, quâ jubeantur laici sub utraque specie sumere Eucharistiam: quod argumento est, Eucharistiam à Sacrificio distingui, quòd illud utramque speciem requirat, non verò Eucharistiæ Sacramentum. Lego quidem apud Lindebrochium in formulis Exorcismorum, aquæ calidæ, aut frigidæ, aut ferri candentis, ad quas probationes antequam admitterentur homines, moris fuisse priùs communicare, in eáque Communione porrectâ dixisse Sacerdotem: *Corpus hoc, & Sanguis Domini nostri Jesu Christi fiat tibi ad probationem hodie.* Verùm hæc ad unam speciem referenda sunt, ut suprà explicui: Neque hîc alio verbo utuntur formulæ, quàm *Communionis,* quâ una passim species notatur, nec mentio Calicis fit.

Adver-

Adversus hæc Nifanius objicit ex libro Synodico: *Sanguis Christi, qui à fidelibus in Sacramento sumitur, pro nobis effusus est.* Rursum lib.4: *Corporis & sanguinis Domini mysterium quotidie in Sacramento à fidelibus sumitur.* Ex Concilio Cabilonensi c.46: *In perceptione corporis & sanguinis Domini magna discretio adhibenda est.* Quod idem leges lib.2. Capitularium tit.40. addit. *Cavendum est, ne in longum differatur, dicente Domino: Nisi manducaveritis Carnem filij hominis, & biberitis Sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis.* Idem confirmat ex Ansegisi lib.2. tit. 38. de Communione ter in anno facienda, cujus inscriptio est: *De Communione corporis & sanguinis Domini: Si non frequentiùs, vel ter laici homines in anno communicent.* Magistrale profectò argumentum! Quasi verò in unâ specie Christus non sit totus, in eâque non fiat participatio corporis & sanguinis Domini. Tyrones & pueri hanc solutionem tibi dare poterant: præterquàm quòd Ansegisi librum ubiq; perperàm cites, ut Capitularia Caroli nunquam inspexisse, aut vidisse appareas. Si historicus esses, primùm te adferre oportebat, quod Theganes Chorepiscopus Trevirensis de Carolo Magno scribit: *Septimo die, postquam laborare cœpit, jussit familiarissimum suum Pontificem Hildebaldum venire ad se, ut ei Sacramenta Dominici corporis & sanguinis tribueret.* At verò Eginardus ita de Carolo: *Septimo postquam decubuit die, sacrâ Communione perceptâ decessit.* Auctor vitæ Caroli *Viatico* refectum scribit: *Communio* verò, & *Viaticum*, unam speciem designant ex usu illius ævi.

Respondeo igitur: in Caroli Capitularibus, in Synodis, & omnibus Carolinis monumentis, modò dicitur *Sacramentum corporis Christi*, modò *corpus Dominicum*, modò *Eucharistia*, modò *Communio*, modo *Viaticum*, cùm de ægris agitur: Qui modi loquendi satis unam speciem indicant. Ac tametsi subinde etiam *Sacramenta corporis & sanguinis Christi, & Communio corporis & sanguinis Christi* dicatur, ij tamen postremi modi satis de unâ specie intelligi possunt: tum quòd Corpus nunquam sine Sanguine detur; tum quòd hæc duo simul exprimantur, non tam ad sumptionis modum significandum, quàm ad venerationem Sacramenti populo altiùs imprimendam: quando tam reus fit corporis & sanguinis Domini, qui sub unâ, quàm qui sub utraque specie indignus accedit. Quanquam ex omnibus hisce Eucharistiæ loquendi modis, nullus frequentior, & usitatior sit, quàm *Communionis* nomen, uti lib.5. Capitul.

c.180: *Placuit, ut omnes per dies Dominicos, & præclaras festivitates, sacram Eucharistiam communicent.* Quo loquendi modo una species notatur, sicut Humbertus suprà scripsit: *Hierosolymitanos solâ Communione communicare populum*; & Eginardus Carolum Magnum *Communionem* percepisse refert. Similiter de Ludovico Pio Imp. auctor ejus vitæ: *Cibus ejus erat solummodò per dies quadraginta Dominicum corpus.* Deinde postquam mortem sibi imminere sensit: *Jussit ministerium altaris præparari, & per officium Drogonis Episcopi Metensis, Missarum solemnia celebrari, nec non per manus ejus juxta morem Communionem sacram sibi dari; & post hæc cujusdam potiunculæ calidulæ haustum præberi.* Ita nomen Communionis à posteris usu receptum, hodiedum obtinet per Germaniam: ut dum Germani dicunt, *præparare sese ad Communionem, ire ad Communionem, percipere Communionem*, unam tantummodò speciem hac voce designent. Nullibi verò apud Carolum unius, vel utriusque speciei nomen: quando ut tum passim usus erat unius speciei, ita ex supposito usu locuti sunt. Quamvis ista ut modò desideramus, non tam explicatè consignarint scriptores: Ut proniùs quis existimet, Caroli Magni & Ludovici Pij ævo promiscuè Eucharistiam sub una, & utraque specie præbitam, donec sensim una species recepto passim usu obtineret: Uti id præter D. Thomam aliosque Theologos, Concilium etiam Constantiense asserit. Neque interim Caroli Magni ævo, ac deinceps controversia ob id in Ecclesia, minùs schisma; quod Bohæmorum primùm hæresis à Lutheranis excepta fecit. Certè Caroli Magni ætate ægris, & morituris Eucharistia sub una specie data, quem morem etiamnum à Græcis observari intelligo.

Objicit II Nisanius ex Concilio Turonensi III. cap.19: *Presbyteri omnino admonendi sunt, ne cùm sacra Missarum peregerint, atque communicaverint, pueris aut alijs quibuslibet personis adstantibus corpus Domini indiscretè non tribuant.* Quid hìc infers, nisi ut te ipsum oppugnes? Dum enim Concilium dicit, *pueris & adstantibus corpus Domini datum esse*; quid aliud, quàm unam speciem asseris ex Concilio? Sed ubi Missarum solemnia apud vos Lutheranos? quæ toties legitis in Carolinis libris & legibus, ex Christianorum Sacrificio.

Quintum argumentum est ex usu unius speciei apud alias nationes Christianas. In Hispania, ubi antiquissima Catholica est religio, quæque

in

in omnibus secuta est Ordinem Romanum, nonnisi ad breve tempus usus Calicis fuit, inquit Henriquez lib.7. c.44. Idem Vasquez, asserit, additque; in Hispania non reperiri tam capaces Calices, ex quibus populo Eucharistia sub specie vini præbita sit. In Anglia, ex qua Apostolici viri sunt emissi, qui Frisiam, & hasce regiones ad Christi fidem convertêre, idem ritus sub una specie viguisse traditur, maximè cùm gentem Anglorum *D. Augustinus* cum alijs Apostolicis viris à *Gregorio M.* missis, in unâ Christi fide, ad Romanæ Ecclesiæ formam traduxerit. Quod prætereà ex Beda commonstrant, qui lib.2. hist. c.5. de Regis cujusdam defuncti paganis filijs scribit: *Cùm viderent Pontificem, celebratis Missarum solemnijs, Eucharistiam populo dare, dicebant: Quare non & nobis porrigis panem nitidum, quem & Patri nostro dabas, & populo adhuc in Ecclesia dare non desinis?* Ut vel inde probabile censeat Alanus, lib.1. de Euchar. c.46, etiam ante tempora Bedæ Eucharistiam sub una specie datam. Quæ verò Nifanius ad hæc eludenda adfert, prorsus frivola sunt.

In Polonia quoque non aliter, quàm sub una specie datam esse Eucharistiam scribit Cardinalis Hosius in Dialogo; idque ex monumentis istarum Ecclesiarum satis colligi posse, usumque hunc cum exordio Christianæ religionis in Poloniam introductum esse. Ad hunc modum D. Otto Bambergensis Episcopus, & Pomeraniæ Apostolus, dum septem Sacramenta recenset à se docta, *Quartum*, inquit, *Sacramentum est Eucharistia, id est corpus & sanguis Domini:* ut verò sub una specie datum intelligas, addit: *Hic est cibus animæ, oportet eum vos ad celebrandas Missas frequenter convenire, ut sæpius huic Viatico communicetis; aut saltem ter, aut quater in anno Communicare.* Ubique enim Communionis nomen, quo una species notatur. Ita per cæteras Septentrionales provincias & regna obtinuit, in quibus tanta sæpe inopia vini fuit, ut ne pro Sacrificio quidem commodè haberi potuerit, quemadmodum id de Norwegis scribit Volaterranus. Et verò, si vestrum Lutheranum Evangelium penetraret in extrema Indiarum regna, cum Catholicâ religione, ubi eadem est vini inopia, Sacramentum hoc populo administrari non posset: & cùm utramque speciem ad salutem necessariam esse contendatis, frustrà à vobis labor conversionis sumeretur.

Hæc de usu Communionis, quæ Caroli Magni ætate, discussis diligenter omnibus monumentis, reperire potui. Sed demus etiam tibi, tem-

pore Caroli Magni communionem utriuſque ſpeciei in uſu fuiſſe, ac Carolum etiam ſub utraque communicaſſe; num inde Carolum Lutheranum convincis? haud magis, quàm Reges Franciæ, quos agnoſcis in die inaugurationis, & in exitu vitæ communicari ſub utraque ſpecie. Et quis Catholicorum hoc negat, ſub utraque fuiſſe in uſu? Neque ſi modò Eccleſia permitteret, ut Huſſitis aliquando, & quibuſdam Germaniæ Principibus permiſit, propterea Lutherani erunt: Et ſi modò etiam Sacerdos Catholicus laicum communicaret ſub utraque ſpecie, id quidem *illicitè* faciet, ſed non *invalidè:* Verum enim Sanguinem accipiet; neque id contra ſubſtantiam hujus Sacramenti erit, ſed modum ab Eccleſia ordinatum. Ut vel hinc intelligas, rem de qua agimus in *modo* conſiſtere. Quàm facilè in hoc conveniret, ſi modò in cæteris Catholicam Eccleſiam audire placeret, idque vobis perſuaderi poſſet.

Miror equidem, tam multa diſputari, & controverti nobis de Communione *ſub utraque,* id verò quod præcipuum eſt, quodque primùm in hac cauſa eſſe debet, hîc à vobis ſeponi, & apud populum ſupprimi. Quæſtio enim hîc prima eſt; an Lutherani miniſtri ſint veri Sacerdotes? negant id Catholici: ubi enim ſucceſſio apud vos? ubi Epiſcopi? ubi poteſtas Ordinis? Et ſi veri Sacerdotes non ſitis, quid in Cœna veſtra populo datis, præter *nuda ſymbola,* ſine corpore & ſanguine Chriſti? Idem nimirum, quod Calviniſtæ; nec plus, quàm cæteri extra Eccleſiam falſarum religionum miniſtri. Hæc illa impoſtura veſtra eſt, de qua prima populi, & juſta querela eſſe deberet. *Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes!* Matth. 23. v. 24. Phariſaico prorſus ingenio, & dolo, qui cùm ex minutis religioſi videri vellent, decimando mentham & anethum, graviora legis intermittebant.

Paragraphus VI.

Juſtæ, et rationabiles cauſæ, ob quas uſus unius ſpeciei ab Eccleſia receptus, et approbatus.

POſtremùm invehitur Niſanius in cauſas ab Eccleſia Catholica aſſertas, eaſque frivolas eſſe ſcribit. idcirco ποτηριοκλεψίας, & furti ex ſubtra-

subtracto calice nos accusat; *Constantiense* Concilium, quod eas recepit, *Obstantiense* vocat. Sera ac vana hæc communis Lutheranorum querela est, nullo (ut jam ostendimus) fundamento subnixa: quando nec contra institutionem Christi, nec contra divinum aliquod præceptum una species est. Quòd verò Lutherani ex septem Sacramentis quinque detraxerint, duobus tantùm relictis, Baptismo & Cœna; quòd ab illis sublata potestas Ordinis, ut jam in Cœna sua nihil præter nudum panem, & merum vinum dent populo; hîc justæ querelæ locus, hìc imposturæ & sacrilegij crimen Prædicantibus intenditur. Sed his missis, causas reddamus: tametsi rectè Valentia scripserit: satis esse nobis Ecclesiæ auctoritatem pro omni causa, cujus est hæc judicare; reliquis parêre relictum est.

I. *Causa* redditur à Catholicis, uniformitas & concordia populi Christiani, 1. Cor. 10: *Quoniam unus panis, unum Corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus.* Et ratio clara est: Nam cùm per Occidentem passim una species invaluisset, & alibi, maximè inter Græcos, utraque species in usu esset, pro privata cujusque Pastoris auctoritate, Ecclesia ad unam formam sapienter deduci voluit; cùm etiamsi in unâ specie detur Communio, usus idem esse posset in toto Orbe terrarum, ut sanè modò datur per Ecclesiam Catholicam. Jam si libera esset Communio, vel sub utraque imperaretur, abstemijs qui vinum non bibunt, aut qui comparare sibi non possent, ut in multis Septentrionis partibus & Indiarum regnis usu venit, ijs aut abstinendum, aut rarò communicandum esset, aut inviti cogerentur ad unam speciem: quæ certè magna inæqualitas esset, nec providentia divina satis omnibus prospexisset; aut certè Eucharistia in pane & aqua, quæ ubique gentium materia esse potest, instituenda fuisset. Accedit, quòd postquàm Græca Ecclesia per schisma abrumpi cœpit, quæ non in ea difformitas, & deformitas? dum alij sub utraque, alij ex intincto pane, alij cum mixtione panis & vini per cochleare Eucharistiam sumerent, alij aliter, ut Humbertus Episcopus ac Legatus exprobravit Græcis. His ut Latina Ecclesia, quæ à Spiritu S. regitur, occurreret, uniformem ritum præscripsit.

Dicitis, sub utraque specie plus gratiæ conferri: quod etsi disceptetur inter Catholicos, de gratia quam *per se* confert Sacramentum, quæstio tamen est inter terminos scholasticos, ut Suarez inquit. Sed demus vobis

bis hoc tantisper. Quis verò ille effectus apud vos? majorne vitæ sanctitas apud vos, ex quo cum Hussitis utramque speciem usurpare cœpistis, quàm apud Catholicos? sanè id nemo hactenus animadvertere potuit, nisi summam vitæ licentiam, & *laxitatem* disciplinæ Christianæ, *sanctitatem* appellare libeat. Ubi, ut cætera hîc intermittam, ubi inquam, *Vinum germinans virgines*, (de quo Zacharias c.9. vaticinatus est) ex quo Lutherus monachus, ductâ moniali in matrimonium, claustra & cœnobia virginum per Saxoniam laxare cœpit?

II. *Causa, consuetudo* jam *per Ecclesiam recepta*, & consensu gentium & populorum *approbata:* ad quam Concilium Constantiense se revocat. Neque Concilium Constantiense primùm instituit hunc usum unius speciei, ut falsò Nifanius scribit, sed receptum ubique, & approbatum prohibuit tolli & abrogari. Quod idem fecit Basileense & Tridentinum Concilium, uti suprà relatum est.

III *Causa* Ecclesiæ fuit, ut hunc usum ubique receptum stabiliret, contra obortas hæreses, (qua super re Turianus lib.4. Constit. Apost. c.13, Vasquez, Bellarm. Becanus, & alij) simulque scandala tollerentur, tum ut occasio erroris tolleretur, ne videlicet homines simplices sibi persuaderent, sub una specie non contineri integrum Christi corpus & sanguinem; atque hactenus totam Ecclesiam errasse in Communione unius speciei. Quam causam pluribus explicat Valentia, Bellarminus, & alij; & jam ante illos dudum Alensis Theologus, qui hac falsa persuasione multos suo tempore in errorem abductos memorat, tum vel maximè, ut Ecclesia frangeret & refutaret hæresin Hussitarum, qui utramque speciem jure divino necessariam docebant ad salutem. Quod idem movent Patres Concilij Tridentini contra Lutheranos.

IV *Causa*, irreverentia & profanatio hujus Sacramenti, quæ ex sumptione calicis diu, multùmque ab Ecclesia animadversa est, & moraliter in tanta hominum multitudine evitari non poterat, præsertim cùm fidelium multitudo increscceret, & caritas pietasque refrigesceret. Quapropter D. Thomas suprà relatus, etsi utramque speciem in se consideratam diceret perfectiorem, unam tamen speciem ex parte sumentium censuit magis convenientem; idque ob summam religionem & reverentiam, quæ ex jure divino, naturali & Ecclesiastico, huic Sacramento debetur, cui vel maximè interest Ecclesiæ prospicere. Quam ob causam

Cajeta-

Cajetanus adeò q.80. Communionem sub una specie simpliciter populo esse utiliorem, & magis convenientem divinæ voluntati & institutioni docuit. Quæ ratio, etsi apud vos Lutheranos non eum locum habeat, (qui in ipsa sumptione præsentiam Sanguinis statuitis, extraque usum commune, aut benedictum tantummodo vinum relinquitis,) apud Catholicos tamen, qui post consecrationem vini docent, sub illius speciebus Christi sanguinem permanenter esse præsentem, Corpusque concomitanter, his sapientiùs consulendum est, ne quid vel in ipsa sumptione effundatur, vel in asservatione corrumpatur, aut in omnem casum quid profanetur.

Quanquam inter vos Lutheranos nondum convenerit, sitne Christus præsens post consecrationem, seu post Epistolam ad Corinthios lectam, an vero in ipsâ sumptione? Si post consecrationem statim est præsens, cur non poterit asservari sub symbolis? Et si asservetur, cur non adorari, & omni veneratione coli debet? imò quid in casu suprà relato facies? si post consecrationem æger moriatur, & Eucharistia non sumpta relinquatur apud Prædicantem? Adhæc si non est præsens Christus post consecrationem factam à vobis, falsa sunt verba consecrationis: *Hoc est Corpus meum*, &, *Hic Calix novum Testamentum est in meo Sanguine*, quæ in Epistola consecrationis pronuntiatis. 1.Cor.11. Hîc tuum judicium exspectamus, ex sceptica vestra Theologia, qui Theologiæ Licentiatum te jactas. Extra domum vestram omnia vultis reformare inter Catholicos; intra domum vestram omnia confusa & turbata jacent: foris *lynces*, domi *talpæ*.

Igitur ut rem omnem, quæ hîc de Communione est, utrumne sub una, an utraque specie sumenda sit, verbo expediamus: Dicimus, non esse quæstionem de substantia Sacramenti, sed de modo rituque sumendi, in quo penès Ecclesiam est potestas ordinandi. Abrogavit Ecclesia Communionem *Clericalem* sub utraque specie, nec questi sunt Clerici. Abrogavit Ecclesia Communionem *domesticam*, quâ viris & mulieribus etiam permissum mundis linteolis excipere Eucharistiam, & domi sumere, nec questi sunt populi. Statuit Ecclesia, ut non nisi à jejunis sumeretur Eucharistia, aliaque ordinavit, secùs, quàm institutio Christi secum ferebat, & hæc laudabilia nobiscum prædicatis servatisque: solùm Communionem sub una specie ferre non potestis, quæ tamen ex ritu

modoque in eodem genere (ut diximus) versatur. Quàm multa sunt hujusmodi in Ecclesia, de quibus S. Augustinus Epist. ad Innocentium Pontificem: *Non debet reprehensibile judicari, si secundùm varietatem temporum statuta quandoque mutentur humana, præsertim cùm urget necessitas, aut evidens utilitas exposcat.* Quare unica hîc Ecclesiæ auctoritas satis esse debet, quæ si in hujusmodi controversijs seponatur, contemnaturque, nihil superest, nisi ut quælibet secta pro ingenio & libertate, ut sanè facit, ordinet de ritibus Eucharistiæ, credat de ea, quod vult; tollat de numero Sacramentorum quot, & quantum libeat; & quantum sibi fingere & suis persuadere potest, in Ecclesia perturbet: quæ composita, pronaque ad atheismum via est. Catholici in Ecclesiæ Catholicæ auctoritate, quæ *columna & firmamentum est veritatis,* securè se fundant. Hoc Patrum, hoc D. Augustini denuò judicium est, in Epist. 118. ad Januarium: *Insolentissimæ est insaniæ, disputare, an faciendum sit? quod universa frequentat Ecclesia.* Frustrà omnis disceptatio de Communione sub utraque, cæterisque controversijs suscipitur, quoad judex controversiarum ex ipsa Ecclesiæ auctoritate non recipitur. Id qui non intelligit, ne ipsa quidem principia capit, nec dignus est, quocum utiliter disceptes. Hîc cardo, in quo omnes fidei controversiæ versantur, & finiuntur.

CAPVT IX.

De Pœnitentiæ Sacramento.

QUatuor, quæ supersunt *Sacramenta,* ordine & paucis subjungamus: de ijs quidem adversarius parum movit, sed quia ad Carolum Magnum provocat, nostrâ interest non transire, ut ex ijs *Carolum Catholicum* exhibeamus.

I. Pœnitentiam verè ac propriè *Sacramentum* esse, etiam secundùm definitionem ipsorum Lutheranorum, in *Augustanâ confessione,* & *Apolo-*

Apologia assertam, constat. I. Quia habet *ritum externum*, & judicialem absolutionem, quæ fit per verbum externum, seu verbum absolutionis. Joan. 20: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Hîc præterea ritus supponit alium in pœnitente ritum externum; quo nempe testetur pœnitens, se peccata habere veniâ dignâ: alioquin non constaret judici, remittendane sint peccata, an retinenda? II. Quia habet *promissionem gratiæ justificantis* certissimam & planissimam, per verba, *Remittuntur eis.* Atque hoc est illud S. Pauli 2. Cor. 5. v. 18. *Deus dedit nobis ministerium reconciliationis.* Nam suprà dixerat v. 20: *pro Christo Legatione fungimur.* Hoc illud 1. Joan. 1. v. 9: *Si confiteamur peccata nostra; fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

Lutheranos quoque Pœnitentiam inter Sacramenta primùm recepisse, certum est ex Apologia Augustanæ confessionis, ita enim illa cap. de numero Sacramentorum: *Si Sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei, & quibus addita est promissio gratiæ, facilè est judicare, quæ sint propriè Sacramenta.* Et mox: *Verè igitur sunt Sacramenta, Baptismus, cœna Domini, Absolutio, quæ est Sacramentum Pœnitentiæ.* Nihil clariùs. Accedit, quod Apologia Pœnitentiam *propriè*, & *verè* inter tria Augustanæ confessionis Sacramenta profiteatur. Sed nihil quoque ex Lutheranorum doctrina inconstantiùs; quæ cùm *sacramentarijs*, & Calvinistis, modò duo tantùm Sacramenta recipit. Legistine unquam tam inconstanter agi cum Tridentino Concilio apud nos? ut quod semel definitum est, Ecclesia Catholica unquam retractaverit? Ne quid dicam de ipsa *Augustana* vestra *confessione*, & regulâ illâ fidei vestræ, quæ novies minimùm recusa & mutata, novosque semper fidei articulos procusos adjecit. Non Proteus tam varius, quàm Lutherus in suo evangelio, aut Lutherani in suo Luthero.

Supervacaneum hîc Conciliorum, & Patrum testimonia referre, quæ Pœnitentiam nobis Sacramentum tradunt. *Ambrosius* lib. 1. de Pœnit. c. 7. *Quid interest, utrum per Pœnitentiam, an per lavacrum, hoc jus sibi datum Sacerdotes vendicent? Unum in utroque ministerium est.* Quare & *Cyrillus* lib. 12. in Joan. c. 56, comparat Reconciliationem & Pœnitentiam cum Baptismo. Idem *Cyprianus* fecit, *sermone de ablutione pedum.* Hieronymus lib. 1. contra Pelagianos: *Redimatur sanguine Salvatoris,*

toris, aut in domo Baptismatis, aut in Pœnitentia. *Augustinus* lib. de adulterinis conjug. c. 26 & 28: *Eadem,* inquit, *est causa Baptismi, & Reconciliationis, sine quibus Sacramentis homines credunt se non debere exire de corpore.* In psalm. 146. explicans illud, *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum: Quæ sunt,* inquit, *ista alligamenta? temporalia Sacramenta.* nimirum, quæ per *claves cœlorum* Christus dedit Apostolis, & Sacerdotibus, Matth. 16. Lib. 50. *Homiliarum, Homil. ultimâ: Omnis, qui jam arbiter voluntatis suæ constitutus est, cùm accedit ad Sacramenta fidelium, nisi eum pœniteat vitæ veteris, novam non potest induere; ab hac pœnitentia, cùm baptizantur, soli parvuli immunes sunt.* Eadem leges apud Augustinum *Epist. 180. ad Honoratum,* Lib. 5. *de Baptismo c. 20. & 23.* cæterosque Patres, quos longum referre. Videamus cætera.

II. Sacramentum *Pœnitentiæ*, pro *Ministro* requirit Sacerdotem, neque enim alijs, quàm Apostolis, & horum successoribus dictum est à Christo Joan. 20: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Pro *forma* exigit, *Verbum absolutionis*: sicut cætera Sacramenta, quæ *rebus,* & *verbis* perficiuntur. Perinde ut in Concilio Florentino dicitur: *Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet Rebus, tanquam Materiâ; Verbis, tanquam Formâ, & personâ Ministri.* Augustana vestra confessio, art. 12. de Pœnitentia, nihil de Sacerdotibus præscribit; tantùm ponit: *Quod Ecclesia redeuntibus ad Pœnitentiam, absolutionem impertire debeat.* Id etsi per ministros faciat, illi tamen sacerdotes non sunt consecrati, nec ullâ Ordinis potestate, aut jurisdictione internâ, externâque præditi. Quocirca ut nihil conficiunt in Eucharistiæ consecratione, ita à nullo peccato absolvere possunt pœnitentem. Quæ ut communis & certissima est Catholicæ Ecclesiæ doctrina, ac suprà (lib. 1. de *successione Apostolica*, & lib. 2. de *potestate Ordinis*) indicata, pertractataque ab omnibus Theologis: ita nulla major impostura fingi potest, *in re tanti momenti*, quàm horum Sacramentorum administrationem sibi sumere eos, in quibus nihil aliud habeas potestatis, quod non quilibet laicus sibi vendicare possit. *Extra Ecclesiam,* inquit Augustinus in Enchir. c. 65. *non remittuntur peccata: ipsa namque propriè Spiritum sanctum pignus accepit, sine quo non remittuntur ulla peccata.*

III. Pro *Materia* tres actus requirit Pœnitentia, *Contritionem, Confessionem,* & *Satisfactionem*; ita tamen, ut Satisfactio pars integralis sit,

ſit, non eſſentialis. De *Contritione* conſtat ex Scriptura, quæ etiam in Lege *natura*, & *Moſaica* requirebatur, Joël. 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & fletu, & planctu.* 2. Reg. c. ult. *Percuſſit autem cor David eum, poſtquam nnmeratus eſt populus: & dixit David ad Dominum: Peccavi valde in hoc facto.* Ita Matth. 12. Ninivitarum pœnitentia laudatur: Iſaiæ 30: *Si reverſus ingemueris, ſalvus eris.* Ezech. 33. *Impietas impij non nocebit ei, quacunq; die converſus fuerit ab impietate ſua.* Et quoties non Scriptura dolorem hunc tradit? *Confeſſio* quoque *peccatorum mortalium* in ſpecie, coram Sacerdote facienda, eſt de jure divino: Chriſtus enim conſtituit Sacerdotes in Eccleſia judices, cùm ea poteſtate, ut nemo poſt Baptiſmum lapſus, ſine ipſorum ſententiâ *ſacramentaliter* reconciliari poſſit. Matth. 16: *Tibi dabo claves.* Joan. 20: *Quorum remiſeritis peccata.* 2. Cor. 5: *Dedit nobis miniſterium reconciliationis.* Atqui Sacerdotes non poſſunt rectè *judicare* de peccatis, niſi *cognoſcant*; cognoſcere non poſſunt, niſi pœnitentes illa aperiant. Augûſtinus *lib. de vera & falſa Pœnit.* c. 14, ubi multis inſtruit ſpiritualem Judicem in Confeſſione, *Oportet*, inquit, *ut ſciat cognoſcere, quicquid debet judicare: judiciaria enim poteſtas hoc expoſtulat, ut quod debet judicare, diſcernat.* Monet deinde, ut varietates peccatorum inveſtiget. Accedit *Traditio*, quòd nullo non tempore hic uſus fuerit in Eccleſia. Et quomodo Imperatores, Reges, & Principes, totusque populus Chriſtianus, potuiſſet tam difficili lege conſtringi, niſi hæc à Deo lata eſſet? *Satisfactio* demum requiritur: quia inſtauratâ cum Deo amicitiâ, & remiſsâ *culpâ* peccati, & *pœna* æternitate, ſæpe adhuc *remanet debitum* luendæ *pœna temporalis*, ſeu in hac, ſeu in futura vita, 2. Regum c. 2. & 2. Reg. ultimo; quibus locis poſt *remiſſum* Davidis *peccatum*, reſervata *pœna* memoratur. Sic 4. Reg. 23. v. 26. ſcelera Manaſſis puniuntur poſt reſipiſcentiam. Exod. 32, poſt remiſſum peccatum ad preces Moyſis, puniuntur tamen promiſcuâ cæde tot millia hominum. 1. Cor. 11. *Dum judicamur autem, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Et quæ non in hanc rem Scripturæ, & SS. Patrum teſtimonia? præter Eccleſiæ praxin, quæ confeſſioni pœnitentiam ſubjungit.

Auguſtana veſtra confeſſio contra hæc ita definit art. 12: *Conſtat autem pœnitentia propriè his duabus partibus. Altera eſt contritio, ſeu terrores incuſſi conſcientiæ, agnito peccato:* (quanquam quid per terrores con-

ſcientiæ incuſſos intelligat, non ſatis exprimat) *Altera eſt fides, quæ concipitur ex Evangelio, ſeu abſolutione, & credit propter Chriſtum remitti peccata, & conſolatur conſcientiam, & à terroribus liberat.* Quàm inſulſa doctrina! *quæ omnia tribuit fidei*, ita ut Sacramentum prorſus otioſum ſit, & ſupervacaneum: quando hæc fides per ritus Pœnitentiæ excitata, omnia extra Pœnitentiam perficere, & remiſſionem peccatorum præſtare poteſt; quod idem in Baptiſmo & Euchariſtia docetis per fidem fieri. Id dogma, quàm inauditum, tam abſurdum, & impium Catholici ſcriptores, & Theologi omnes commonſtrant. De ipſa verò Confeſſione peccatorum ita pronuntiat Auguſtana confeſſio art. 11: *Abſolutio privata in Eccleſijs retinenda eſt, quanquam in confeſſione non ſit neceſſaria omnium delictorum enumeratio.* Hæc primò veſtra Eccleſia docuit, donec prorſus omnem peccatorum in ſpecie confeſſionem ſequentes Lutherani abrogarent, & tot probris auricularem confeſſionem proſcriberent. Neque adhuc certum inter vos, utrum miniſtri ſibi vendicent abſolutionē, an declarationem peccatorum. Et quid illa opus? cùm *fide* pœnitentium tollantur omnia peccata apud vos. Longè aliter nos Scriptura docet Act. 19: *Multi autem credentium veniebant confitentes actus ſuos.* Ita Joan. 1. c. 1. Jacob. 5. Ita Concilia, Patres, Traditio, & praxis Eccleſiæ. Si vel unum Auguſtinum legeres, quid ille præſcribat de confeſſione peccatorum in ſpecie, numero, & circumſtantijs! is homilia 12: *In omnibus Scripturis divinis fratres utiliter, & ſalubriter admonemur, ut peccata noſtra debeamus jugiter & humiliter non ſolùm Deo, ſed etiam Sanctis ejus, & Deum timentibus,* Sacerdotibus videlicet, *confiteri.* Libro de vera & falſa Pœnitentia c. 14: *Conſideret pœnitens qualitatem criminis in loco, in tempore, in perſeverantia, in varietate perſonæ.* Quàm multis deinde reprehendit eos, qui ſoli Deo confiteri ſatis eſſe arbitrantur! Lib. 2. de viſit. infirm. c. 4. & 5: *Sunt enim,* inquit, *qui ſufficere ſibi ad ſalutem autumant, ſi ſoli Deo, cui nihil occultum eſt, ſua confiteantur crimina; nolunt enim, aut erubeſcunt, ſive dedignantur oſtendere ſe Sacerdotibus, quos tamen inter lepram, & lepram diſcernere per Legiſlatorem conſtituit Dominus. Nolo ut decipiaris ipſâ opinione; non ſeducat te ſomniantium illa ſuperſtitio.* Idem in pſalm. 66: *Tuam iniquitatem confitere: ſi non confeſſus lates, non confeſſus damnaberis. Times confiteri, qui non confitendo, eſſe non potes occultus. damnaberis tacitus, qui poſſes liberari confeſſus.* Eadem habet explicatè lib. 50. Homil. 12. Lib. 21.

contra

contra Fauftum Manich. c. 29. Hom. 49: *Qui poſt uxores veſtras cum aliqua concubuiſtis, agite pœnitentiam, qualis agitur in Eccleſia. Nemo dicat: occultè ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt, Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in cælo? Ergo ſine cauſa ſunt claves datæ Eccleſiæ? fruſtrà Evangelium Dei, fruſtrà verba Chriſti. Promittimus nobis, quod ille negat.* Quàm hæc diverſa ſunt à novo veſtro evangelio, quod Chriſti Evangelio opponit hîc Auguſtinus. Cyprianus ſerm. de lapſis: *Confiteantur ſinguli, quæſo vos fratres, delictum ſuum, dum adhuc qui delinquit in ſæculo eſt, dum admitti confeſſio poteſt, dum ſatisfactio & remiſſio facta per Sacerdotes, apud Dominum grata eſt.*

Ad hunc modum cæteri Patres, quos prolixum hîc referre. Quanquam nihil ad rem conſultiùs, quàm *Concilium Tridentinum* opponere hîc *Auguſtanæ confeſſioni*, id enim ſolidè explicatéque ex *Scriptura, Traditione, Patribus,* ſingulas hujus Sacramenti partes pertractat, ac decîdit, ut in eo *Spiritum ſanctum* loqui videas: in Auguſtanâ confeſſione, non niſi *deliramenta* proponit *hæreſis*, ſine ullo principio Scripturæ, & Theologiæ, tanquam ebrijs in caupona ruſticis doctrinam hanc Lutherus dictarit.

Accedit poſtremùm *Satisfactio ſacramentalis*, quæ à Sacerdote pœnitenti injungitur, eò quòd poſt remiſſam culpam, receptumque peccatorem in gratiam & amicitiam, ordinariè maneat pœna exſolvenda. Poſſet quidem Deus univerſum pœnæ debitum condonare, ut certum eſt facere in Baptiſmo, & Martyrio; verùm peccantibus poſt Baptiſmum, remiſsâ culpâ manet debitum pœnæ luendæ, tum in hac vita, tum in altera, niſi in hac vita ſatisfactione exſolvatur. Hanc ſatisfactionem damnat Auguſtana veſtra confeſſio art. 12: *Rejiciuntur & iſti, qui Canonicas ſatisfactiones docent neceſſarias eſſe ad redimendas pœnas æternas, aut pœnas Purgatorij.* Quanquam dum æternas pœnas remitti docet, falſum nobis affingat: nulla enim peccatori recepto per Sacramentum hoc in gratiam, æterna pœna manet; ſed quæ æterna erat, convertitur in temporalem, ut vel in hac, vel in altera vita Purgatorio eluatur. Eadem docet Apologia ad XXII. articulum: Idem docent Lutherani cum Luthero. Hinc præterea *Purgatorium, Suffragia, & Indulgentias* ſuſtulerunt ex Eccleſia. Quanquam non pauci Lutherani, ex peccatis pœnam temporalem hujus vitæ agnoſcant ad paternam caſtigationem & emendationem à Deo infligi. Contrà Catholici unâ conſenſione docent, remiſsâ culpâ remanere

nere aliquando reatum pœnæ temporalis, uti ex Scriptura suprà relatum est: atque hoc simul certum fundamentum est ex Scriptura, quo Purgatorium à Catholicis asseritur. Commonstrantur hæc præterea ex Traditione, Concilijs, & innumeris SS. Patrum testimonijs, (de quibus totus est liber IV Bellarmini de Pœnitentia) præter Theologos, & controversiarum scriptores, tantâ claritate, ut Illyricum & Calvinum fateri necesse fuerit, Patres omnes satisfactionem docere. Sed hîc locus non est, ea fusiùs pertractandi: tantùm Carolum M. subjungamus.

Caroli Magni testimonia de Sacramento Pœnitentiæ.

CArolus igitur lib. V. Capitularium capit. 52: *Nemo Sacerdotum, populum sibi peccata confitentem sine auctoritate Canonum judicare præsumat, & ut quando unicuique quisquam Sacerdos sibi scelera sua confitenti, juxta canonicum modum pœnitentiam tribuit, &c. manus ei secundùm Canonicam auctoritatem imponat, cum orationibus, quæ in SACRAMENTO ad dandam pœnitentiam continentur.* Hic nomen *Sacramenti* audis dari Pœnitentiæ: inde librum rituum, quem nos *Agendam* dicimus, *Sacramentarium* vocat. Hæc Carolus de reconciliatione in publicâ pœnitentia; de privatâ vero & auriculari ita subjungit: *Si verò occultè, & sponte confessus fuerit, occultè fiat.* De utraque reconciliatione Carolus hæc subjungit: *Ideo Dominus, & magister noster discipulis suis, & successoribus eorum, ligandi & solvendi dedit potestatem, ut peccatores ligandi habeant potestatem, & pœnitentiam condignè agentes absolvi, atque peccata cum divina invocatione dimitti queant. nec mirum hoc: Quia si homines servis suis dent potestatem de subditis ligandi & solvendi, vel nocendi vel adjuvandi apud se, quanto magis Dominus omnium hominum hanc potestativè potestatem Præpositis sanctæ Ecclesiæ dedit, dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta erunt.* Lib 6. Capitularium cap. 169: *Fideles fidem sanctæ Trinitatis discant, in qua inter cætera credere debent, quod fidelibus in Ecclesia per Christum, ejusdem Spiritus sancti dono per ministerium Sacerdotale, & per Pœnitentiam, remissio peccatorum indubitanter attribuatur.* Lib 5. c. 62.

c.62: *Criminalia peccata multis jejuniis, & crebris manus Sacerdotum impositionibus, eorumque supplicationibus, juxta Canonum statuta placuit purgari, ita ut nemo sine manus impositione Episcopi, aut ejus jussu alicujus Presbyteri, se credat esse à suis facinoribus absolutum.* Lib.5.Capitularium c.164: *Sciendum est omnibus atque credendum, quòd per Spiritum sanctum remissio peccatorum in Baptismate conferatur, & quod fidelibus in Ecclesia Christi ejusdem dono Spiritus sancti per ministerium Sacerdotale, & per Pœnitentiam, & Absolutionem, manusque impositionem, remissio peccatorum indubitanter attribuatur.* Eadem prorsus habes lib.7. Capitularium addit.3. c.13, multisque in locis apud Carolum: at nullibi leges remissionem peccatorum *soli fidei* attribui, sed *Sacramento*, ad quod fides, timor, spes, & cætera sunt dispositio. Alibi inter cætera fidei principia & salutis præsidia commendat confessiones criminum, & fugam peccatorum, ne *solâ fide* credant se salvandos homines. Hinc illud toties repetit: *Manifesta enim sunt opera carnis, &c. quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Lib.1.Capit.c.82.

Lib.5. Capitularium c.2. (quod & inter capitula Ecclesiastica c.3. Caroli Magni tom.20. Concil. Paris. toties repetitur) Carolus pro militibus sollicitus ita sanxit: *Princeps in castris unum vel duos Episcopos apud se habeat, & unusquisque Præfectus unum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus judicare, & indicare pœnitentiam possit.* Ubi vides, post judicationem & absolutionem Sacerdotis, confitenti etiam pœnitentiam injungi, quod Augustana confessio damnat art.12. suprà relato. Quòd si legas, quæ lib.5. Capitularium, & passim in omnibus Caroli libris, & Synodis præscribantur, de publica privatáque pœnitentia, intelliges Carolum toti evangelio vestro adversari: qui non modò ipse confessus sua peccata, primùm Angilramo, deinde Hildebaldo Archiepiscopo Coloniensi, quos ob id in aula secum habuit; sed & jejunando, orando, & cilicium adeò ad nudam carnem gestando, (ut auctor vitæ Engolismensis scribit) pœnitentiam egit. Ac ne quis sine confessione ex hac vita exeat, decernit lib.5. c.65: *Nemo priùs ex humanis rebus abscedat, quàm donum reconciliationis accipiat.*

Confessionem quæ *in specie*, & cum enumeratione peccatorum fieri debeat, habes lib.7. c.294: *Quærendum est*, inquit, *Sacerdoti, cùm accipit cujuslibet fidelis confessionem peccatorum, qualiter primò peccatum*

perpetratum, aut postea iteratum, aut frequenter actum sit; si sponte, si coacte, si per ebrietatem, aut quodlibet ingenium factum sit. Monet deinde, ut medicina & pœnitentia, quæ satisfactio est, & quam vos Lutherani excluditis, *Secundum Canonum & SS. Patrum statuta præscribatur; neq; secundum placitum hominis, sed secundum Dei voluntatem.* Idem additione 3. cap. 35. multis præscribitur. Addit. eâdem c. 30: *Ut confessio integrè & plenè fiat.* In Capitulari Theodulphi Aurelianensis Episcopi, viri sub Carolo M. celebris & sancti, can. 31. ita legis: *Confessiones dandæ sunt de omnibus peccatis, quæ sive in opere, sive in cogitatione perpetrantur.* Deinde subjungit octo principalia vitia, secundùm quæ examen & confessio facienda: *Deinde*, inquit, *juxta modum facti debet ei pœnitentia indicari.*

In Concilio Rhemensi, quod sub Carolo M. habitum est, *Can.* 12. ita decernitur: *Omnibus his actis, ventilata est ratio pœnitentiæ, ut Sacerdotes certiùs intelligerent, quomodo Confessiones recipere, & pœnitentiam secundùm Canonicam institutionem pœnitentibus deberent indicare.* Ideo Can. 13. præscribit examen, secundùm octo principalia vitia, *Can.* 31: *Discretio servanda est inter pœnitentes, qui publicè, & absconsè pœnitere debent.*

In Concilio Turonensi, quod tum Caroli rogatu simul congregatum fuit, *Can.* 22. præscribitur: *Episcopis, & Presbyteris diligenti cautela pertractandum est, qualiter hominibus, sua sibi delicta confitentibus, tempus abstinendi adscribant; ut juxta modum peccati pœnitentibus abstinentia indicatur: quoniam variè ab aliquibus Sacerdotibus & indiscretè hæc judicia proferuntur.* Ideo subdit, ut antiquum Pœnitentialis librum potissimùm sequantur, idque statutum esse, cùm omnes Episcopi congregati ad sacrum palatium convenissent. *Can.* 50. *Si non frequentiùs, vel ter laici homines in anno communicent, nisi fortè quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur.*

In Concilio *Cabilonensi*, quod rogatu quoque Caroli est habitum, *Can.* 32: *Sed & hoc emendatione indigere perspeximus, quòd quidam, dum confitentur peccata sua Sacerdotibus, non plenè id faciant.* Subjungit deinde octo capitalia vitia, secundùm quæ pœnitens instituì debet ut confiteatur, *Can.* 33: *Quidam*, inquit, *Deo solummodò confiteri debere dicunt peccata, quidam verò Sacerdotibus confitenda percensent; quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam.* At de Confessione, quæ

Sacer-

Sacerdoti fit, ſubdit: *Deus namque ſalutis & ſanctitatis auctor & largitor, hanc præbet ſua potentia viſibili adminiſtratione purgationem peccatorum.* Hic enim eſt ordinarius modus à Deo præſcriptus, etſi contritio & eleemoſyna etiam extinguant peccatum, ut idem Concilium agnoſcit. Quod ipſum docet Ludovicus Pius in additione 3. ad lib.7. Capitularium cap.31. Quàm multa deinde præſcribit *Cabilonenſe* Concilium de pœnitentia confitentibus danda? Habes ergo hîc tria Concilia ſub Carolo Magno ante obitum ejus habita, quæ Carolus ad ſe delata approbavit & laudavit, ut prorſus de Caroli mente dubium eſſe non poſſit, dummodò Eccleſiam audires, quæ teſte Auguſtino, habet *Claves vitæ & inferorum: ipſi enim dictum eſt, cuicumque dimiſeritis peccata, dimittuntur eis; & cui retinueritis, retenta ſunt. Miſeri, dum in Petro petram non intelligunt, & nolunt credere datas Eccleſiæ claves regni cœlorum, ipſi eas de manibus amiſerunt. lib. de Agone Chriſtiano c.3.* Sed tu Niſani, mavis *Melanchthonem,* quàm SS.Patres; *Apologiam* ejus, quàm Concilia; *Lutherum,* quàm Carolum Magnum cum omnibus Epiſcopis; *Auguſtanam confeſſionem,* quàm Concilij Tridentini, & Catholicæ Eccleſiæ judicium audire. *Claves regni cælorum,* inquit Auguſtinus, *Chriſtus dedit Eccleſiæ; & ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus, gravius eſt, quàm ſi gladio feriretur, ſi flammis abſorberetur, ſi feris ſubigeretur.*

Vulnera Sacramento Pœnitentiæ à Lutheranis illata.

HIs nunc poſitis, quàm multæ ſe hîc plagæ offerunt, quibus hoc Sacramentum Pœnitentiæ à vobis laceratum & ſauciatum eſt, tametſi in ſpeciem confeſſio Sacramentalis inter vos de peccatis in genere retineatur. I. Requirimus ipſam *Sacramenti inſtitutionem,* quam primò admiſiſtis, poſtea cum Calviniſtis rejeciſtis. II. Requirimus *confeſſionem peccatorum in ſpecie,* quam confeſſio veſtra Auguſtana, & Apologia, & tota veſtra Eccleſia reprobat. III. Requirimus *dolorem & contritionem,* (quam vos in terroribus quibuſdam conſcientiæ ponitis) ac talem, ex qua propoſitum melioris vitæ, timor Dei, & emendatio ſequatur, nec in

solâ fide justificante hæc reponantur, quâ omnia peccata tam facilè ablui creditis, quàm liberè admittitis.

IV. Requirimus *potestatem Clavium* à vobis, qui veri Sacerdotes non estis, ex quo successio inter vos defecit. Inauditum enim est in Ecclesia, absolvi aliquem *sacramentaliter* ab alio, quàm à Sacerdote: *ipsi Sacerdotes*, inquit Augustinus lib. de vera & falsa Pœnitentia, *jam plus possunt; quibus enim remittunt, remittit & Dominus ex potestate Clavium.* Quàm multis id contendit Cyprianus? lib. 1. Epist. 6. *Ecclesia Catholica una est, extra eam nec Sacerdos, nec Sacrificium, nec salus, nec remissio peccatorum. Nam cùm dicunt, credere se remissionem peccatorum, mentiuntur, cùm non habeant Ecclesiam.*

V. *Effectum absolutionis à peccato*, quem vos soli fidei justificanti attribuitis, non potestati Clavium: exsertè enim Apologia vestra ad 12. Art. c. 15. *Quid Carole Cæsar hîc facimus? Hæc est propria vox Evangelij, quòd FIDE consequamur remissionem peccatorum.* Et tamen Augustana vestra confessio art. 12. docet: *Ecclesia ad pœnitentiam redeuntibus absolutionem impertiri debet.* Et quæ hæc alia *absolutio* erit, quàm *denuntiatio* remissi peccati per *fidem* pœnitentis? Quod & ancilla heræ suæ, & hera ancillæ præstare potest, si mutuò sibi peccata confiteantur.

VI. Requirimus à vobis *Potestatem ligandi*, quam Christus non minùs dedit, quàm *absolvendi* Sacerdotibus, Matth. 16. Matth. 18. Joan. 20. Nam si quis *furtum* commiserit; si per *spolium* aut *sacrilegium* aliena bona rapuerit; si injuriam *famæ* & honori alterius fecerit; *ligandus* erit pœnitens adstringendusque ad *restitutionem*. Hoc illud Augustini: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Adhæc, si quis in *adulterio*, si in *incesto matrimonio*, aut *concubinatu* vivat; si in his atque alijs flagitijs perseveret, nec correptus se emendet, ligandus erit, absolutione non impertitâ. Quomodo verò hæc *potestas ligandi* locum habere potest apud vos Lutheranos, qui *confessionem* peccatorum *in specie* damnatis? Aut quod *vulnus* hîc sanari poterit, quod *tegendum* docetis? Imò quale *judicium* erit, in quo *reus* nihil fateri cogitur? *Vidi sedes, & sedentes super eas*, inquit Augustinus in illud Apocalyp. 20, *& judicium datum est: illud autem judicium nullum melius accipiendum videtur, quàm id, quod dictum est: Quæ ligaveris super terram, erunt & ligata in cælis.* Lib. 20. de

civit.

civit. Dei c.9: *Ponat se peccator omninò in potestate judicis, in judicio Sacerdotis, nihil sibi reservans sui.* lib. de vera & falsa Pœnit. c.15.

VII. Requirimus à vobis *Satisfactionem sacramentalem & Canonicam* etiam, qualem Catholici ex Scripturis, ex Traditione, ex Concilijs, ex Patribus, & praxi totius antiquitatis demonstrant. Hîc aut vestrum novum evangelium, aut Catholica doctrina mundum fallit, quæ publicas privatasque pœnitentias semper in usu habuit, quibus etiam plenæ sunt omnes Synodi Carolinæ, Capitularium libri, & Caroli Constitutiones: adeòque Carolus tam privatim, quàm publicè in castris eruditos prudentesque Sacerdotes esse voluit, qui scirent dare confitentibus militibus pœnitentiam, ut suprà toties relatum est. Verùm ut jejunia, castigationes corporis, & quicquid durum in *via crucis* esse potest, jam dudum eliminavit dulce & *carnale* vestrum *evangelium*, ita & *Satisfactionem sacramentalem*, quæ tamen salutaris *medicinæ* instar est, proscripsit. Verùm, quid vos non sperêtis? qui Lutherum ex *sacrilego* illo totius vitæ *matrimonio* cum moniali, *sine* ulla *pœnitentia* transmisistis in cælum, & inter *Beatos* cum Prophetis & Apostolis collocastis? Multò ille *Davide* felicior, qui vel *unum adulterium* tot *lachrymis*, & pœnitentiæ operibus sibi expiandum sumpsit. Ne quid dicam hîc de innumeris Sanctis, qui post lapsum vitam in continua pœnitentia, & vitæ sanctitate exegerunt: nec ipse D. Augustinus priùs de vita exire voluit, quàm psalmos de *Pœnitentia* in conspectu positos cum lachrymis recitasset. *Regnum cælorum vim pati;* docuit Christus; à Luthero *una fides justificans* reperta est, *mollis culcitra*, quâ in cælum tollantur omnes.

VII. Demum, ut hic alia omittam, requirimus à vobis *Sigillum* sive *secretum Confessionis*. Sanctum, & inviolabile id vinculum, quod non modò ex jure *Ecclesiastico* & *naturali*, sed & ex *divino* etiam, seu *positivo*, seu immediatè inde *per se* nato deducitur. Ejus tanta obligatio est apud Catholicos, ut si quis violaverit, *gradu Sacerdotis excidat*, & *perpetuò in monasterium recludatur* ad pœnitentiam ejus sacrilegij, quemadmodum id Canones præscribunt. Quibus legibus cùm Lutherus exsolverit suos, quàm frequens ejus & libera violatio apud vos? quàm multa mihi sunt hujus rei exemplis comperta? Inter alia, dum Halberstadij agerem, antequàm *Koningsmarckius* urbem caperet, & ego simul in captivitatem raperer, accidit primariam civis uxorem, corruptam à quodam, in adul-

terium prolabi: ea cùm conſcientiæ ſtimulis ageretur, delictum *Prædicanti* Paſtori ſuo *ænobarbo* (ita hominem novi) *confeſſa* aperuit, quietis & ſalutis cauſâ; quam ille è veſtigio ad magiſtratum detulit. Capta mox miſera mulier ad *Prædicantis* accuſationem, & ad ſupplicium protracta, capite mulctatur. Quis non *Carnifici* mallet, quàm *Prædicanti* confiteri peccata ſua? Mitiùs certè *Joan.8.* Chriſtus egit cum *adultera*, quia Sacerdos erat ſecundùm Ordinem Melchiſedech. Et quale *ſecretum* ab illis expectes, qui primùm *proci*, pòſt *rivales*, deinde *ſponſi*, demum mariti, (his enim gradibus ad Epiſcopatum & ſummum miniſterij gradum apud Lutheranos aſcenditur,) qui deinde inter Dalilæ amplexus vivunt, omnia arcana facilè eblandientis? & his populi ſuam conſcientiam & animas committere neceſſe habent. Vis nunc Caroli legem? is Capitularium lib. ult. cap. 27. ſanxit: *Presbyteri de confeſſionibus accepto pretio non manifeſtent latrones.* Quin tam ſtrictum, ſeverumque hoc decretum Eccleſia eſſe voluit, ut ne ad ſervandam propriam vitam, aut vitandam Reipubl. ruinam, aut ullo caſu violare liceat; quemadmodum id ex Traditione & conſenſu Doctorum conſtat. Recole nunc, quantum vulnus nova veſtra doctrina inflixerit, & in quas anguſtias miſeros homines compellat! quæ ſublatâ poteſtate Clavium, & miniſterio reconciliationis proſcripto, unicum tantùm ſalutis remedium peccatori, in contritione relinquit: tanquam non ſatis tot Sacramenta ſuſtuliſſe, niſi etiam hanc ſecundam poſt naufragium tabulam, ut Patres appellant, periclitantibus ſubtrahatis. Poſtquam enim Apoſtolica ſucceſſio apud vos defecit, nec poteſtas conſecrandi Sacerdotes, nec poteſtas conficiendi Euchariſtiam, nec poteſtas abſolvendi à peccatis, in eccleſia veſtra permanſit: ut his diviniſſimis Chriſti donis, cæteriſque Sacramentorum ſubſidijs homines ſpoliare neceſſe ſit.

CAPUT X.

CAPUT X.

De Sacramento extremæ Unctionis.

EXtremam Unctionem verè & propriè dictum Sacramentum esse Catholicæ Ecclesiæ dogma est. Duo in hanc rem adferuntur Scripturæ testimonia. Alterum est Marci 6. ubi de Christi discipulis dicitur: *Ungebant oleo multos agros & sanabant.* Ex quibus licet alij confici velint Sacramentum, Tridentinum tamen ibi tantùm insinuari dicit hoc Sacramentum. Saltem conficitur ritum non esse alienum ab institutione Christi, & usu Apostolorum: imò Lutherus, Calvinus, & Kemnitius agnoscunt hoc loco Marci, agi de illâ unctione de quâ & Apostolus Jacobus agit; ut certè adumbratio fuit ejus Sacramenti, quod Christus pòst instituit. Alterum ergo testimonium est Jacobi cap. 5: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Hic primò ritum externum habemus, *Unctionem olei cum oratione:* Deinde *Promissionem gratiæ* per verba *alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Mandatum colligitur ex eo, quòd Apostolus non auderet tam absolutè promittere tantum effectum, nisi id à Christo accepisset. Institutum quoque Ministrum adjungit per verba *Inducat Presbyteros*, seu Sacerdotes.

Augustana vestra Confessio nihil de hoc Sacramento, rituve pronuntiat. Apologia art. XIII. ita decernit: *Confirmatio & Extrema unctio sunt ritus accepti à Patribus, quos ne Ecclesia quidem tanquam necessarios ad salutem requirit, quia non habent mandatum Dei: propterea non est inutile hos ritus discernere à superioribus, qui habent expressum mandatum Dei, & claram promissionem gratiæ.* Omissis alijs, quæ hac propositione falsò continentur; benè quidem illud, quod non inutile dicat discernere ritus qui Sacramenta sint, & qui non sint: sed cujus hoc sit discernere, in quæstione

ſtione verſatur. Utrumne Melanchthonis Grammatici & Philologi, qui Apologiam illam fabricavit ex Lutheri ſcriptis, an Epiſcoporum in Concilio? Utrumne avulſæ Lutheranæ Eccleſiæ, quæ poſt Waldenſes, Albigenſes, Wiclefum, damnatos jam dudum hæreticos, hanc hæreſin reſuſcitavit ab inferis, an verò Catholicæ Eccleſiæ? quæ *Columna & firmamentum eſt veritatis*, & cujus eſt de vero ſenſu Scripturæ judicare; ut libro primo & ſecundo toties monſtratum eſt.

II. Quòd dicat, hunc ritum extremæ Unctionis à Patribus acceptum eſſe: id ſi velit à Patribus primò introductum eſſe, falſum eſt; ſi verò velit à SS. Patribus nobis tradi, uti illi ex Scriptura didicerunt, & per traditiones ab Apoſtolis manantes acceperunt, cum Catholicis facit. Multo audaciùs, abſurdiúſque Niſanius ſcribit: *Extremam Unctionem ne quidem tempore Caroli Magni fuiſſe in uſu*, quæ falſitas poſtea detegetur.

Cæterùm Catholici hunc ritum inter Sacramenta collocant, fundantque ſe primò in Scriptura, Jacobi quinto capite, ut ſuprà relatum eſt: non quod D. Jacobus Apoſtolus hoc Sacramentum inſtituerit, (auctor enim inſtitutorque Sacramentorum Chriſtus eſt, non Apoſtoli) ſed quod D. Jacobus hoc Sacramentum ex inſtitutione Chriſti commendarit & promulgarit, ut Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. c. 1. de *Extremâ unctione* declarat. Quo ſenſu, etiam Patres de hoc Sacramento loqui neceſſe fuerit: quando illi Chriſtum, non Apoſtolos Sacramentorum auctores docuerunt. Hos inter Hugo de S. Victore l. 2. de Sacram. part. 15. c. 2. & 3. docet D. Jacobi inſtitutionem hujus Sacramenti non eſſe aliam, quàm promulgatoriam: quemadmodum Moyſes non auctor, ſed promulgator divinæ legis eſt. II. Fundat ſe Eccleſia in perpetua traditione, ab Apoſtolorum ævo ad nos traducta: idcirco Tridentinum Concilium inquit: *Extremam Unctionem Eccleſia ex Apoſtolicâ traditione per manus acceptam didicit.* Quod & Græci agnoverunt in Concilio Florentino, probaruntque cum Latinis Patribus Extremam Unctionem inter ſeptem Sacramenta, in inſtructione ad Armenos. Lutherani quo ſe referant, non alios habent, quàm Waldenſes, Albigenſes, & Wicleſiſtas: quorum hæreſis jam dudum ab Eccleſia Catholica damnata, antequam veſtra nata eſſet. III. Fundant ſe Catholici in Concilijs & Patribus, quos cum Bellarmino, Valentiâ, Suarez, Coninck, Coccio cive veſtro, cæteriſque Scriptoribus

ribus sistunt. Ac Patres quidam, etsi non omnes expressè Sacramentum vocent, ij tamen ad Scripturam, & præscriptum hunc à Divo Jacobo *ritum* sese referunt. Hi Patres sunt *Clemens* Constit. Apostol.lib.8.c.26. *Origenes*, hom.2. in Levit. *Chrysostomus*, lib.3. de Sacerdotio, *Innocentius I. Pontifex*, tempore S. Augustini, cujus auctoritatem, & doctrinam toties commendat Augustinus. Is enim in Epist. ad Decentium Eugubinum c.8: *Adjecit etiam filius meus Cœlestinus Diaconus in Epistola sua, esse à tuâ dilectione propositum illud, quod in B. Apostoli Jacobi Epistola conscriptum est: Si infirmus aliquis in vobis, vocet Presbyteros: quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere; qui sancto oleo Chrismatis perungi possunt. Quo ab Episcopo confecto, non solùm Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet, in sua vel aliorum necessitate inungendo.* Illud verò in Epistola Innocentij: *Pœnitentibus illud infundi non potest, quia genus Sacramenti est: nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?* Quàm dilucidè hoc ostendit, tempore Innocentij & Augustini *Extremam unctionem* propriè *Sacramentum* fuisse creditum? Et quia in Epistola S. Jacobi solùm Presbyteri scribuntur *Ministri*, dubitabant tum quidam, an etiam Episcopus hoc Sacramentum conferre deberet? Respondit Pontifex: si Episcopus Chrisma conficiat, haud dubiè etiam inungere posse, si velit: ut vel ex his etiam discrimen inter Presbyterum & Episcopos recognoscas. Accedit ad Innocentium ipse Augustinus, *lib.2. de visit.infirm.* c.4: *Nec prætermittendum est illud Apostoli Jacobi præceptum, infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum, ungentes eum Oleo sancto, in nomine Domini JESU, & oratio fidei salvabit infirmum. Ergo sic roges de te, & pro te fieri, sicut dixit Apostolus Jacobus, imò per Apostolum suum Dominus:* (ubi Christi etiam institutionem indicat) *ipsa videlicet olei sacrati delibutio, intelligitur Spiritus sancti typicalis unctio; illud etiam vivificum Dominici corporis supplementum, fili mi, non renuas.* De rectitudine Catholicæ conversationis ita rursus Augustinus: *Qui ægrotat, in sola misericordia Dei confidat, & Eucharistiam cum fide, & devotione accipiat, Oleumque benedictum fideliter ab Ecclesia petat, unde corpus suum ungatur, & secundùm Apostolum, oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus.* Tertiùm Augustinus *serm.215. de tempore: Quoties,* inquit, *aliqua infirmitas supervenerit, corpus & sanguinem*

RRR *Christi,*

Christi, ille qui ægrotat accipiat, & inde corpusculum suum ungat, ut illud quod scriptum est impleatur in eo: infirmatur aliquis in vobis? inducat Presbyteros, & orent super eum. Videte fratres, quia qui in infirmitate ad Ecclesiam cucurrerit; & corporis sanitatem recipere, & peccatorum indulgentiam merebitur obtinere. Quàm hæc præclara sunt testimonia ex prima Ecclesia, & in primis quinque sæculis, quæ incorrupta admittitis: ut mirum sit malle vos cum damnatis & scabiosis hæreticis, quàm cum Ecclesia Catholica sentire. Hanc D. Jacobi Epistolam, quia in multis sibi adversam vidit Lutherus, è Canone sacrorum librorum erasit. Verùm dum hîc Patres ad eam appellare legis, ipsum simul Lutherum prædamnatum legis. Cæterùm, hîc Patrum sententias, qui *Augustinum* consecuti, facilè prætermitto: *Damiani* videlicet *serm. 1. de dedicat. templi. D. Bernardi, in vita Malachiæ Episcopi*, qui Unctione extrema à mortuis revocavit hominem, ut neglectam ei *Unctionem* impertiret, *Petri Lombardi in 4. dist. 23*, & qui eum secuti sunt Theologi, & tot simul Sanctorum exempla, qui ante mortem *inungi* voluerunt: ut ex praxi universalis per orbem Ecclesiæ, nihil hîc certiùs sit. Superest Carolum Magnum, de quo agitur inter nos, audiamus.

Caroli Magni testimonia, quibus Extrema unctio asseritur, ex ævo illius usque Ecclesiæ.

LIb. 1. Capitularium cap. 162: *Presbyter in cœna Domini tres ampullas secum deferat: unam ad Chrisma; alteram ad Oleum, ad catechumenos inungendum; tertiam ad infirmos, juxta sententiam Apostolicam: ut quando quis infirmatur, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum Oleo in nomine Domini.* Quid clariùs? Hoc illud est, quod hodiedum toto orbe Christiano fieri vides. Quæ parochia Catholica, quæ non consecratum ab Episcopo oleum in cœna Domini, & tribus ampullis discretum quotannis sollicitè sibi procuret, eo ritu usque, quo Caroli Magni ætate viguit? atque illud est oleum, quod sigillo claudendum servandumque tot alijs legibus à Carolo præscribitur.

Jam ante Carolum in statutis D. Bonifacij *Can.* 29. idem præscriptum legis: *Omnes Presbyteri oleum infirmorum ab Episcopo expetant, secumque habeant, & admoneant fideles infirmos illud exquirere, ut oleo eodem peruncti à Presbyteris sanentur, quia oratio fidei salvabit infirmos.* Ita Conciliorum Parisiensis editio posterior id recitat. Idem habes tom. 6. Concil. Parisiensis editionis ultimæ, in exemplis Egberti Eboracensis Episcopi *Can.* 21: *Secundùm definitionem SS. Patrum, si quis infirmatur, à Sacerdotibus oleo sanctificato cum orationibus diligenter ungatur.* Sed pergamus in Carolo.

Lib. 6. Capitularium, cap. 72: *A Clericis vel laicis phylacteria, vel falsæ inscriptiones, aut ligaturæ pro febribus, nullo modo à quoquam Christiano fiant: sed pro infirmitate illud quod Apostoli, & Canones sanxerunt, id est, orationes, & sacri olei unctio fiat.*

Lib. eodem cap. 75: *Si infirmitate depressus quis fuerit, vitam sine Communione non finiat, nec unctione sacrati olei careat: & si finem prospiciat, sacrosancto Corpore, Deo anima ejus à Sacerdote precibus commendetur.* Ubi sub una simul specie Eucharistiam habes dandam morituro.

Libro eodem cap. 105: *Similiter Sacerdotes magnam curam habeant de infirmis ac pœnitentibus, ut morientes sine sacri Olei unctione, & reconciliatione, & Viatico non deficiant.*

Lib. eodem cap. 177: *Omnes Presbyteri Oleum infirmorum ab Episcopo expetant, secumque habeant, & moneant fideles infirmos illud exquirere, ut eodem oleo peruncti à Presbyteris gratiâ Dei sanentur: Quia oratio fidei salvabit infirmos.* Prorsus ut statuta D. Bonifacij jam ante præscripserant.

Lib eodem cap. 177: *Nullus Presbyter parochianus alicubi præsumat Chrisma accipere, nisi à suo Episcopo in cœna Domini.*

Imò tam sollicitus Carolus Magnus pro hoc Sacramento, ut ne vel militibus etiam in castris subtraheretur: ideò peculiari lege illis consultum voluit. Ita enim in capitulis Ecclesiasticis Tom. XX. Conciliorum Parisiens. edit. Can. 4. sancitum: *Duo vel tres tantùm Episcopi electione cæterorum pergant in hostem, propter benedictionem, & prædicationem, populique reconciliationem; & cum illis electi Sacerdotes, qui benè sciant populis pœnitentiam dare, Missas celebrare, de infirmis curam habere, sacratique olei cum sacris precibus Unctionem impendere, & hoc maximè*

providere, ne sine Viatico quis de sæculo recedat. His accedit ipsius Caroli Magni exemplum, qui sine extremâ Unctione ex hac vita migrare noluit: ita enim scriptor vitæ ejus, qui *Engolismensis Monachus* habetur, ex Annalibus eorum temporum de Carolo: *Oleo autem sancto inunctus ab Episcopis, & Viatico sumpto, & omnibus suis dispositis, commendans Domino spiritum, obijt in pace.*

Quâ nunc impudentiâ fallendi, mentiendive scribere audes Nisani, (*Tractat. de Ecclesia, pag. 40.*) *Nullum extremæ Unctionis fuisse usum tempore Caroli Magni?* Non alio argumento confisus, quàm quod Eginardus nihil hac super re memoret de excessu Caroli? Quasi verò ab uno auctore omnia requirenda; quasique Carolus id quod tot legibus ipse alijs præscripserat, in se desiderari voluerit. Demus etiam Carolum sine *Unctione* obijsse: an inde sequitur, non fuisse tunc usum *extremæ Unctionis?* Et si hæc, quæ adduximus, tibi non sufficiant, addamus Concilia Carolina ab ipso Carolo approbata, confirmataque sub extremum vitæ.

Arelatense Can. 18. *Presbyteri sub sigillo custodiant Chrisma, & nulli sub prætextu medicinæ, vel cujuslibet rei donare præsumant. Genus enim Sacramenti est, & non ab alijs, nisi à Sacerdotibus contingi debet: quod si fecerint, honore priventur.* Habes hîc Chrisma illud, quod in cœna Domini ab Episcopo consecratum, quodque tribus ampullis exceptum ad parochias conferri consuevit; habes usum ejus in Sacramentis, & quidem per manus Sacerdotum.

Concilium *Moguntinum* Can. 26: *Presbyteri Chrisma sub sigillo custodiant: & nulli sub prætextu medicinæ, vel maleficij donare inde præsumant. Quod si fecerint, honore priventur.* Quod hîc aliud Chrisma, quàm oleum *Catechumenorum, Infirmorum*, & *Confirmandorum?* quod tribus ampullis disclusum *parochijs* singulis communicabatur.

Concilium *Turonense* Can. 20: *Presbyteris injungendum est, ne sacrum Chrisma foras conclave dimittant, ubi à quolibet contingi possit.* Prorsus hoc idem est, quod jam diximus. Ubi verò Chrisma apud vos Lutheranos?

Cabilonense Concilium Can. 48: *Secundum Beati Apostoli Jacobi documentum, cui etiam Patrum documenta consonant, infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicitur, à Presbyteris ungi debent; sic enim ait: infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes*

tes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, dimittentur ei. Non est itaq; parvi pendenda medicina hujuscemodi, quæ animæ corporisq; medetur languoribus.

Addo *Alcuinum* magnum Caroli M. præceptorem, Doctoremq; eâ tempestate celebrem, is lib. de divinis Officijs cap. de infirmis expressè extremam Unctionem inter *Sacramenta* numerat, haud secùs, quàm *Amalarius* Trevirensis Episcopus, vel (ut Sirmondus in notis ad Aquisgranense Concilium) sub Ludovico Pio Metensis Ecclesiæ Diaconus, per hæc tempora clarus Scriptor lib. 1. de officijs Ecclesiast. c. 12. Sacramentum perhibet pio Christianorum usu tum frequentatum: ne quid de additione 3. Ludovici Pij ad lib. 6. Capitular. ubi ex præscripto *Cabilonensis* Concilij canone, extremam Unctionem ijsdem verbis præscribit: Uti & Concilium *Wormatiense* sub Ludovico II. can. 60. statuit: Chrisma singulis annis ab Episcopo petendum, & per Diaconum aut Subdiaconum, non secùs ac reliquiæ Sanctorum, *deportetur* ad Parochias. Canone vero 72. decretum Innocentij I. Pontificis, suprà à nobis relatum, ad verbum recitat, ex eoque extremam Unctionem præscribit, additurque: *Pœnitentibus quibus cætera Sacramenta negantur, quomodo id unum, quod Sacramenti est genus, putatur concedi?* Vides Nisani, quàm disertis verbis non modò *usus extremæ Unctionis* per hæc tempora, sed & *Sacramentum* referatur. Tu, si inter Sacramenta reputare non vis, saltem inter ritus veteres, ab Apostolis traditos, & inde ad Lutherum toto orbe Christiano frequentatos, utilesque ad salutem corporis & animæ recognoscas necesse est: nisi tot *Concilia, Patres*, & *Carolum Magnum* nos fallere multo impudentiùs dicas. Et quis Luthero, aut vestræ particulari ecclesiæ potestatem dedit, ejusmodi saluberrimos ritus sacramentales abrogandi? quam nullus unquam *Pontifex*, cum ullo *Concilio Oecumenico* sibi vendicare ausus est? Causam facilè agnoscas: quòd Lutherus, cùm se Episcopum non esse conspexit, omnes *ritus*, qui *Chrismate* sacro perficiuntur ab Episcopis in consecrando, unà simul hæresis insania abrogarit. Sed quid agimus? *Hilarium* audio: *Hæretici convinci possunt, persuaderi non possunt.* Nisi mavis *D. Bernardum* de sui ævi hæreticis audire: *Quantum ad illos pertinet, nec rationibus convincuntur, quia non intelligunt; nec auctoritatibus corriguntur, quia non recipiunt; nec flectuntur suasionibus, quia suo judicio subversi sunt, & in reprobum sensum dati.* Quin Christi consilio, *sinamus hos. cæci sunt, & duces cæcorum.*

CAPUT XI.

De Sacramento Ordinis.

ORdinem verè, & propriè Sacramentum esse, à Christo institutum, certum est: quia habet *Ritum externum, promissionem Gratiæ,* & *mandatum* seu *institutionem divinam.* Uti ipsi Lutherani in Augustanâ confessione & Apologia requirunt. I. *Ritum externum* habet in manuum impositione Act.13. ubi Paulus & Barnabas per manuum impositionem ordinantur Episcopi: *Tunc jejunantes, & orantes, imponentesque eis manus,* Græcè χειροτονήσαντες; quod est, cùm per manus impositionem crearent Episcopos, ut S. Leo & Chrysostomus docent. 1. ad Timoth. 4: *Cum impositione manuum Presbyterij.* Et c.5: *Nemini citò manus imposueris.* 2. ad Timoth. 1. *Per impositionem manuum mearum.* III. *Mandatum* & *institutio* habetur Luc.22: *Hoc facite:* Act.13: *Segregate mihi Saulum, & Barnabam.* Act. 20: *In quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Eph.4: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Pastores & Doctores.* IV. *Minister* hujus Sacramenti est Episcopus, ad Titum 1. *Reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates Presbyteros.* Quâ super re actum *lib. 1. de successione,* & *lib. 2. de potestate Ordinis, & Jurisdictionis.* Et res, inquit Bellarminus, perspicua est, cùm Ecclesia nunquam agnoverit Presbyteros, vel Diaconos, nisi ab Episcopo ordinatos, uti hoc definit exponitque Concilium *Ancyranum, Can. 12: Antiochenum* Can. 10. *Epiph.* hæres. 75. *Damascenus* Epist. 4. *Hieronymus* epist. 85. ad Evagrium; *Chrysostomus, Theodoretus,* alijque Patres in c.3. & 4. prioris ad Timotheum. Inauditum enim est in Ecclesia Catholica, aliquem consecrari Sacerdotem, Diaconum, aut Ministrum Ecclesiæ ab alio, quàm ab Episcopo, quod Lutherus primùm in Saxoniam & Germaniam introducere ausus; tanto populorum seductorum malo, quantâ imposturâ, falsi ministri pro veris Sacerdotibus

bus obtruduntur deceptis miseris hominibus. Id quia Lutherus primùm fecit in sua Ecclesia, fecit & Zwinglius in sua, Calvinus in suâ, Menno anabaptistarum parens in sua, ac cæteri deinde pari modo novos ecclesiarum suarum ministros impositione manuum crearunt. Et quidni in infinitum etiam alij hæretici id faciant? Quid enim juris in hoc habuit Lutherus, quod non idem Calvinus, Zwinglius, Menno, Labbadæus, aut alius novæ hæresis auctor sibi eodem jure arroget? V. Effectus est duplex: Primus, potestas spiritualis perpetua, in cujus signum *character* imprimitur. Secundus *Gratia gratum faciens*, quâ possint ordinati ritè suo munere perfungi.

Augustana vestra confessio hæc tantùm art. XIV. pronuntiat: *De Ordine Ecclesiastico docent, quòd nemo debeat in Ecclesia publicè docere, aut Sacramenta administrare, nisi ritè vocatus sit*: nihil hîc definire ausi, an Ordo sit Sacramentum. Et verò quid VII. Imperij Principes laici, & duæ urbes Imperij *Norimberga*, & *Reutelinga*, à quibus *Confessio* hæc approbata est, judicarent de mysterijs Sacramentorum? Oppone hîc Concilium Tridentinum sess. 23. & videbis, quàm ordinatè, ac solidè hæc pertractant deciduntque Episcopi, & ex orbe Christiano convocati Sacerdotes & Doctores.

Apologia ad art. XIII. ita definit: si per Ordinem intelligatur Sacerdotium simile Levitico, quod pro populo sacrificet, tale se non agnoscere: *Quod si per ordinem intelligatur ministerium verbi, non gravatim vocaverimus ordinem Sacramentum; quia habet ritum per impositionem manuum, & mandatum Dei.* Idem Melanchthon in alijs quoque locis & scriptis à se editis profitetur. Idem Calvinus lib. 4. instit. c. 14. & 19. sensit: quamvis postea tam à Lutheranis, quàm à Calvinistis *Ordo* è numero Sacramentorum extrusus sit, tam aperto ipsorum judicio, (cùm se Episcopos non habere agnoscerent, à quibus Sacerdotes crearentur,) quàm justo simul Dei judicio, qui ecclesias illas statim omni potestate Ordinis, & Jurisdictionis, omnique successione Episcoporum spoliavit, nullo Episcopo cum Luthero, vel Calvino, vel Zwinglio, ad sectas eorum transeunte. Secùs quàm cum Arianis, Donatistis, & priscis quibusdam hæreticis factum est, quibuscum Episcopi defecerunt, & successio aliquamdiu permansit. Quapropter Augustinus lib. 3. de Baptism. c. 15: *Justè detestamur, abominamur, & anathematizamus perversitatem cordis hæreticorum,*

reticorum. Sacramentum tamen Evangelicum ideo non habent, quia per quod utile est, non habent. Lib. 21. de Civit, Dei c. 25: *Per hoc hæretici, & schismatici ab hujus unitate corporis separati, possunt idem percipere Sacramentum, sed non sibi utile, imò noxium sibi, quo judicentur graviùs.* Et mox subjungit: *Quomodo potest manducare corpus Christi, qui in corpore Christi non est, quod est Ecclesia Catholica?* Hæc causa, cur Innocentius I. tempore S. Augustini Pontifex Epist. 18. ad Alexandrum Antiochiæ Episcopum scripserit ab hæreticis ordinatos, iterùm non esse ordinandos, sed solùm debere cessare ab executione Ordinum, donec reconcilientur Ecclesiæ. Quid dicturus Augustinus, si vidisset Ecclesias conflari per eos, apud quos nulla successio Episcoporum, nec ulli validè consecrati Episcopi & Sacerdotes conspicerentur? Eò jam pejor causa vestra, quàm priscorum hæreticorum. Sed his omissis,

Primùm opponatur Augustanæ confessioni & Apologiæ Concilium Tridentinum, sess. 23. Quàm illud explicatè, ordinatè & solidè quatuor capitibus omnem doctrinam de Sacerdotio Christianæ religionis, de Sacramento Ordinis, de Hierarchia Ecclesiæ, cæterisque quæ hîc expeti possunt ex Traditione, Concilijs, & Patribus exponat; ac deinde octo Canonum decretis, octo vestras hæreses de Sacramento Ordinis condemnet.

II. Opponatur, quomodo Catholici præterea Doctores ac Theologi Sacramentum Ordinis ex traditione perpetuâ Ecclesiæ, Concilijs, & Patribus confirment. Inter Concilia habemus *Chalcedonense* can. 2. *Braccarense* II. can. 3. *Carthaginense* IV. cap. 2, in quo ordinationem Episcopi, & can. 3, in quo ordinationem Presbyteri præscribit ijs ritibus, & verbis, quibus Sacramentum est assertum. *Florentinum* consentientibus Græcis & Latinis, *Tridentinum* sess. 23. cap. 2. & can. 3. Inter Patres *Dionysius Areopagita*, lib. 2. de Eccl. Hierarch. c. 5. (quem etiam Lutherus lib. de capt. Babyl. agnoscit inter Sacramenta numerare *Ordinem*;) Chrysostomus lib. 3. de Sacerdot. *Leo I.* Epist. ad Dioscorum Alexand. Epist. 18. Epist. 87. ad Episcopos Mauritaniæ cap. 1. de Ordinatione, *Quis*, inquit, *dissimulare potest, quod in tanti Sacramenti perpetratur injuriam? Innocentius I.* Epist. 18. ad Alexandrum, *Ordinem* cum *Baptismi* Sacramento confert, *Anastasius II.* Epist. ad Anastasium Imperatorem c. 7. damnat Acatij ordinationes, *Quod per iniquum tradita sit gratia Sacramenti. Cy-*

prianus

prianus ferm. de operibus cardinalibus, *Ordinem* Sacramentum vocat, & cum *Baptiſmo* comparat. *Ambroſius* lib. de dignitate Sacerdotali c.5: *Homo imponit manum, Deus largitur gratiam. Hieronymus* contra Luciferianos toto libro confert *Ordinationem* cum *Baptiſmo*; *Auguſtinus* lib. 2. contra Parmenianum c.13: *Ipſi explicent, quomodo Sacramentum baptizati non poſſit amitti, & Sacramentum ordinati poſſit amitti? ſi enim utrumque Sacramentum eſt, quod nemo dubitat; cur illud non amittitur? & illud amittitur? neutri Sacramento injuria facienda eſt.* Lib. de bono conjugali c.24: *Si fiat Ordinatio Cleri ad plebem, etiamſi plebis congregatio non ſequatur, manet tamen in illis ordinatis Sacramentum Ordinationis.* Lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſt. c.1: *Sacramentum Baptiſmi eſt, quod habet qui baptizatur; & Sacramentum dandi Baptiſmi, quod habet qui ordinatur: ſicut autem baptizatus, ſi ab unitate receſſerit, Sacramentum Baptiſmi non amitti; ſic etiam ordinatus, ſi ab unitate Eccleſiæ receſſerit, Sacramentum dandi Baptiſmum non amittit: nulli enim Sacramento injuria facienda eſt* Hinc addit: *Si priuſquàm recederent ordinati ſunt, non utique rurſus ordinantur: Sacramentum enim Ordinis ſui gerunt, & retinent.* Imò lib. 1. de Baptiſm. decies minimùm Sacramentum vocat Ordinationem. Eadem docet Epiſt. 50. ad Bonifacium, Serm. de geſtis cum Emerito, Lib. 2. contra Parmenianos, c.11. Qua in re obſervandum eſt, Auguſtinum non loqui ex ſua ſolùm ſententia, ſed eâ, quæ tum univerſalis Eccleſiæ Catholicæ fuit.

Caroli Magni teſtimonia, de Sacramento Ordinis.

AUguſtino clariſſimo Eccleſiæ Doctori, ſubjungo Carolum Magnum, nam hujus Patris libros diligenter legere ſolitus, magnique ejus doctrinam præ alijs habuit: Nam ita Eginardus de Carolo Magno: *Inter cœnandum, aut aliquod acroama, aut Lectorem audiebat: legebantur & hiſtoriæ, & antiquorum Regum geſta. Delectabatur & libris ſancti Auguſtini, præcipuè ijs, quos de Civitate Dei inſcripſit.* Hinc præ alijs Patribus Auguſtinum toties introduco. Igitur Carolus de Epiſcopis lib. 7. Capitularium c.14: *Qui in ordinandis Sacerdotibus ſanctorum Patrum*

ſtatuta neglexerunt, vel quos refutare debuerunt; conſecrarunt. Unde, ſi qui Epiſcopi talem ordinaverint Sacerdotem, qualem eſſe non liceat, etiamſi aliquo modo damnum proprij honoris evaſerint, ordinationis tamen vim ulterius non habebunt, nec ei Sacramento unquam intererunt, quod neglecto judicio præſtiterunt. Viden', quàm ſignatè *Ordinationem* SACRAMENTUM profiteatur Carolus? & quàm circumſpectè, ſanctèque illud tractari velit, ne indignis facilè manus imponantur, & Epiſcopus ordinans conſcientiam ſuam oneret?

Lib. 5. Capitularium c.37: *Presbyteri non ordinentur, priuſquam examinentur; & ut ante ordinationem pleniter & ſtudioſiſſimè inſtruantur.*

Lib. 6. Capitularium c.81: *Presbyteros, quos unuſquiſque Epiſcopus in ſua Parochia reperit, ſi incogniti fuerint viri illi, à quibus ſunt ordinati, & dubium eſt eos Epiſcopos fuiſſe, an non, qui eos ordinaverunt; ſi bonæ actionis, & Catholici viri ſunt ipſi Presbyteri, & in miniſterio Chriſti, omnique lege ſancta edocti & apti, ab Epiſcopo ſuo benedictionem presbyteratus accipiant, & conſecrentur; & ſic miniſterio ſacro fungantur.*

Eodem lib. cap. 284: *Hominum confirmatio, eccleſiarum, altarium, virginum, chriſmatum, Presbyterorum, Diaconorum & Subdiaconorum conſecrationes à Chorepiſcopis actæ, ab Epiſcopis canonicè ordinatis ſunt reformandæ, canonicèque peragendæ: quia Chorepiſcopi hæc contingere non debuerunt, nec agere potuerunt: non enim ea tribuere valuerunt, quæ non habuerunt: irrita enim,* inquit, *talis ordinatio, & confirmatio, & conſecratio, indubitanter fore agnoſcitur.* Quid de Luthero, Calvino, atque aliarum ſectarum auctoribus dicturum fuiſſe credis Carolum, ſi ab ijs eorumque Superintendentibus, presbyteros & eccleſiæ miniſtros ordinari vidiſſet? qui de Chorepiſcopis, quòd veri Epiſcopi non eſſent, ita pronuntiat, & decernit? Tanta nimirum hujus *Sacramenti* veneratio erat, tanta ſollicitudo, ne falſi miniſtri populo obtruderentur. Sed de his Chorepiſcopis eorumque ordinationibus ſuprà relatum, de quibus toties Carolus in Conſtitutionibus, lib.7. c.187. & 329. Hinc in additione 3. Ludovici Pij c.37. damnantur Scoti, qui ſe Epiſcopos dicebant, & ordinabant Sacerdotes, & Diaconos, cum Epiſcopi non eſſent. Quare ijdem Scoti damnantur in Concilio Cabilonenſi, ſub Carolo Magno can. 43. Quemadmodum jam antè Gregorius II. Gregorius III. & Zacharias Papa Epiſt. ad Bonifacium ejuſmodi homines, qui ſe Epiſcopos ferebant,

ferebant, ab ordinatione proscripserunt. Omnes Caroli constitutiones, omnesque sub Carolo Synodos si pervolvas & revolvas, non aliud reperies, quàm *Ordinationis* hoc *Sacramentum* ab Episcopis administrari & conferri: Quos cum vestra ecclesia nunquam habuerit, nec habeat, nullos etiam veros sacerdotes in administratione Sacramentorum populo dare potuit. Hinc dum Nisanius profitetur: *Sacerdotes propriè dicti, nec dici, nec esse volumus*, nihil in toto suo libro veriùs scripsit.

II. Doctrina Catholicorum est, cum Concilio Tridentino Can. VI: *In Ecclesia Catholica esse Hierarchiam divinâ ordinatione institutam, quæ constet Episcopis, Presbyteris & Ministris.* Capite vero 2. de his ita pronuntiat: *Non solùm de Sacerdotibus, sed & de Diaconis sacræ literæ apertam mentionem faciunt: & quæ maximè in eorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent: & ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolyti, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarij, in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu.* Non hîc repetam Patres, nec Concilia antiquissima, à quibus Ordinum hi gradus traduntur. Vel unum Concilium *Carthaginense* IV. cui D. Augustinus interfuit inter Episcopos, satis esse poterit, quo non modò gradus hi septem Ordinum, nomina, & munia; sed & singulorum ordinationes, ritusque, quibus ab Episcopo singuli consecrandi sint, Cap. 2.3.4.5.6.7.8.& 9. præscribuntur. Carolum Magnum hîc denuò audiamus, Capitularium lib.7. c.340: *Si quis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, aut quilibet Clerici fuerint accusati, monstranda documenta sunt.* Exactiùs in Capitulis Hadriani ad Ingilramum, & Carolum Magnum tom.XIIX. Conciliorum Regiorum Can.72: *Presbyter non adversus Episcopum, non Diaconus adversus Presbyterum, aut Subdiaconus adversus Diaconum, non Acolytus adversus Subdiaconum, non Exorcista adversus Acolytum, non Lector adversus Exorcistam, non Ostiarius adversus Lectorem det accusationem aliquam.* Vide hîc à Carolo *septem Ordinis gradus* recenseri, docerique. Concilium *Cabilonense* Can.23: *Decrevimus secundùm institutionem Presbyterorum, Diaconorum, & cæterorum graduum inferiorum ordinationes, statutis temporibus fieri debere.* Lib.7. Capitularium cap.27: *Qui se divinæ militiæ desiderat mancipare sive inter Lectores, sive inter Exorcistas quinquennio teneatur, exinde Acolytus, vel Subdiaconus quatuor annis, & sic ad benedictionem Diaconatus,*

 si mere-

si meretur accedat. In quo Ordine quinque annis, si inculpatè gesserit, adhærere debebit, & postea si probus fuerit, Sacerdos efficiatur. Lib.5 Capitularium c.184: *Si quis ministros Ecclesiæ, id est, Subdiaconum, Lectorem, Exorcistam, Acolytum, Ostiarium injuriaverit, vel percusserit, componat tripliciter: Diaconi verò, Presbyteri, atque Episcopi injuria in quadruplum componatur.* At nullibi hos gradus Ordinum explicatiùs reperies, quam in Concilio *Aquisgranensi* sub Ludovico Pio, anno Christi DCCCXVI, haud multò post Caroli Magni obitum celebrato. Inde ut ab Apostolorum ævo hos Ordinum gradus acceperat per traditionem Ecclesia, ita ad nostra usque tempora toto orbe Christiano servat. Nihil horum apud vos Lutheranos, à quibus primùm hi Ordinum gradus, unà cum Sacerdotio & Hierarchia Ecclesiæ abrogati sunt. Quapropter Augustinus dixit contra Epist. Fundam. c.4: *Tenet me in Ecclesia successio Sacerdotum.* Et Lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap.321: *Quàm multos Episcopos optimos viros, sanctissimosque cognovi, quàm multos Presbyteros, quàm multos Diaconos, & hujusmodi ministros divinorum Sacramentorum, quorum virtus eo mihi admirabilior, & majori prædicatione dignior videtur, quo difficilius est eam in multiplici hominum genere, & in ista vita turbulentiore servare.* Vestram nunc Ecclesiam si aspiciam, ubi Episcopi? ubi Sacerdotes? ubi cæteri hi altaris & Ecclesiæ ministri? solùm ex his Diaconi nomen apud vos retineri video, sed nudum, & sine consecratione, solùmque ex ministerio quodam profani æditui. Nec mirum hæc Lutherum abrogasse, turbasseque in Ecclesia, cùm nec ipse Episcopus esset, nec ullum secum traxerit, à quo vel minimus in Ecclesia Ordo conferri posset. Et quid in toto vestro ministerio, nisi turba profanorum hominum, sine ulla potestate sacra Ordinis, & Jurisdictionis?

De Sacerdotio proprio, et improprio.

Redit ex his, quæ de Sacramento Ordinis diximus, quæstio: *An in Ecclesia Christi sint Sacerdotes propriè dicti?* Negat id de sua Ecclesia Lutherana Nifanius, cujus illa professio est: *Sacerdotes propriè dicti nec sumus, nec dici volumus.* Prorsus ex eadem sententia, quā Apologia Augustanæ confessionis suprà relata docet, per Ordinem tantum conferri *Ministe-*

Ministerium verbi, nullum verò propriè Sacerdotium simile Levitico, quod ad Sacrificium offerendum à Christo institutum sit. Contrà Concilium Tridentinum Sess.23. Can.10: *Si quis dixerit, non esse in novo Testamento Sacerdotium visibile, & externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi, & offerendi verum corpus & sanguinem Christi, & peccata remittendi, & retinendi, sed officium tantum, & nudum ministerium prædicandi Evangelium; vel eos, qui non prædicant, non esse Sacerdotes, anathema sit.* Fundamentum Lutheranæ vestræ hæresis ipse Lutherus jecit, cujus doctrina est: *Omnes promiscuè homines nasci Sacerdotes,* cum potestate ad sacrum ministerium requisita; at ne confusio sit in hoc munere, requiri tantùm certorum hominum deputationem, vel à populo, vel à Magistratu politico factam: ut jam illa scenica impositio manuum, & ordinatio ministrorum quæ à Superintendente, & Prædicantibus accedit, non nisi applicatio ad officium relinquatur. Hinc prætereà docent Lutherani: Ordinationem, & consecrationem Catholicorum Sacerdotum, *esse figmentum quoddam humanum excogitatum à viris rerum Ecclesiasticarum imperitis; aut esse tantùm ritum quendam eligendi ministros verbi Dei, & Sacramentorum.* quam hæresin ob id damnat ijsdem verbis Concilium Tridentinum Can.III. ejusdem Sessionis.

I. Quæ nunc, ut planiùs cognoscantur, advertendum: sicut duplex est *sacrificium improprium,* & *proprium,* de quo suprà lib.3. relatum; ita duplex est *Sacerdotium, improprium,* & *proprium.* Improprium Sacerdotium est, quo omnes Christiani per analogiam quandam vocantur Sacerdotes, quemadmodum D. Thomas 3.p. q.82. art.1. ad 1. dixit: *Bonus laicus dicitur Sacerdos spiritualiter, non autem quoad ordinem.* Unitus est enim Christo per fidem, & Caritatem, non autem per Sacerdotalem potestatem. Quo sensu multi Patres, ut *Irenæus* lib.4. c.20. dixit: *Omnes justi sacerdotalem habent Ordinem. Origenes* Hom. 9. in Leviticum dicit: *Omnes laicos fieri sacerdotes per Sacramentum Confirmationis, & per martyrium* Chrysost. Hom. in Matth. *Omnis sanctus Sacerdos est. Ambrosius* lib 4. de Sacram. c.1. *Unusquisque ungitur in sacerdotium, ungitur in regnum.* Verùm subdit: sed *spirituale regnum, & spirituale sacerdotium.* Quemadmodum S. Petrus in Epist.1. c.2. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta.* Sed hinc præmittit vers.5: *Domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias.* Ita quoque S. Joannes

Apoc. c.1. *Fecit nos regnum & Sacerdotes Deo, Patri suo.* Quæ tamen ab utroque Apostolo ita dicuntur, ut proprium sacerdotium supponant, diversum à legali sacerdotio; eò quòd in Ecclesia Christiana quotidie seipsum Christus offerat, & sacrificet Deo Patri, propriè quidem per propriè dictos Sacerdotes, in sacrificio Missæ; impropriè verò, & metaphoricè per quosvis fideles etiam laicos offerentes impropria sacrificia laudis, precum, & bonorum operum. Neque ob id, quod S. Joannes dicat, *fecisse nos regnum Deo Patri suo*, omnes Christiani propriè Reges sunt, sed impropriè. Ita nec omnes Christiani propriè Sacerdotes sunt, sed ἀναλόγως tantùm. Ita & in veteri testamento 2.Reg. c.6. *filij autem David Sacerdotes erant*, qui tamen ex tribu Levi non erant: hinc & LXX. Interpretes, & Pagninus, *principes aulæ* vertunt. De his *improprijs* ejus Legis Sacerdotibus vide Serrar. in 2. lib. Reg. Mendozam in lib. 1. Reg. Pinedam in cap. XII. Jobi, cæterosque Interpretes.

II. Jam verò præter *improprios* Sacerdotes, necessariò etiam in Christi Ecclesia statuendos esse *proprios* Sacerdotes, quos sola, vera, & Catholica Ecclesia habet, convincitur I. ex Catholica hujus sacramenti Ordinis doctrinâ.

Quicunque enim à vero Episcopo consecrati, accipiunt potestatem in corpus Christi verum & mysticum, sunt verè, & propriè dicti Sacerdotes; Atqui in Ecclesia Catholica à vero Episcopo consecrati accipiunt potestatem in corpus Christi verum, & mysticum: Ergo in Ecclesia Catholica sunt veri, & propriè dicti Sacerdotes.

Major certa est, atque evidens ex Christi institutione, ex Apostolorum facto, & doctrinâ, ex perpetua Ecclesiæ traditione, ex Conciliorum statutis, ex SS.PP. testimonijs, ex praxi totius Ecclesiæ Catholicæ. Atque in hoc differunt proprij Sacerdotes non modò à Christianis, qui impropriè vocantur Sacerdotes, sed & à Diaconis, cæterisque Ecclesiæ ministris (quantumvis etiam in his Præpositi, Archidiaconi, aut in alia dignitate conspiciantur) eò quòd hac potestate in corpus Christi verum, & mysticum non sint præditi. Eò nunc spectant omnia, quæ tam magnificè de dignitate sacerdotali à Patribus sunt tradita, & à Regibus, ac Christianis honori Sacerdotum delata, & tot Sanctorum exemplis, & Scriptorum libris illustrata.

Minor quoque certa est, ex hoc Sacramento Ordinis. Nam primò confe-

consecratus ab Episcopo accipit per porrectionem patenæ cum pane, & calicis cum vino potestatem consecrandi, & offerendi corpus, & sanguinem Christi, hac verborum forma: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasque celebrare, tam pro vivis, quàm pro defunctis.* Deinde per impositionem manuum accipit potestatem in corpus Christi mysticum, remittendi nimirum, & retinendi peccata, hac verborum forma: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt.* Dicere autem, quod Apologia August. confess. criminatur, hæc esse figmenta ab imperitis rerum Ecclesiasticarum excogitata, quid est aliud, quàm insanire cum hæreticis, & damnare universam Ecclesiam?

An tu dices, omnes à S. Petro Pontifices, & in sede Petri successores, omnesque orbis Christiani Episcopos, aut nescisse, quam potestatem darent in consecratione Sacerdotibus? aut Sacerdotes nunquam intellexisse, quam potestatem acciperent in ordinatione sua? Ut serò tandem sublime illud munus *consecrandi, offerendi* sacrificium, & *remittendi* peccata commutandum fuerit in *ministerium verbi?* Aut totum orbem Christianum ab Episcopis, & Sacerdotibus hactenus illusum esse, donec Lutherus cum apostatis monachis, & Sacerdotibus; aut Melanchthon aliquis homo laicus, cum morosophis laicis novam Ecclesiæ formam introduceret?

Imò quot sanctos Episcopos & Sacerdotes per Saxoniam à Caroli Magni ævo; quot per Franciam, Hispaniam, Galliam, Angliam, Italiam, & per totum orbem Christianum, *te judice,* oportet idololatras facere? quòd immani & commentitio superstitionis ritu sacrificium Missæ obtulerint, & pro *Deo, panem* adorandum populo proposuerint.

Quin hoc ritu Catholicorum ipse Lutherus consecratus fuit Sacerdos, & per tot annos sacrificium Missæ obtulit. At quâ nunc auctoritate Scripturæ? quo verbo Dei tradito? quo Concilio? cujus sancti Patris testimonio? quo scriptore ante Lutherum, demonstrabitis hæc omnia commutanda esse in ministerium verbi, & duorum Sacramentorum, Baptismi videlicet, & Cœnæ? Quando ministerium Baptismi, & verbi Dei, etiam Diaconi commune habent cum Sacerdotibus. Quare ab hoc ministerio verbi excluditis ministerium reconciliationis per sacramentum pœnitentiæ? de quo Apost. 2. Cor. 5. *Qui reconciliavit nos per Christum,*

ſtum, & dedit nobis miniſterium reconciliationis? Aut quarè tam arctè illud miniſterium ſacerdotale inſtringitis? quod tam amplè, & magnificè extendit Apoſtolus 2. Corinth.3. 1. Cor.4. Eph.4. 2. ad Timoth. 4. & Epiſt. ad Hebræos. Interim omnis gloriatio veſtra in miniſterio verbi Dei, cùm tam corruptum ſit verbum Dei apud vos, quàm falſum eſt miniſterium, ſine poteſtate Ordinis, & juriſdictionis. Sunt & apud nos *miniſtri verbi* Dei, Actor.6. ſed ij miniſtri ſimul vel Epiſcopi, vel Sacerdotes propriè dicti, vel Diaconi apud nos ſunt, cum poteſtate docendi. *Quomodo* enim *prædicabunt, niſi mittantur?* Rom.10. Quorum utrumque apud vos deficit.

Sed vellem ego hic ſcire primùm, cùm dicis, vos *propriè Sacerdotes non eſſe*; An hæc omnium Lutheranorum, ſit una, & eadem tecum ſententia? Nam paſſim Lutherani per Saxoniam ſuos Paſtores vocant *Sacerdotes.* Imò in Daniæ, & Sueciæ regno Lutherani ſuos Epiſcopos exhibent, diſtinctos haud dubiè à laicis. Hujus rei vellem ferres mihi primùm ab omnibus Lutheranis eccleſijs teſtimonium.

Deinde vellem ſcire, an tu etiam propriè dictus *Epiſcopus* ſis, qui te *Superintendentem* loco Epiſcopi fers? ratio nobis dubitandi eſt, quia Epiſcopatus neceſſariò ſupponit, & eſſentialiter includit ſacerdotium. Inauditum enim eſt in Eccleſia Catholica, Epiſcopum conſecrari, qui priùs Sacerdos non fuerit conſecratus. Et ſi propriè dictus Sacerdos non ſis, quomodo propriè dictus Epiſcopus eris?

Demum, ſi propriè dictus Sacerdos non ſis, quid ergo hominis es inter Miniſtros Eccleſiæ tuæ? qui nec propriè dictus Diaconus, nec Clericus etiam ex aliquo inferiorum Ordinum gradu? Reſtat ergo, ut te inter laicos computemus. Interim tu pro Superintendentis munere imponis alijs manus, & Prædicantes ac verbi Dei miniſtros creas, & nihil aliud facis, quàm ſi urbanus Prætor id faciat. Et quid vetat, uxorem tuam, ſi præcinctorium imponat pædagogi alicujus capiti, idem non conferre, ſi tu nihil præſtes?

III. Eccleſia vetus per Moyſen à Deo inſtituta, veros & propriè dictos habuit Sacerdotes, eoſque per ſuam conſecrationem, & unctionem, cumprimis ad ſacrificia ejus legis ordinatos; (ut in Levitico, & totâ Scriptura leges,) ergo & Chriſti Eccleſia veros, & propriè dictos Sacerdotes habeat neceſſe eſt, quòd in his omnibus ſacerdotium legale typus

typus fuerit Sacerdotij Christiani, ut Becanus in Analogia veteris Testamenti, & Scripturæ interpretes te docebunt. Hæretici, quia Ecclesiam suam sine vero, & propriè dicto sacerdotio introducunt, ne quidem ad umbras illas accedunt, sed infra egena illa, & infirma elementa Ecclesiam sibi formant, qui tamen Reformatores Ecclesiæ se ferunt. Et si ad legem naturæ etiam recurras, in qua status Ecclesiæ longè imperfectior fuit, reperies tamen in ea veros, & proprios Sacerdotes. Quis enim negabit, Melchisedech verum & propriè dictum sacerdotem fuisse? sed de his lib. 2. relatum.

III. Ubi est verum, & propriè dictum religionis Sacrificium, ibi & verum, & propriè dictum Sacerdotium sit necesse est: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis.* Hebr. 5. At in Christi Ecclesia est verum, & propriè dictum religionis Sacrificium, ergo & Sacerdotium. Hinc Apostolus ad Hebr. c. 7. *Translatum* dicit *Sacerdotium*, non abrogatum: seu quod in lege veteri erat Aaronicum, typicum, & imperfectum, id commutatum est in sacerdotium secundùm Ordinem Melchisedech, longè perfectius, præstantius, & sublimius, ut multis docet Apostolus Epistolâ ad Hebr. juxta illud Prophetæ in psalm. 109. *Tu es sacerdos in æternum, secundùm Ordinem Melchisedech.* Planè Augustinus lib. 5. de Civit. Dei c. 20: *Verus ille mediator, in quantum formam servi accipiens, mediator est Dei & hominum, homo Christus Jesus, cùm in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo & unus est Deus; tamen in forma servi sacrificium maluit esse, quàm sumere: ne vel hac occasione quisquam existimaret cuilibet sacrificandum creaturæ. Per hoc & Sacerdos est ipse offerens, ipse & oblatio, cujus rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium. Hujus veri sacrificij, multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca Sanctorum, cùm hoc unum per multa præfiguraretur. Huic summo veroque sacrificio cuncta sacrificia falsa cesserunt.* Chrysost. Hom. 3. de prodit. Judæ: *Sacerdotis ore verba proferuntur, sed Dei virtute, & gratiâ propositâ consecrantur: & sicut illa vox, Crescite & multiplicamini, & replete terram, semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem operante natura; ita & vox ista, Hoc est corpus meum, & Hoc facite, semel quidem à Christo dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ, usque*

ad hodiernum diem, & usque ad Christi adventum præstat sacrificio firmitatem. Sed de his lib. 3. satis relatum est.

IV. Quid obsecro nomina illa ἱερωσύνη *Sacerdotium*, & ἱερεὺς *Sacerdos*, quæ non modò in tota Scriptura sacra, sed & in omnibus Græcorum Concilijs & Patribus legis? an illa ullus interpres vertit in *ministerium verbi*, aut *ministrum verbi Dei?* aut in ullo Concilio, & Patre legis, per illa omnia designari tantùm ministerium verbi, ut vos accipitis, aut ministrum verbi Dei, ut non ubique Sacerdotem in Ordine ad Sacrificium significent? semel lego in Scripturis sacris *Ministerium verbi* in terminis, Act. 6: *Nos verò orationi, & ministerio verbi instantes erimus,* Græcè ἡμεῖς δὲ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ διακονίᾳ τοῦ λόγου προσκαρτερήσομεν. Quantum hîc discrepant ἱερωσύνη, & διακονία? quorum alterum sacerdotium in Ordine ad Sacrificium dicit. Hinc & interpretes hîc per orationem intelligunt sacrificium Missæ, in quo efficacissimus est orandi modus. Alterum ministerium verbi significat, quod Diaconi etiam cum Sacerdotibus commune habent, ut constat de S. Stephano Act. 7, & Philippo Act. 8. Nec tamen unquam legimus Diaconos aut consecrasse Eucharistiam, aut sacrificium Missæ obtulisse, eòque nec Sacerdotes unquam appellatos esse. Ac tametsi Apostoli sub initium abstinuerint à vocibus *Sacerdotis*, & *sacrificij* ex causis, de quibus lib. 2. relatum est, sufficit tamen ad hanc rem Apostolus Paulus, dum Christum secundùm ordinem Melchisedech toties introducit Sacerdotem & Pontificem, ad Hebr. c. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Apoc. 1. 5. & 20. 1. Pet. 2. A Christo autem omnes Sacerdotes novi Testamenti, qui propriè sunt Episcopi, & Presbyteri ritè consecrati. Quanquam omnia hîc expleat verbum Dei traditum, & usus horum nominum *Sacerdotij*, & *Sacerdotum* apud omnes Christianorum Ecclesias, tam in Oriente, quam Occidente, vel ab ipso Apostolorum ævo: quæ à Luthero primùm abrogata sunt, postquam *Sacrificium* Missæ, quod est proprium religionis sacrificium, & *potestatem* Ordinis ex Ecclesia sustulisset, ut sub larva illa *Ministerij* verbi, novum suum *evangelium*, novamque hæresin incauto populo obtruderet; ne audito nomine *Sacerdotum* populus in sacrificium, in Episcopos, in Presbyteros, & potestatem Ordinis inquireret, eaque à suis ministris requireret: *Fides enim nominum*, inquit Tertullianus lib. contra Marcionem,

nem, *salus est proprietatum.* Et si Cypriano Epist. 6. de priscis hæreticis dicere licuit: *Si qui Ecclesiam contemnunt, ethnici, & publicani habentur; multo magis rebelles, & hostes falsa altaria, & illicita Sacerdotia, & sacrificia sacrilega, & nomina adulterata fingentes, inter ethnicos necesse est computentur.* Quid de vobis dicemus, qui hæc omnia multo turbulentiùs immutastis, & invertistis? quò constaret, vos supra priscas etiam hæreses insanire.

IV. Si Concilia porrò & Patres consulamus, quid testatiùs, & manifestiùs? nam ut Patres omittam, qui Apostolos à Christo in ultima Cœna propriè dictos Sacerdotes consecratos docent: quemadmodum id etiam Concilium Trid. sess. 22. cap. 1. definit, eoque *primitiæ sacerdotij secundùm ordinem Melchisedech* appellati sunt; tum omnia illorum scripta plena sunt. Hinc Anaclêtus tertius à S. Petro Pontifex Epist. 1. *In novo Testamento post Christum à S. Petro Sacerdotij cœpit Ordo.* Hoc sensu omnes Patres de proprio sacerdotio loquuntur: *Ambrosius* lib. de sacerdotali dignitate, *Chrysostomus* libris sex de sacerdotio, *Dionysius Areopagita* c. 1. 3. 5. *Cyprianus* in singulis propè Epistolis, *Hieronymus* contra Luciferianos, *S. Gaudentius* Episcopus tract. 2. de Exod. *Dominus discipulis fidelibus mandat, quos primos Ecclesiæ suæ Sacerdotes constituit, ut indesinenter vitæ æternæ mysteria exercerent, quæ necesse est à cunctis Sacerdotibus per singulas Orbis Ecclesias celebrari.* Et quis hic omnium Patrum testimonia percenseat? cùm satis constet, Episcopos Apostolis, & Sacerdotes septuaginta Discipulis succedere; quorum illi majores, hi minores Sacerdotes vocantur. Et quid altaria? quid sacrificales calices? quid sacerdotalia ornamenta? nisi proprios ex omni antiquitate Sacerdotes commonstrant? Quid Pontificalia, seu Pontificalium rituum libri? ex quibus Sacerdotes consecrantur; quid Missalia, seu rituum sacrorum libri? è quibus sacrificium Missæ peragitur, aliud testantur, quàm proprios Sacerdotes, quorum nullus unquam usus fuit laicis? Eò spectant, quæ Concilia, & Patres de Sacerdotum consecratione, de eorum proprio officio, & muneris sacerdotalis eminentiâ supra Principes & Reges scripsêre. Quid censes Nisani? quando legis in S. Augustino *lib. contra Epist. Fundament.* c. 4. *Tenet me in Ecclesia ab ipsa sede Petri successio Sacerdotum*; Et in psal. contra partem Donat. *Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa sede Petri:* Quos inquam censes designari Sacerdotes? proprios, an im-

proprios? certè successio ex Pontificum, ac Episcoporum serie deducitur à Patribus, qui propriè sunt Sacerdotes. Sed nunc clarissimum Augustini testimonium accipe, quo hæresis tua in *terminis* damnatur. Libro enim XX. de Civit. Dei, c.X. sic Augustinus: *Erunt Sacerdotes Dei, & Christi, & regnabunt cum illis mille annis: non utique de solis Episcopis, & Presbyteris dictum est, qui propriè jam vocantur in Ecclesia sacerdotes: sed sicut omnes Christianos dicimus, propter mysticum chrisma, sic omnes Sacerdotes, quoniam membra sunt unius sacerdotij.* Quid hîc dices Nisani? Augustinus Episcopos, & Presbyteros propriè dicit vocari, atque esse Sacerdotes. Voce *propriè* nominatim positâ, ut Sacerdotes proprios ab improprijs distinguat. Cui nunc par est credere? Augustino affirmanti, an tibi neganti? Nam tua professio est: *Propriè Sacerdotes nec esse, nec dici volumus.* Interim tu in toto libro nihil veriùs scripsisti de tua Lutherana ecclesia, quæ Sacerdotes veros non habet; eò quòd Lutherus, nec Episcopus fuerit, nec Episcopos secum traxerit, à quibus veri Sacerdotes consecrari potuerint: Et quod indè consequens est, nec veram Ecclesiam habetis: *Nam Ecclesia non est, quæ Sacerdotes non habet:* Sed in horum locum *Superintendentes*, & *Prædicantes*, larvas Episcoporum, & simulacra Sacerdotum obtrusistis, ut verè exclames cum Zacharia Propheta c.11. v.17: *O Pastor & idolum!* Sensim vos Prædicantes populo persuadere poteritis, nec Angelos, nec Spiritus, nec Cælites, nec inferos esse, qui jam Pontifices, Episcopos, & Sacerdotes, populo vobis applaudente sustulistis ex Ecclesia.

CAPUT XII.

De Matrimonij Sacramento.

Conjunctio viri cum femina tametsi in lege naturæ & Mosaica intra contractum civilem constiterit, Christus tamen hoc ipsum *Matrimonium* contractumque in lege Gratiæ ad *Sacramentum*

mentum evexit, atque inde ex Christi institutione *Matrimonium* verè, & propriè *Sacramentum* est inter Christianos. Quemadmodum de eo planissimè Apostolus Epist. ad Eph. c.5: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Et res manifesta etiam ex Lutheranorum principijs. Habet enim primo *Ritum externum*, id est, contractum visibilem inter virum & feminam, non qui contractus merè civilis & naturalis sit jam ampliùs, sed qui signum seu symbolum verè sacrum sit. Nam cùm Apostolus dicit, *Sacramentum hoc magnum est*, pronomen *Hoc* demonstrativum referri debet ad id quod præcessit; at proximè præcessit illud vers.31: *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una*; Inde continenter vers. 32. subdit: *Sacramentum hoc magnum est.* Græcè μυστήριον, Syriacè *Arcanum*, Latinè *signum rei sacræ*, nempe *in Christo & in Ecclesia*, seu ut in Græco textu est εἰς χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν. Est enim Matrimonium repræsentativum conjunctionis Christi cum Ecclesia factæ in Incarnatione, quâ Christus visus est relinquere *Patrem* suum, postea etiam *matrem* suam *Synagogam*, ut *sponsæ suæ*, Ecclesiæ videlicet Christianæ adhæreret. Igitur sicut Matrimonium Adæ cum Eva, & cæterorum veteris Legis, erant signum futuræ illius conjunctionis Christi cum Ecclesia, ita Matrimonium novæ legis est signum conjunctionis jam factæ, ideoque à Christo institutum propriè dictum *Sacramentum*, conferens gratiam, & mutuum conjugum amorem, de quo suprà tota Apostoli cohortatio: *Viri diligite uxores vestras.*

II. Habet deinde promissionem gratiæ infallibiliter annexæ, quam Apostolus 1. ad Timoth. c.2. pluribus explicat, cùm quatuor enumerat matrimonij Christiani bona; contra quatuor mala, quæ per hanc gratiam Dei evitantur: *Salvabitur*, inquit, *per filiorum generationem, si permanserit in fide* mutuo nimirum datâ, acceptâque gratiâ, *& dilectione, & sanctificatione, cum sobrietate*, quibus confirmati tutique reddentur à perfidia, odio, immunditia, & intemperantia. Quare Concilium Tridentinum sess.24: *Gratiam, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus venerabilium Sacramentorum institutor & perfector, suâ nobis passione promeruit, quod Paulus Apostolus innuit, dicens: viri diligite uxores*

vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam; & seipsum tradidit pro ea. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.

Habet prætereà institutionem Christi Matth.19: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Nec alia de causa Joan.2. Christus ipse nuptijs interesse voluit, & insigni miraculo exornare, uti præter cæteros Augustinus in hunc locum docet. Quemadmodum & Apostolus 1.Cor.7: *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit*; Et 1. ad Timoth. 4. monet hæreticos futuros, qui damnaturi sint matrimonium; Et Hebr. 13: *Honorabile conjugium* docet. Demum de his omnibus ita Concilium Tridentinum sess.24: *Cùm igitur Matrimonium in lege Evangelica veteribus connubijs per Christum gratiâ præstet, meritò inter novæ legis Sacramenta annumerandum sancti Patres nostri, Concilia, & universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt.* Nec inter Doctores, scriptoresque Catholicos alius ferè præter Durandum diffidet, qui Matrimonium *æquivocè* Sacramentum dici opinabatur.

Augustana vestra confessio, in re tanti momenti nihil meminit, duobus tantùm Sacramentis contenta. Apologia Melanchthonis *institutionem* quidem Matrimonij, & *mandatum* agnoscit, sed inter propriè dicta Sacramenta non admittit, quamvis aliquo modo Sacramentum dici posse agnoscat: homo ubique fluctuans, seu quòd tum nondum excocta esset tota hæresis, seu quòd Philologus ille, nec fidei, nec Theologiæ principia caperet. Lutherus lib. de capt. Babyl. Matrimonium prorsus rejicit esse Sacramentum, quod neque signum sit à Christo institutum, nec promissionem gratiæ habeat. Calvinus lib.4. instit. cap.19. scribit Matrimonio non magis convenire rationem Sacramenti, quàm *agriculturæ*, aut *tonstrinæ*, aut *sutoriæ* arti: ita homines illi ludunt & jocantur cum mysterijs fidei. Erasmus, *quod,* inquit, *mysterium, si viro uxor conjungatur? id enim quotidie fieri videmus.* Quasi verò *Baptismus*, & *Cœna*, etsi quotidie administrentur, mysteria ob id esse desinant.

At verò, quàm longè alia sanctorum Patrum, Scripturæ, Traditioni, & Concilijs inhærentium sententia, & judicium? Ambrosius in commentario cap.5. ad Eph. *Mysterij Sacramentum grande in unitate viri, & fœminæ esse significat.* Idem lib.1. de Abraham. c.7. ubi tractat conjugium contra legem Dei celebratum, non posse esse *Sacramentum. Qui enim,* inquit, *sic egerit, peccat in Deum, cujus legem violat, gratiam solvit: & ideò,*

ideò, quia in Deum peccat, Sacramenti cælestis amittit consortium. S.Leo Epist.92.ad Narbonensem Episcopum, *Unde,* inquit, *cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum; dubium non est, eam mulierem non pertinere ad Matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium.* Chrysostomus in Epist. ad Ephesios ex Apostoli testimonio, *Bene,* inquit, *dixit Apostolus: Magnum est hoc mysterium; Veruntamen ista allegoria dilectionem conjugalem non evertit.* Et mox: *Revera mysterium est, & magnum mysterium, relicto eo qui genuit, eo qui aluit, etiam eâ quæ peperit, adhærere unum illi, quæ antea neque visa sit.* Ita prorsus *Syricius* Papa Epist. 1. c.4. *Innocentius I.* Epist.9. *Cyrillus* lib.2. in Joan. c.22, alijque innumeri, quos inter clarissimè *Augustinus* lib.1. de Nuptijs & Concupisc. c.10: *Sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis, unde dicit Apostolus: viri diligite uxores vestras.* Lib. de Sanct. Virginit. c.12: *Habent conjugia bonum suum, non quia filios procreant, sed quia thori fidem invicem servant, quia Sacramentum connubij non violant.* Lib. de bono conjugali c.18: *In nostrarum nuptijs plus valet sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas uteri.* Cap.24: *Bonum nuptiarum per omnes gentes, atque omnes homines in causa generandi est, & in fide castitatis: Quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti.* Quibus verbis satis distinguit Augustinus Matrimonium infidelium, à fidelium Christianorum; quorum postremum Sacramentum sit, secùs quàm infidelium fuerit. Quod ipsum etiam lib. de fide & operibus cap.7. confirmatiùs asserit: *In civitate,* inquit, *Domini, in monte sancto ejus, hoc est, in Ecclesia, nuptiarum non solùm vinculum, sed etiam Sacramentum commendatur.* Ac tametsi Matrimonium Adami & Evæ, & Patriarcharum connubia largo modo Sacramenta dicantur, quòd futuram Christi cum Ecclesia conjunctionem typicè designarint, non tamen propriè ut matrimonia Christianorum, Sacramenta fuerunt: quod cùm ex traditione, Concilijs, & Patribus constat, tum vel maximè ex definitione Ecclesiæ nobis indubitatum est, quæ est *columna & firmamentum veritatis.*

Caroli Magni testimonia.

Accedunt ad Patres Caroli Magni testimonia: Is libro 7. Capitularium cap.80: *Nulla mulier pertinet ad Matrimonium, in qua nuptiale*

ptiale mysterium non fuerit. Quod haud aliud mysterium, & Sacramentum, quàm quod eodem libro cap.363. *Legitimum* vocat *conjugium à Patribus, & à SS. Apostolis traditum.* Ad quam traditionem se quoque *Concilium Tridentinum* revocat. Eodem lib. Carolus c.304: *Notum sit omnibus, quod conjugium à Deo sit constitutum, & non sit appetendum causâ luxuriæ, sed procreatione filiorum*; & cap. sequenti: *Sciendum est omnibus, & firmiter retinendum, quod hi qui uxores ducere voluerint, sicut eas castas, & incorruptas cupiunt invenire, sic ad eas casti, & incorrupti debent accedere, easque cum benedictione Sacerdotis, sicut in Sacramentario continetur, accipere; &c.* Hic audis inter cætera Sacramenta de eo agi in Sacramentario, quem librum *Ritualem* seu *Agendam* nunc dicimus.

Huc accedit, quod ratio Sacramenti hujus fundetur in indissolubilitate Matrimonij quoad vinculum, de qua pluribus Bellarminus, & Theologi omnes. At verò Lutherus in cap. 1. ad Corinth. 7. & lib. de causis Matrimonij; Calvinus lib. 4. instit. c.9. uti passim Lutherani, Calvinistæ, anabaptistæ Matrimonium quoad vinculum docent esse solubile. Secùs longè Carolus Magnus lib.6 cap.63: *Hi vel hæ, qui uxores aut viros dimittunt, non nubant: sed aut continentes maneant, aut sibimet reconcilientur.* Idem cap.87. ejusdem libri præscribitur. Rursum lib.6. cap. 215. & Addit. 2. c.20: *Matrimonium etiam ob causam fornicationis non est dissolvendum, qui alteram duxerit, adulter erit.* Lib.7. cap.55. *Vivente viro & uxore, nemo eorum alteri copuletur Matrimonio; quod in utrâque parte adulteri sint, si faciant.* Eadem præscripta sunt in Constitutionibus, in Concilio *Aquisgranensi I.* Can. 69. ex Concilio *Africano*, alijsque Carolinis Synodis. Jam si de impedimentis ex cognatione spirituali, sive de impedimentis, quæ ex votis religiosæ vitæ, sacrilegisque Sacerdotum & Monachorum nuptijs toties repetuntur; Si de gradibus Consanguinitatis, & affinitatis agamus, quàm multa in Caroli Capitularibus & Synodis, quæ Lutheranæ vestræ religioni adversantur? Verùm ut in cæteris, ita sublato semel Sacramento Matrimonij, placuit novitati & libertati vestræ, saluberrimas Ecclesiæ leges, Conciliorum placita, & Patrum decreta subvertere: tanquam vobiscum demum nata sit Ecclesiæ veritas.

Interim verum nobiscum *Matrimonium* habetis in sanctitate *Sacramenti:* ac tametsi de nullo Sacramento planiùs expressiusque Sacramenti

menti nomen extet in Scriptura, quàm de Matrimonio, teste Apostolo ad Eph. c.5. *Sacramentum hoc magnum est, in Christo & in Ecclesia.* Sacramentum tamen propriè & verè institutum à Christo, traditumque in Ecclesia non recipitis. Et quæ amentia? malle ad legem naturæ & legem Mosaicam redire, atque ex contractu merè Civili, inter egena & vacua elementa, quàm inter Sacramenta Christianorum plena gratiæ ex meritis Christi Matrimonium numerare? Seu id Lutherus cum apostatis sacerdotibus, & monachis, auctoribusque vestræ religionis fecerit, quod Sacerdotium suum cum Matrimonio non potuerit componere, nisi utrumque Sacramentum abrogaret, & cæteros ad hanc sacrilegæ vitæ licentiam invitaret; seu id astu diaboli, odioque Catholicæ religionis factum sit: ex quo simul in reprobum sensum datus, omnia simul Sacramenta pervertere ausus est.

Interim ex Matrimonio omnis vestra criminatio, & accusatio in Catholicos vertitur. Nam quia cœlibatum Sacerdotum ex Apostolicâ traditione & Ecclesiæ lege docemus, ac Monachis, & per vota castitatis Deo obstrictis religiosis utriusque sexûs hominibus Matrimonia interdicimus, damnamur à vobis inter hæreticos *prohibentes nubere*, & abstinentes à cibis, quos Deus creavit, de quibus Apostolus 1. ad Timoth. 4. Audimurq; passim *Ebionitæ*, *Marcionitæ*, *Manichæi*, *Tatiani*, *Encratitæ*; tanquam cum illis doceamus nuptias per se illicitas esse, & cibos quosdam ex natura immundos: cùm nulla hoc sæculo religio *Matrimonium* sanctiùs veneretur, quàm *Catholici*. Vos, uti cæteræ omnes sectæ, Matrimonium intra *contractum civilem* relinquitis, ut in lege naturæ, & Moysis, aut apud gentes infideles fuit; Catholici ex Christi & Apostolorum doctrina, ad *Sacramenti* dignitatem & sanctitatem evehunt.

At dicitis: idem Apostolus docet Epistola ad Hebr. c.13: *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Si in omnibus, inquiunt; ergo & in sacerdotibus, & in monachis, ac monialibus, quantumvis voto castitatis Deo obstrictis. Quàm hæc perversa interpretatio! Si in omnibus honorabile, ergo & inter fratres ac sorores, ac consanguineos proximorum graduum. Quis præter vos, unquam sic est ratiocinatus? Est igitur in omnibus honorabile, in quibus contrahi potest; seu *in omnibus*, non tam ad *personas* referendo, quàm ad ipsum *Matri-*

monium, quod ex omni parte *honorabile* eſt, ſive rationem *Sacramenti*, ſive *bonum fidei*, ſive *bonum prolis*, cæteraque ſpectes. Cæterùm Matrimonia monachorum & monialium, Deoque conſecratarum virginum, Concilia & Patres ſacrilegia vocant. Quam labem, nunquam veſtra religio ex Lutheri Matrimonio, neque Calviniana ex Calvini, neque anabaptiſtæ ex Mennonis, neque cæteræ ſectæ ex *apoſtatarum* ſacerdotum, auctorumque ſuæ novæ religionis, dum Chriſtiana religio integra conſtiterit, abſtergent. Et quem ex omni antiquitate non modo poſt Carolum Magnum ad Lutheri tempora, ſed & ab ipſo Apoſtolorum ævo ad Carolum Magnum produces Epiſcopum, aut Sacerdotem, aut Monachum, aut conſecratam Deo virginem, aut laudabilem etiam Diaconum, cui in Occidentali Eccleſia publicè contrahere Matrimonium, ac filios procreare conceſſum fuerit? Monſtra hæc fuiſſent ſpectare majores, donec Lutherus Matrimonium cum moniali contrahere viſus, ejuſque doctrina hos monſtroſos primùm partus in lucem edere cœpit, & Eccleſiæ ordinem ac diſciplinam turbare. Nos certè Catholici *talem conſuetudinem neque habemus, neque Eccleſia Dei*. 1. Cor. 11, quæ ejuſmodi *ſacrilega matrimonia* ſemper damnavit. Quare & S. Auguſtinus præter ea, quæ ſuprà retuli de cœlibatu ſerm. 13: *Quicunque continentiam voviſtis, reddite quod voviſtis: quia non exigeretur, ſi non voviſſetis. Quod potuit licere, non licet: non quia nuptiæ damnantur, ſed quia qui retroſpicit damnatur.* Ita de viduis Concilium Carthaginenſe 4. c. 104: *Viduæ, quæ matura ætate à viro relictæ, ſe devoverunt Domino, & veſte laicali abjectâ, ſub teſtimonio Epiſcopi & Eccleſiæ, religioſo habitu apparuerint, poſtea verò ad nuptias ſæculares tranſierunt, ſecundùm Apoſtolum 1. ad Timoth. 8. damnationem habebunt, quoniam fidem caſtitatis, quam Domino voverunt, irritam facere auſæ ſunt.* Concilio huic interfuit S. Auguſtinus cum CCXIII. Epiſcopis, & ſubſcripſit. Imò SS. Patres ideo inter cæteras cauſas, quare *Epiſcopus continens*, extraque ſtatum Matrimonij eſſe debeat, hanc reddunt: ut caſtitatem ſtatumque virginitatis ſuo exemplo docere poſſit. Id verò quomodo Proteſtantium *Prædicantes*, & *Superintendentes*, qui ſe Epiſcopos ferunt, præſtare poterunt? quos omnes in amplexus uxorum & Matrimonia laſciviùs, quàm ullum genus hominum ruere videmus; ac ſanctiſſimum illud vitæ inſtitutum, quod ab Apoſtolorum

ævo

ævo toto orbe Christiano florentissimum fuit, tantumque à Carolo Magno per Saxoniam provectum, dissolvere, ipsamque Ecclesiam Catholicam ex disciplina Christiana, & fidei unitate, in tot ac tam discrepantes sectas distrahere. Verè Augustinus lib.18. de Civit. Dei c.51: *Postquam diabolus vidit templa dæmonum deseri, & in nomen Mediatoris currere genus hominum; hæreticos movit, qui sub vocabulo Christiano, doctrinæ resisterent Christianæ: quasi possent indifferenter sine ulla corruptione haberi in civitate Dei, sicut civitas confusionis indifferenter habere potuit Philosophos inter se diversa, & adversa sentientes.*

Atque hæc de *Sacrificio Christianæ Religionis*, & de VII. Ecclesiæ Catholicæ *Sacramentis* paucis ex Scriptura, Traditione, Concilijs, Patribus, totiusque Ecclesiæ Catholicæ consensu. Appellant *adversarij* in omnibus ad *Scripturam*; hinc primò eam stitimus: & ita stitimus, ut secundùm illorum principia, & definitionem, *Sacramenta* ex *Scripturis* asserta sint, & Caroli etiam testimonijs comprobata. Quid ultra exigent? Si quid ex Scriptura minùs clarè *pro oculis vestris* assertum; ad *Ecclesiæ judicium* denuò provocamus, de quo S. Augustinus lib. I. contra Cresconium c.23: *Scripturarum à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod universæ jam placuit Ecclesiæ: quam ipsa Scripturarum commendat auctoritas: ut quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ambiguitate sancta Scriptura demonstrat.*

LIBER IV.

DE JUSTIFICATIONE, MERITIS BONORUM OPERUM, DIVINÆ LEGIS OBSERVATIONE, QUINQUE ECCLESIÆ PRÆCEPTIS, ET CULTU SS.

QUæ superiore libro de *Sacrificio*, & *Sacramentis* egimus, ea nunc consequuntur ex instituto ordine, quæ hîc de *Bonis operibus*, de *Mandatorum Dei observatione*, de *Quinque præceptis Ecclesiæ, de Cultu religioso* dicturi sumus; quòd his justificatio per Sacramenta tam vivorum, quàm mortuorum parta conservetur, augeaturque; nec sine his vita æterna homini Christiano à Deo promissa sit; falsaque sit Novatorum doctrina, quæ per *solam* fidem justificationis opus, & vitam æternam promittit: quod vel ex uno D. Augustini libro, *de Fide & bonis operibus*, discere poterant, in quo inter cætera cap. 15. ita scribit: *Si mandatis non servatis, ad vitam veniri potest per solam fidem, quæ sine operibus mortua est; illud deinde quomodo verum erit, quod eis, quos ad sinistram positurus est, dicit: Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus? nec increpat quia in eum non crediderunt, sed quia bona opera non fecerunt?* Et quæ toto illo libro tam clarè verèque docet, ut hîc solus satis esse possit, ad Novatorum doctrinam refellendam, si modò SS. Patrum qui primis post Apostolos sæculis scripserunt, judicium admitterent.

CAPUT I.

CAPUT I.

Utrum sola fides justificet?

TUmultuariâ prorsus scriptione versat hanc controversiam Nisanius, in quâ non nisi confusum chaos deprehendas. Tot in illa antilogiæ, tot errores & hæreses, tot nebulæ & tenebræ, in quibus ne se ipsum quidem agnoscat ampliùs. Nihil interim de Carolo Magno uspiam, quid ille de justificatione senserit, aut quid Episcopi in tot Synodis hac super re pronuntiarint. Et quia Caroli gratiâ hæc confutatio suscepta est, de quo adversarius prorsus silet, nobis tamen prætermittenda non fuit. Sed priùs de re ipsa paucis agamus.

Causæ *Justificationis*, in quas ille involutum suum *Tractatum* divisit, hæ quatuor sunt.

I. *Finalis* causa, est salus æterna eorum, qui justificantur: Ita *Tridentinum sess.6. c.7. Isai. c.43.* Hebr.2. Rom.6: *Nunc verò liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Petrus epist.1. c.1: *Ut reportetis finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum.* Deinde *gloria Dei & Christi.* Eph.1: *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum, in laudem gloriæ suæ.*

Causa *efficiens* primaria, est bonitas & misericordia Dei, Isa.c.43: *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Rom.3: *Unus est Deus, qui justificat. Meritoria* causa, seu efficiens per modum meriti, est *Passio Christi,* quâ pretium redemptionis nostræ exactè persolutum, & justitiæ divinæ satisfactum est. Rom.3: *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.* Joan. epist.1. c.2: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Causa *Instrumentalis conjuncta*, Christus Dei filius ratione naturæ assumptæ, quo modo Isa.53: *Brachium Domini* vocatur. Causa *instrumentalis separata*, verbum Dei, Sacramenta, & Ministri verbi Dei, & Sacramentorum. De *verbo Dei* Jacobi c.1: *Suscipite insitum verbum, quod*

potest salvare animas vestras. De *Sacramentis*, Petrus Epist.1. c.3: *Salvos facit Baptisma.* Paulus ad Titum c.3: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* De *Ministris* 1.Cor.3: *Dei adjutores sumus.* 2.Cor.1: *Posuit in nobis verbum reconciliationis.* Joan.20: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Causa *materialis*, est anima hominis, in qua gratia sanctificans tanquam in subjecto existit. Ad causam *materialem* spectant *dispositiones*, quæ subjectum præparant ad recipiendam formam, seu ad habitum gratiæ, sive caritatem infusam: quales ex sententia Concilij Tridentini sess. 6. c.6. sunt actus fidei, timoris, spei, dilectionis, & pœnitentiæ.

Demum causa *formalis* est ipse habitus gratiæ, sive caritatis infusus: atque hæc est justitia inhærens, quæ nos formaliter facit justos. Causa *formalis* extrinseca, quæ & *exemplaris* dicitur, est ipsa Christi justitia, Rom.8: *Nam quos præscivit, hos & prædestinavit, conformes fieri imaginis Filij sui.* Hinc monemur 1.Cor.15: *Portare imaginem hominis cœlestis.* Adversarij sic statuunt: Ante justificationem requiritur una tantùm dispositio, nimirum *fides*: & hoc sensu volunt *solam* fidem justificare. Deinde sequitur apud illos justificatio, quæ non est acquisitæ justitiæ inhærentis, sed imputatæ justitiæ Christi. Nec effectus ejus formalis consistit in expulsione peccatorum, & sanctificatione interioris hominis, sed in eo, quod peccata tegantur, & non imputentur: inde causa *formalis* apud illos est justitia Christi *imputativa*, per fidem apprehensa, & credenti communicata, ita ut intrinsecè maneant impij & peccatores.

II. In Catholicorum sententia, justificatio duobus modis fit: I. Per infusionem gratiæ, sine expulsione peccati, qualis fuit Angelorum & primorum parentum, quâ aliquis ex non justo fit justus. II. Per infusionem gratiæ cum expulsione, & remissione peccati, quâ aliquis ex injusto fit justus. Quare justificatio hæc est translatio à statu peccati, ad statum gratiæ, uti ad Col.1. Apostolus tradit: *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij sui.* 1.Pet.2. *Ut peccatis mortui, justitiæ vivamus.* Simile est in calefactione, quæ consistit in depulsione frigoris, & acquisitione caloris. Uti S. Thomas & alij explicant. Hinc Tridentinum Sess.6. c.7. *Justificatio,* quæ dispositionem consequitur, *non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum. Unde homo ex injusto*

fit

sit justus, & ex inimico amicus, Cæterùm hujus justificationis causæ instrumentales separatæ, (siquidem de prima justificatione sit sermo, quâ quis ex impio fit justus) ordinariè duo tantùm sacramenta concurrunt, *Baptismus & Pœnitentia*; quæ ideò vocantur *Sacramenta mortuorum*, quia instituta sunt ad vitam mortuis reddendam. Reliqua verò Sacramenta, ut *Confirmatio, Eucharistia, Ordo, Extrema unctio, Matrimonium,* sunt instrumenta augmenti justitiæ, quâ quis ex justo fit justior: ita verò *omne Sacramentum est signum sacrum practicum gratiæ formaliter sanctificantis.* Hæc deinde gratia conservatur, augeturque observatione mandatorum Dei, & omnibus bonis operibus justorum. Hinc justificatio dividitur in primam & secundam. Prima, quæ obtinetur per Sacramenta mortuorum; Secunda quæ augetur per Sacramenta vivorum, & bona justorum opera. Quod si porrò quæratur, an præter *meritum Christi* requiratur *meritum nostrum?* dicimus: justificationem primam, quâ quis ex impio fit justus, & quæ semper conjuncta est cum remissione peccati, gratis fieri, nec cadere sub meritum nostrum: de illa enim Apostolus Rom.3: *Justificati gratis per gratiam ipsius*; & v.28: *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis* Eph.2: *Gratia salvati estis per fidem, non ex operibus.* Alteram verò justificationem, quâ ex justo fit justior, merito nostro augeri: de qua S.Jacobus c 2: *Videte, quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm.* Apoc. ult. *Qui justus est, justificetur adhuc.* Hinc opera nostra toties in Scriptura vocantur meritum, merces, & præmium vitæ æternæ; & quæ in hanc rem tot Scripturæ testimonijs, & argumentis confirmantur, de quibus cap. sequenti: ut rectè exclamarit S. Augustinus Epist.46. ad Valentinum: *Si non sunt merita, quomodo judicabit Deus hunc mundum?* Omissis igitur, quæ adversarius de causis justificationis, per phantasmata hæresis suæ introducit, primariam hîc quæstionem de sola fide justificante exploremus.

III. Lutherani, cæterique heterodoxi nostro primùm sæculo exorti, docent: hominem *solâ fide justificari*, quo falso suo dogmate primò excludunt gratiam infusam, & communicatam per Sacramenta, nec aliter justificare dicunt, quàm quòd per ritus, & verba Sacramentorum in suscipiente excitetur fides, quâ non modò in *cœna sua*, sed & in Sacramento Baptismi justificentur homines, quamvis nullam adhuc rationem dare possint, quomodo fides in baptizatis infantibus excitetur? ita non modò

modò enervant omnia Sacramenta, ſed & bonis operibus juſtorum & obſervationi mandatorum nullam prorſus vim, fructumque relinquunt: ſecùs quàm Scriptura, Concilia, Patres, & omnis majorum antiquitas nos docuit. Quare hoc hæreſis ſuæ principio ante Lutherum inaudito, cum omnia invertant in Eccleſia, tum nihil ad omnem vitæ licentiam diſſolutionemque Chriſtianæ diſciplinæ pernicioſiùs à diabolo excogitari potuit, ut non tam faſcinum dementiæ, quàm myſterium iniquitatis dixeris.

IV. Etſi omnes tam Lutherani, quàm Calviniſtæ, cæterique heterodoxi in eo conveniant, *quòd ſola fides juſtificet*; attamen in ipſo modo, quo id fiat, magnoperè diſſentiunt. Lutherus in 2. Capit. ad Galat. *Fides*, inquit, *eſt formalis cauſa, propter quam homo juſtificatur, non propter caritatem.* Ubi fidem opponit caritati. Alij contrà fidem non niſi relativè juſtificare docent, ſicut manus pauperis, ut ipſi explicant, concurrit ad eleemoſynam accipiendam: ita Melanchthon, Kemnitius, Altenburgenſes, & alij paſſim. Addit Niſanius reſpectivè & objectivè. Adhæc diſſentiunt in actibus: nam alij requirunt actus ſpei, dilectionis, pœnitentiæ, alij ſolo actu fidei contenti ſunt. Alij requirunt ex parte intellectus apprehenſionem & judicium, ex parte voluntatis fiduciam, eamque duplicem, generalem & ſpecialem. Niſanius juſtificationem in toto illo aggregato actuum ponit, & modò per actus intellectus, modò per actus voluntatis juſtificari nos dicit. Imò Paragrapho XVI. *Fides non per modum diſpoſitionis, nec cauſa formalis, ſed per modum organi, & inſtrumenti concurrit ad juſtificationem*. & paulò pòſt inquit: *Fides apud nos eſt cauſa impulſiva juſtificationis*, cujus intuitu juſtificamur. Mira diſſenſio, & mera confuſio! quam vel retuliſſe, ſatis eſt confutaſſe.

V. Dicimus igitur: Non ſola fides juſtificat. Id probatur: Quod eſt initium juſtificationis, & diſpoſitio, non eſt ipſa juſtificatio; at fides eſt initium juſtificationis & diſpoſitio: ergo. Hebr.11. *Accedentem ad Deum, oportet credere.* Joan.1: *Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Hinc Auguſtinus epiſt 105: *Omnis juſtificatio à fide ducit initium*, ideò quicquid tribuitur fidei in diſpoſitionis negotio, hoc & ſpei tribuitur. Rom.9: *ſpe ſalvi facti ſumus*; Timori, Eccleſ.1. *Timor domini expellit peccatum*; Dilectioni, Luc.7. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*; Pœnitentiæ,

tiæ: Act.11. Ezech.18: *Si impius egerit pœnitentiam, vitâ vivet.* Probatur 2. Si ſola fides juſtificat, & cæteræ virtutes nihil conferunt; ergo juſtificat, ſive illæ præſentes ſint, ſive abſentes: conſequens eſt falſum, ut conſtat Joan.1. *Qui non diligit, manet in morte.* Ad Gal.5: *In Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides quæ per caritatem operatur.* 1. Cor.13: *Si habuero omnem fidem, caritatem autem non habeam, nihil ſum.* Verſ.13: *Nunc autem manent tria hæc, fides, ſpes, charitas: major autem horum eſt charitas:* ergo ſi cui virtuti debetur juſtificatio, caritati debetur. 3. Probatur ex Apoſtoli Jacobi epiſt. c.2: *Quid proderit fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides ſalvare eum?* Rurſum: *Videtis quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantùm.* Rurſum: *Vis autem ſcire ô homo inanis, quoniam fides ſine operibus mortua eſt?* Et quid totâ hac Epiſtolâ aliud tam contentè docet Apoſtolus? Hoc illud Auguſtini: *Fides poteſt eſſe ſine caritate, ſed non prodeſſe.* S. Proſper de vita contempl. c.19: *Nec opera ſine fide, nec fides ſine operibus juſtificat.* Cætera in hanc rem teſtimonia Patrum lege apud Bellarm. lib.1. de Juſtif. cap.13. Suarez, Vaſquez, Coccium, Gualterium, alioſque.

Hæc & ſimilia Scripturæ loca, quæ planiſſima ſunt, ut eludant Lutherani, reſpondent: Caritatem non niſi ſignum eſſe latentis in animo fidei, & juſtificantis: quemadmodum cætera opera bona ſunt ſigna fidei juſtificantis. Quàm verò abſurda ſit hæc reſponſio, vel ex eo conſtat: quod ſignum ſupponat rem, quam ſignat; ut motus animalis, eſt ſignum vitæ, ſupponendo vitam: Sic etſi caritas ſit ſignum fidei juſtificantis, debet tamen ipſa fides prior eſſe viva; at non eſt prior viva, quia ſine caritate mortua eſt, niſi nos fallant omnia Scripturæ loca ſuprà adducta. Vera proinde juſtitia & vita, per caritatem & gratiam infuſam eſt, ut Catholici docent. Quam in rem præclarè rurſus S. Auguſtinus ſerm.16: *A fide incipit homo: quia & dæmones credunt, neceſſe eſt addere ſpem & caritatem.* Serm.22: *Domus Dei credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur.*

Confirmantur hæc: Nam ſi fides ſeparata à cæteris virtutibus *ſola* juſtificet, poteſt etiam idem præſtare compoſita cum vitiis & peccatis, ſicut enim nihil confert præſentia virtutum aliarum ad juſtificationem, ita nec præſentia vitiorum oberit: at quomodo fingi poteſt, ut ille ſit ju-

ſtus, qui habet animum fornicandi, adulterandi, occidendi, aliorumve peccatorum? Eſſet enim juſtus, & non eſſet juſtus. Ita in Eccleſia ſunt boni, & mali, juſti & injuſti, qui unam fidem habent, omniaque pariter credunt, quæ in Scriptura proponuntur credenda, nec tamen per hanc fidem omnes juſti ſunt, ſed ſoli boni, qui ambulant in vijs Domini.

Fides quæ juſtificat, in eo conſiſtit apud Niſanium & Lutheranos, ut certò ſibi quis perſuadeat ſe juſtum eſſe, & per Chriſtum ſibi remiſſa eſſe peccata. Si ergo hæc fides ſola juſtificet, neceſſe eſt omnes eos juſtificari, & ſalvari, qui hanc fidem habent: At Calviniſtæ, Zwingliani, Anabaptiſtæ, Labbadæani cum ſuis, cæterique hæretici noſtri temporis hanc fidem habent; ergo ex ſententia veſtra omnes illi juſtificantur & ſalvi fiunt. Cur ergo cum ijs non conjungitis vos in unam Eccleſiam? cur hæretici vobis ſunt? Occurres hîc & dices: Fides Calviniſtarum, aliorumque multis alijs erroribus eſt conjuncta, quia pravè ſentiunt de alijs fidei dogmatibus contra Lutheranam religionem: at verò hoc idem dicunt Calviniſtæ, & alij de veſtra fide. cui nunc credam? Deinde, quid hoc ad rem? Nam ſi tuo judicio ſola illa fides juſtificet, quâ quis credit ſibi peccata remiſſa eſſe propter Chriſtum, certè qui hanc fidem habet, perire non poteſt; aut ſi perit, ſola hæc fides non juſtificat. Præterea ex hac doctrina veſtra ſequitur, nihil neceſſarium eſſe anxiè diſputare de controverſijs fidei, quando ad ſalutem ſufficit, dummodo quiſque ſibi perſuadeat ſe juſtum eſſe propter Chriſtum. Imò totum hoc regeram in vos hoc ſyllogiſmo: Nullum bonum opus juſtificat; *fides* eſt bonum opus: ergo non juſtificat. Major veſtrâ confeſſione eſt certa: minor negari non poteſt intelligendo de fide *actuali*, qualem vos ſolam agnoſcitis, ſecluſo *habitu* fidei, quem rejicitis. Jam verò ſi cui operi bono juſtificatio debetur, caritati ut diximus debetur: *Nunc manent tria hæc, fides, ſpes, charitas, major autem horum eſt caritas.* 1. Cor. 13. Innumera ſunt ejuſmodi abſurda, quæ ex hoc falſo veſtro dogmate ſequuntur, quæ longum eſt percenſere.

VI. Demum ſi quæ ratio hujus falſi dogmatis veſtri eſt, illa ex Scriptura primùm peti debet, at Scriptura id nullibi docet, niſi Scripturam ſibi contraria docere dixeris. Interim magno in ſpeciem plauſu, multiſque Scripturæ locis proditis, quibus incautum populum faſcinatis.

I. Ergo objicitis Rom. 3: *Arbitramur hominem juſtificari per fidem ſine*

sine operibus legis. Ad Gal.2: *Scientes, quod non justificetur homo ex operibus legis*. Eph.2: *Gratia salvati estis per fidem, non ex operibus*. ℞. opera quæ hic fidei opponuntur, vel intelliguntur opera observationum legalium, ut *Circumcisio, Sabbathum, Sacrificia* vetera, *Purificationes*, cæteraque *legis Cærimonialis*, quæ egena erant elementa, ideoque abrogata sunt per legem gratiæ; in quorum locum aliud Sacrificium, aliaque Sacramenta plena gratiæ formaliter justificantis instituta sunt: Vel intelliguntur opera, quæ fidem præcedunt, & quæ viribus proprij arbitrij, seu ex nobis fiunt. Ita SS. Patres, cumprimis Hieronymus Epist. ad Ctesiphontem, & planissimè S. Augustinus lib. de Grat. & lib. arbit. c.7. *Homines non intelligentes quod ait ipse Apostolus Paulus: Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis, putaverunt eum dicere: sufficere homini solam fidem, etiamsi male vivat, & bona opera non faciat: quod absit, ut sentiret Vas electionis.* Poteratne telo aliquo certiùs configere hæresin vestram?

Objiciunt II. loca Scripturæ, in quibus homo *gratis* dicitur *justificari*, exclusis operibus bonis: Rom.3. *Justificati gratis per gratiam ipsius*, Rom. 11: *Si gratia? jam non ex operibus*; *alioquin gratia jam non esset gratia*, Eph. 2: *Gratia estis salvati per fidem, non ex operibus*. ℞. Hæc nihil contra Catholicos faciunt, qui uno consensu docent, primam justificationem per Sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ gratis fieri: nam quæ hanc præcedunt opera, (inter quæ ipsa fides) sunt dispositiones tantùm, ut suprà diximus: Uti hoc ipsum S. Augustinus de fide docuit lib. de Præd. SS. c. 7: *Ex fide ideò dicit justificari hominem, non ex operibus: quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera.* Igitur *justificati gratis*, inquit Apostolus, *per gratiam:* tum quia nec Judæi nec Gentiles merentur illam per opera fidem præcedentia; tum quia quicquid conducit ad justificationem, gratuitum Dei donum est; tum quia posito actu fidei, spei, & charitatis, adhuc ex mera Dei liberalitate sequitur infusio gratiæ, & peccatorum remissio. Ac licet aliqui putent, fidem de congruo mereri justificationem, omnes tamen sentiunt, non mereri de condigno. Ita Becanus de Justificat. cap.16. Bellarminus & alij Catholici, cum Concilio Tridentino.

Verùm hîc adversarius insurgit in Bellarminum, Becanum, omnesque Catholicos Doctores, cum Melanchthone Grammatico & Philolo-

go, in Apologia Augustanæ confessionis, quòd distinctionem meriti de congruo & condigno invexerint; & dispositiones, quas Tridentinum ponit ante justificationem, appellent *meritum de congruo*, cùm ea vox *congrui*, nec in Scriptura, nec Patribus, nec Concilijs reperiatur; sed à Magistro Sententiarum, D. Thomâ, Bonaventurâ, Scoto, Durando, alijsque introducta sit. Imò Kemnitius *meritum de congruo* vocat *Helenam* Concilij Tridentini, etsi vox *congrui* in Concilio non legatur. Respondet Bellarminus: etsi vox illa, *meriti de congruo*, sub his terminis non reperiatur in Scripturâ, Patribus, & Concilijs, res tamen ipsa in ijs invenitur: quare *meritum de congruo*, ab omnibus Theologis, præter unum alterumve, receptum est. Unde Bellarminus lib. 1. de Justif. c. 21, ubi eruditè hæc tractat, ait: videri quæstionem ferè esse de nomine: cùm inter omnes Catholicos conveniat, dispositiones illas requiri ad justificationem, & non sola fide justificari homines. Et ratio redditur à Theologis: cùm enim hæc opera sint bona, & supernaturalia, sunt saltem *de congruo* meritoria gratiæ; quando ad meritum de congruo non requiritur æqualitas inter meritum & præmium: quemadmodum & intuitu horum operum cernimus Deum sæpè gratiam peccatoribus infundere. Quare cùm Pelagiani merita humana extollerent, non dubitavit S. Augustinus hæc opera appellare *merita*, Epist. 105. c. 106. lib. 1. de prædest. SS. c. 2. lib. 1. Retract. c. 23: quibus in locis dicit, fidem inchoare merita, impetrare remissionem peccatorum, & caritatem, mereri gratiam bene operandi. *Augustino* accedit *Tertull.* lib. 4. in Mar. *Cyprianus* Serm. 6. de Orat. Dom. *Ambros.* lib. 7. c. 10, in Lucam, *Hieronym.* lib. 2. contra Pelag. *Gregorius M.* in Reg. lib. 3. c. 4.

Sed, inquit Nifanius, hîc contradictio est in adjectio: sunt enim meritoria, & non sunt. ℞. non sunt meritoria *de condigno*, sunt tamen *de congruo*, quibus merces non *de condigno*, sed de *congruitate*, & decentiâ respondet: quæ tamen magis ex gratia, (ut Bellarminus inquit,) quam justitia debeatur. Neque his obstat Tridentinum sess. 6. cap. 8. dum ait: *nihil eorum quæ justificationem præcedunt, ipsam justificationis gratiam promereri:* quod de condigno merito intelligendum est, non congruo.

Cæterum ipsam gratiam *habitualem*, de condigno; vel gratiam *excitantem* ad primum actum meritorium de congruo nemo mereri potest. Quod alijs terminis proponi solet: utrum principium meriti cadat sub

dat sub meritum? Rationes dant: quia sequeretur dari mutuam causalitatem, & idem primò producere *seipsum*; quorum neutrum fieri potest: idque non magis in causis *physicis*, quàm *moralibus* verum esse volunt, quâ super re consule Philosophos & Theologos. Quonam autem modo post infusam gratiam habitualem sanctificantem, opera justorum, & filiorum Dei sint de condigno meritoria augmenti gratiæ, aut quam mercedem à Deo promissam repositamque habeant, capite proximo refertur.

Objiciunt III. multa Scripturæ loca, in quibus *sola fides* dicitur justificare, omisis operibus. Matth 9: *Confide filia, fides tua te salvam fecit:* Ita Luc. 8. v. 48: Rursus Luc. 8. v. 50: *Crede tantùm, & salva eris.* Quo postremo loco multum gloriantur Lutherani, tanquam hîc in voce *tantùm* repererint vocem *Solam.* At inanis gloriatio, quando ijs similibusque in locis agit Scriptura non de justificatione, sed corporis sanitate à Christo impetratâ: neque ullum ferè curavit Christus, præter Malchum, (uti interpretes observant) à quo non fidem priùs exegerit. Cætera quæ adducunt loca, Rom. 1. *Justus ex fide vivit,* Rom. 5. *Justificati ex fide pacem habeamus*; & quæ ejus generis sunt, de fide agunt, in quantum est *dispositio* ad justificationem, & initium salutis: perindè ut Augustinus dixit Epist. 105: *Fides unde omnis justitia sumit initium.* Serm. 16. de verb. Apost. *A fide incipit homo.* Cujusmodi toties repetit Augustinus, cùm de fidei justificatione agit. Volvant & revolvant omnes antiquos Bibliorum codices, & versiones, nullibi vocem *solam* reperient attribui fidei justificanti. Quare Lutherus, ut hoc falsum dogma persuaderet, necesse habuit corrumpere Scripturam, & ad Rom. 3: *Arbitramur hominem justificari per fidem,* addidit *solam.* Et cùm corruptelæ & fraudis ejus esset monitus; nihil aliud, quàm hoc responsi dedit: *Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.* Ac tametsi alij non ita contendant pro voce *solâ*, eò quòd æquivalenter in cæteris Scripturæ locis expressam velint, ut Nifanius censet, sed quàm illud falsum sit, jam satis est ostensum. Dicunt *Confluentiæ* in Collegio PP. Societatis extare antiqua biblia, in quibus hæc vox *Sola* reperiatur ad locum Apostoli Rom. 1, at se ac nos fallunt. excussi istic omnes Bibliorum codices, & in nullo reperta hæc vox *Sola,* in textu.

Responsio ad SS. Patrum objectiones, ex quibus simul Catholica doctrina asseritur.

IV. LUtherani, & Nifanius objiciunt Patres, & quia vident Catholicos sua dogmata ex SS. Patribus probare, eundo per singula Patrum sæcula; Lutherani, simiarum instar, idem tentant. Ideóque ad hoc impium Lutheri dogma populo persuadendum, Patres obtorto collo ad se trahere volunt, ex quibus tamen prorsus contrarium patebit. Sed priusquàm id præstemus, aliud hîc dogma sanctorum Patrum est præmittendum. Quod verò illud? Docent nimirum Patres, Fidem esse initium salutis & justificationis, non quod ipsam formalem justificationem in sola fide reponant. Igitur, uti Apostolus dixit: *Sine fide impossibile est placere Deo*, Hebr. 11. v. 6. & mox: *Credere enim oportet accedentem ad Deum*; Et Joann. c. 1. *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Ita Patres fidem tanquam initium salutis requirunt, & exaggerant, maximè contra Judæos, qui sine fide in Christum per cærimonialem legem, & opera legis cærimonialis sibi salutem promittebant. Hoc sensu planissimè scripsit Clemens Alexand. Lib. 2. Strom. *Fides est prima ad salutem inclinatio, post quam timor, & spes, & pœnitentia.* Hinc Cyrillus Hierosolym. catech. 1. *Fidem* dicit *oculum, & lampadem esse ad salutis viam inveniendam.* Emisenus Hom. 2. de symb. Fidem appellat *lumen animæ, ostium vitæ, fundamentum salutis.* Chrysost. Hom. de fide, spe, & carit. *originem justitiæ.* Cyrillus Alexand. lib. 4. in Joan. c. 9. *Janua, & via ad vitam fides erit.* Ambros. lib. 1. de Sacrament. *In Christiano*, inquit, *prima est fides.* Hieronymus ad c. 3. Epist. ad Eph. *Fiduciæ, atque accessus ad Deum principium, atque origo fides in Christo est.* S. Prosper lib. 3. de vita contempl. c. 21. *Fides est justitiæ fundamentum.*

Explicatissimè S. Augustinus in exposit. ad c. 3. Epist. ad Galat. *Efficiuntur filij sapientiæ, præparante ac præstante id fide Mediatoris.* Lib. de Prædest. SS. c. 7: *Fides prima datur, ex qua cætera impetrantur.* Lib. de bono persever. c. 2: *Quod initium veriùs credere homini christiano, quàm credere in Christum?* Lib. de spir. & lit. c. 30. *Per legem cognitio peccati, per fidem*

fidem impetratio gratia, per gratiam sanitas animæ. Ideo Serm. 22. de verb. Apost. S. Augustinus inquit: *A fide incipit homo. Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* Quocirca sic statuas: Quod est initium salutis, & dispositio ad justificationem, non est ipsa formalis justificatio; atqui fides, Patrum judicio, est initium salutis, & dispositio ad justificationem: ergo non est ipsa formalis justificatio.

Ac licet Patres aliqui solâ fide nos salvari, & justificari dicant, id tamen hoc potissimum, quo diximus sensu, intelligunt: ideò neque spem, aut charitatem, neque gratiam, in qua formalis consistit justificatio, neque cætera opera bona ad salutem necessaria; neque mandatorum observationem, neque pœnitentiam, quâ amissâ justitia reparatur, excludunt. *Plenitudo* enim *legis dilectio*, Rom. 13. Si *vis ad vitam ingredi, serva mandata*, Matth. 19. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*, Luc. 13. Quæ omnia Lutherani solâ fide justificante confici volunt, idque sub Patrum etiam umbrâ. Sed ipsos nunc Patres audiamus.

Primus, qui à Nifanio adducitur, est *Origenes* in c. 3. ad Romanos: *Dicit Apostolus sufficere solius fidei justificationem, ita ut credens quis tantummodo, justificetur; etiamsi nihil ab eo operis fuerit expletum.* Respondit jam dudum Bellarminus ad hunc locum lib. 1. de justif. c. 25. Origenes hîc fidem opponit operi externo, ac docet posse hominem interdum justificari, etiamsi nullum opus externum faciat: quam in rem adducit exemplum peccatricis, & latronis, qui non leguntur jejunasse, aut eleemosynas fecisse, antequàm justificarentur. Quod autem Origenes non excludat dilectionem, aut pœnitentiam, clarum est: ita enim c. 4. ejusdem Epist. ad Rom. *Puto*, inquit, *quod prima salutis initia, & ipsa fundamenta, fides est; profectus verò & augmentum fidei, spes; perfectio autem, & culmen totius operis, caritas.* Et infrà: *Credentibus quidem Christo, nec tamen deponentibus veterem hominem cum actibus suis, fides reputari non potest ad justitiam.* Quin ex ipsis verbis à te adductis te refellit Origenes ipse: *Sed fortassè hîc aliquis resolvatur, & benè agendi negligentiam capiat, siquidem ad justificandum sola fides sufficiat: ad quod dicimus, quia post justificationem, si quis injustè agat, sine dubio justificationis gratiam sprevit.*

Secundus est *Hilarius*, can 8. in Matth. *Monet Scribas, remissum ab homine peccatum: hominem enim tantùm in Jesu Christo intuebantur, & remissum*

sum ab eo, quod laxari non poterat: Fides enim sola justificat. Respondet denuò Bellarm. non excludi ab Hilario per particulam *sola*, nisi legem Moysis, de qua loquebatur: ideo dixit, *Lex non justificat sed sola fides.* Et quare non adducis illud Hilarij can. 7. in Matth. *Salus gentium omnis in fide est, & præceptis Domini vita universorum.* Hoc postremum, inquam, tibi non serviebat, neque Lutherano evangelio.

Tertius est *Basilius*, Hom. de Humilit. *Hæc est perfecta & integra gloriatio in Deo, quando neque ob justitiam suam quis se jactat, sed novit quidem se ipsum veræ justitiæ indigum esse, solâ autem fide in Christo justificatum.* Respondeo, *Basilius* per vocem *sola* excludit opera, quæ fiunt sine fide, & gratia Dei; ut pluribus exponit Bellarminus citato cap. & libro. Sed hîc te legere oportebat sermonem Basilij de fide, quo probat ex Apost. 1. Cor. 13. & 8. Joan. c. 15. ad fidem, & justificationem requiri caritatem.

Quartus adfertur *Nazianzenus* in Oratione 26. de moderatione in disputando. *Confitere*, inquit, *Jesum Christum, eumque à morte ad vitam redijsse crede, & salutem consequeris: justitia est enim vel solùm credere.* ℞. Credere in Christum, inchoata justitia est, quia fides est initium salutis: quemadmodum & Theophylactus à te non adductus in c. 3. ad Galat. dixit: *Fides sola habet in se justificandi virtutem.* Aut certè de fide viva & caritate perfectâ, ac formatâ id dixit uterque. Clarissimè enim *Nazianzenus* oratione in. S. Lavacrum se exponit: *Operare bonum super hoc doctrinarum fundamento, quoniam fides sine operibus mortua est. quemadmodum & opera sine fide.* Quare hujusmodi testimonia, in quibus jugulum est tuæ hæresis, transis Nisani?

Quintus est *Ambrosius*, (si tamen Ambrosij is liber est, de quo ipsi adversarij dubitant,) commentario in c. 3. ad Rom. *Justificati sunt gratis, quia nihil operantes, neque vicem reddentes, solâ fide justificati sunt dono Dei.* Et in c. 4. ad Rom. *Quando ergo Judæi per opera legis justificari se putant justificatione Abrahæ? cùm videant Abraham non ex operibus legis, sed sola fide justificatum? non ergo opus est lege, quando impius per solam fidem justificatur apud Deum.* Magnoperè hoc testimonio exultat Augustana confessio & Apologia. Respondeo per vocem *solam* non excludi nisi opera cærimonialia legis veteris, aut certè necessitatem operum externorum, ut legenti patebit; maximè si auctorem legant in cap. 9. Sed quare

quare Lutherani non addunt, quod idem auctor scribit in c. 4. ad Romanos? *Magna res est fides, & salutaris, & sine hac non est possibile salvari, sed sola fides non sufficit: operari fidem per dilectionem necessarium est, & conversari digne Deo:* Quarè, inquam, hæc rursum transis Nisani? nisi quia ad officinam, & mercatum fallaciarum tuarum non spectant.

Sextus sistitur *Hieronymus* in c. 4. ad Rom. *Impium,* inquit ille, *per solam fidem justificat Deus.* & paulò post: *Secundùm propositum gratiæ Dei, qui proposuit gratis per solam fidem peccata dimittere.* Idem in cap. 3. ad Gal. *Abraham credidit Deo, &c. Ita & nobis ad justitiam sola sufficit fides, quoniam in lege nemo justificatur.* ℞. Hieronymus haud aliud hîc dicit, quàm quod suprà in c. 3. ad Eph. dixit, per solam fidem in Christum, dari nobis accessum ad Deum, quoniam fides est origo & initium justitiæ sine operibus legis cærimonialis, quæ per legem in Christo evacuatæ sunt. Sed quid dicitis ad illud Hieronymi in cap. 26. Isaiæ? *Non sufficit habere murum fidei, nisi ipsa fides bonis operibus confirmetur.* Planiùs in cap. 4. Oseæ: *Per dulces sermones decipiunt infelices: cùm enim viderint aliquos delinquentes, ajunt: nihil aliud quærit Deus, nisi fidei veritatem:* Hæc priscorum hæreticorum fallacia erat, eadem & vestra est. Promittitis justificationem per *solam* fidem, qui ne fidei quidem *veritatem* obtendere potestis.

Septimus opponitur nobis *Chrysostomus* Hom. de fid. & lege: *Fidelem,* inquit, *absque operibus possum monstrare, & vixisse, & regnum cælorum assecutum; nullus sine fide vitam habuit. Latro autem credidit duntaxat, & justificatus est à misericordissimo Deo. Atque hîc ne dixeris mihi, defuisse ei tempus, quo justè viveret, & honesta faceret opera: neque enim de hoc contenderim ego, sed illud unum asseveraverim, quòd sola fides per se salvum fecerit.* Sed quid subjungit? *Nam si supervixisset, fideique, & operum fuisset negligens, à salute excidisset.* Quid ergo *Chrysost.* hic dicit? nempè solam fidem, sine opere externo, sufficere interdum ad salutem, opus verò externum sine fide interna nunquam sufficere. Ita si infans, si adultus post baptismum statim moriatur, salvus erit, etsi alia opera externa non faciat, quanquam non tam solâ fide, quàm spe, & caritate, & gratiâ, quæ per baptismum simul infunduntur, aut si baptismus sit flaminis, per contritionem, & caritatem cum fide obtinetur justificatio. Potest præterea fides esse sine baptismo, sed baptismus sine fide esse non potest,

uti ex Bellarmini responsione hîc disces. Quemadmodum & sanctum Bernardum intelliges Epist.77: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Cautè,* inquit, *non repetijt: Qui verò baptizatus non fuerit, non condemnabitur. sed tantum: Qui verò non crediderit. innuens nimirum solam fidem interdum sufficere ad salutem, & sine illâ sufficere nihil.* Et quare Chrysostomum non adducis Hom.3. in Epist. ad Timoth. *Si credis, cur alia infers? quasi fides justificare non sufficiat sola?* Verùm nec illo dicto Chrysostomus aliud vult, quàm fidem esse initium justificationis, minimè vero fidem sine dilectione, & pœnitentia sufficere. Quemadmodum Homil.1. in 1. ad Timoth. *Non fide solùm opus est, sed etiam caritate.* Hom. 70. in Matth. *Ne fideles solâ se fide salvari posse confidant, de pœna malorum differit: ita infideles ad fidem, fideles verò ad rectè vivendum cohortatur.* Eadem leges Hom. 5. 25. & 26. in Matth. 28. 29. & 31. in Epist. ad Rom. Diabolus Matth.4. admissus à Christo in disputationem, ut Christo præcipitium persuaderet, adduxit illud Scripturæ psal.90. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus vijs tuis,* id verò quod sequitur, *Super aspidem, & basiliscum ambulabis,* quo ipse notabatur, omisit: ita vos Prædicantes nobiscum agitis ex Scriptura & Patribus, unum quod obscurum est, adferendo & malè interpretando; alterum, quod clarum est, omittendo.

Octavus Patrum producitur *S.Leo,* quod is epist.7. scribat: *Sola fides Catholicorum vivificat, & sanctificat.* ℞. Pontifex eo pronuntiato discernit Catholicorum fidem in genere, ab hæreticorum fide, in qua nec justitia, nec sanctitas, nec spes salutis promittitur. Perinde, ut S. Athanasius dixit in symbolo: *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.*

Nonus demum SS. Patrum objicitur nobis D. *Augustinus,* lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum: *Quantalibet,* inquit, *fuisse virtutis antiquos prædices justos, non eos salvos fecit, nisi fides Mediatoris, qui in remissionem peccatorum sanguinem fudit.* Respondit jam dudum Bellarm. & alij, non aliud hîc ab Augustino doceri, quàm neminem sine fide in Christum salvari; proinde antiquos justos, neque per legem naturæ, neq; per legem Moysi, sed per ipsam fidem Christi esse salvatos, quæ omnium Patrum doctrina est. Addis alterum locum ex libro octoginta trium quæstionum, quæst. LXXVI. *In hoc se Gentibus in Christum credentibus,*

Judæi

Judæi præferre cupiebant, quòd dicebant se meritis bonorum operum, quæ in lege sunt ad Evangelicam gratiam pervenisse, ideoq; scandalizabantur multi, qui ex eis crediderant, quòd incircumcisis gentibus Christi gratia daretur. Unde Apostolus dicit: posse hominem sine operibus præcedentibus justificari per fidem. Quæso quid hîc aliud docet Augustinus, nisi quod omnes Patres, & Catholici docent? justificari hominem per fidem sine operibus legis. Sed quid continenter subjungit Augustinus? *Nam justificatus per fidem non potest nisi justè deinceps operari, quamvis anteà nihil operatus justè, ad fidei justificationem pervenerit, non merito bonorum operum, sed gratiâ Dei, quæ in illo jam vacua esse non potest, cùm jam per dilectionem benè operetur.* Vides hîc fidem vivam doceri, quæ per caritatem operetur. Subdit mox Augustinus: *Quòd si, cùm crediderit, mox de hac vita discesserit, justificatio fidei manet cum illo; nec præcedentibus bonis operibus, quia non merito ad illam, sed gratiâ pervenit; nec consequentibus, quia in hac vita esse non sinitur.* Vides hîc denuò, hominem gratis justificari, atque ita morte præventum salvari. Quemadmodum si infans, aut adultus post Baptismum moriatur; is tamen, si supervixerit, tenebitur per mandatorum observationem, & opera bona conservare justitiam, aut pœnitentiâ restaurare amissam. Pergit Augustinus: *Unde manifestum est, quod Paulus Apostolus dicit: Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus:* (nimirum, quia gratis justificatus est) *Non tamen,* inquit, *id ita intelligendum est, ut accepta fide, si vixerit, dicamus eum justum, etiamsi malè vixerit.* Vides denuò hîc vivam fidem inculcari, quæ per caritatem operetur. An tanquam discipulo in scholis, hæc tibi lectio regerenda? Lutheranus episcopus es, qui hæc cæteris altiùs penetrare deberes, *provocas ad volandum pullos tuos,* & ipse volare non potes. Vultis ex Augustino oppugnare Catholicos, & vos ipsos telis Augustini oppugnatis.

Sed nunc, quàm verè, clarèq; hanc ipsam, de qua agimus, hæresin vestram condemnet Augustinus, audiamus quæ lib. de fide, & bonis operibus scribat c.14. *Quare,* inquit, *illud jam videamus, quod excutiendum est ex cordibus religiosis, ne malâ securitate salutem suam perdant, si ad eam obtinendam sufficere solam fidem putaverint; benè autem vivere, & bonis operibus viam Dei tenere neglexerint. Nam etiam temporibus Apostolorum non intellectis quibusdam sub-obscuris sententijs Apostoli Pauli, hoc eum arbitrati sunt dicere.* Ac mox eodem loco planius: *Quoniam ergo,* inquit,

quit, *hæc opinio tum fuerat exorta, aliæ Apostolicæ Epistolæ, Petri, Joannis, Jacobi, Judæ, contra eam maximè dirigunt intentionem, ac vehementer adstruunt, fidem sine operibus nihil prodesse: etiam ipse Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem planèque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt. & fides, inquit,* (Gal.5.) *quæ per dilectionem operatur. Unde illam fidem, quæ sufficere ad salutem quibusdam videtur, ita nihil prodesse asseverat, ut dicat 1.Cor.13. Si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Hæc Augustinus. & hæc ejus testimonia te proferre oportebat, siquidem sincerè & sine dolis agere volebas. Dicis doctrinam de justificatione hactenus in Papatu ignotam jacuisse, donec Lutherus eam primò revocarit in lucem. At quæ alia Lutheri hîc doctrina, quàm Simonis Magi? quàm Eunomij, Ariani, & priscorum quorundam hæreticorum? (ut hîc audis) quam Lutherus ab inferis revocavit. Vides simul, quomodo S. Augustinus Epistolam D. Jacobi cum cæteris inter Apostolicas Epistolas reponat, quam Lutherus stramineam vocat, & ex canone ejecit; non ob aliud, quàm quòd bona opera ad fidem, & justificationem requirat. Quàm clarè prætereа D. Augustinus lib.15. de Trinitate c.18. *Ipsam,* inquit, *fidem non facit utilem, nisi caritas: sine caritate quippe fides potest quidem esse, sed non prodesse. Propter quod & Apostolus Paulus: In Christo Jesu neque circumcisio, neque præputium aliquid valet, sed fides, quæ per dilectionem operatur: sic eam discernens ab ea fide, quâ & dæmones credunt, & contremiscunt.* Tract.10. in Joan. *Adde huic fidei dilectionem, ut fiat fides, qualem dicit Apostolus Paulus: Fides quæ per dilectionem operatur.* In Ench. c.8. *Jam de amore quid dicam? sine quo fides nihil prodest. spes verò sine amore esse non potest. Denique, ut ait Apostolus Jacobus, & dæmones credunt, & contremiscunt: nec tamen sperant, vel amant, sed potiùs, quod speramus, & amamus, venturum esse formidant. Propter quod Apostolus Paulus fidem, quæ per dilectionem operatur, approbat atque commendat, quæ utique sine spe esse non potest. Proinde nec amor sine spe, nec sine amore spes, nec utrumque sine fide.* Lib.50. Hom.17: *Fides debet esse Christianorum non dæmoniorum. Nam sicut dicit Apostolus Jacobus, & dæmones credunt, & contremiscunt; & dæmones dixerunt Christo: Tu es filius Dei.* (Marc.3.) *Confitebantur dæmones, quod non credebant homines; isti tremuerunt, illi occiderunt. Quid enim, quia dixerunt dæmones, Tu es filius Dei, scimus, qui sis.* (Luc.4.)

(Luc.4.) *ideo regnaturi sunt cum filio Dei? Absit. Discernenda est ergo fides dæmonum à fide Sanctorum. Planè discernenda vigilanter, & diligenter: Nam & Petrus hoc dixit Domino dicenti: Quem me esse dicitis? Tu es Christus filius Dei vivi.* (Matth.16.) *& Dominus: Beatus es Simon Bar-Jona. O Domine hoc tibi dixerunt & dæmones. Quare ipsi non sunt beati? Quare? Quia dæmones hoc dixerunt timore, Petrus amore. Ideo initium est à fide. sed quali fide? Quam definit Apostolus: Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides. dic quæ fides? Quæ per dilectionem operatur. Hanc dæmones non habent fidem, quæ per dilectionem operatur; sed soli servi Dei, soli Sancti Dei, soli fide filij Abrahæ, soli filij dilectionis, filij promissionis.* Eadem repetit, & inculcat Augustinus Serm.16. de verbis Apostoli, Lib. de natura, & gratiâ. c.40: *Charitas inchoata, inchoata justitia est; charitas provecta, provecta justitia est; charitas magna, magna justitia est; charitas perfecta, perfecta justitia est.* Cap.42. *Ipsa enim* (charitas) *verissima, plenissima, perfectissimaque justitia est.* Serm.10. de verbis Apostoli: *Adde fidei spem. & quæ spes est, nisi de aliqua conscientia bonitate? speique adde caritatem desuper eminentem, viam habent ducente Apostolo:* (1.Cor.13.) *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æramentum sonans, aut cymbalum tinniens: ita & cætera narrat bona, & sine caritate nihil prodesse confirmat. Maneant ergo hæc, fides, spes, charitas. major autem horum est charitas. Discernite ergo fidem vestram. Quam,* inquit, *fidem? quæ per caritatem operatur. Discernite & à dæmonum fide: Nam & dæmones credunt & contremiscunt.* Quâ nunc fronte audes prodire cum S. Augustino? nisi quia idem S. Augustinus dixit: *Frontem hæreticorum, non esse frontem?*

Innumera ejusmodi sunt testimonia, non modò Augustini, sed & aliorum Patrum. *Origenes* hom. in cant. *Dupliciter constat salus credentium, per agnitionem fidei, & operum perfectionem.* Ita *Clemens Rom.* lib.1. Recogn. *Ignatius* Epist. ad Ephesios. *Martialis* Epist. ad Tolosanos. *Clemens Alexand.* lib.5. Strom. *Cyprianus* lib. de opere, & Eleemosyna. *Nazianzenus* orat.28. ac cæteri PP. quos *Gualterius* & *Coccius* civis vester, alijque Scriptores ex singulis sæculis producunt.

Introducis tu quidem Gregorium M. Bedam, Alcuinum, Damascenum, Ludgerum, Haymonem, Bernardum, Strabum, Anselmum, ac nescio quos alios, demum etiam Carolum Magnum, tanquam & illi *solâ*

fide docuerint juſtificari homines. Sed hîc mera ſomnia profers. Aliud ſanè horum Sanctorum ſcripta, aliud de his ſcriptores, aliud ipſorum vita teſtatur, quæ tam procul fuit à Lutheri doctrina, quàm ab Epicuri vita Arctam omnes Sancti & Apoſtolici viri ingreſſi ſunt viam, ſecundùm Chriſti Evangelium, quæ ducit ad vitam; non illam laxam novi & carnalis evangelij veſtri viam, in quam Lutherus primùm vos per ſolam fidem induxit ad perditionem. Scripſit Laurentius Surius, uti & alij complures, Sanctorum vitas, & in tomos digeſſit, at non alio magis fine, ut in præfatione legis, quàm ut orbi conſtaret, *Non ſola fide juſtificari homines:* quo impio dogmate totam Saxoniam dementavit Lutherus. ut aut Lutheranos cum ſuo Luthero primùm inſanijſſe, aut omnes à Chriſto ſanctos deliraſſe neceſſe ſit. Hæc enim duo nemo ſanæ mentis componere poteſt. prorſus ut Cyprianus ſcripſit de ſimplicitate Præl. *conjungi non poteſt amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluvia cum ſerenitate, pugna cum pace, cum fecunditate ſterilitas, cum fontibus ſiccitas, cum tranquillitate tempeſtas.* Hæc paucis de juſtificatione. Nam cæteras tuas nugas & deliria, quæ de triplici fide veſtra, *hiſtoricâ, miraculorum,* & *promiſſionum Chriſti,* (quam verè *Chimæram* vocat Maldonatus) quæ de certitudine ſalutis, & ſpeciali fide veſtra; quæ de juſtitia imputativa, cæteriſque hîc accumulatis, nihil attinet referre; quando hæc centum libris Theologorum exploſa ſunt. Et quid his opus? quando inter vos ipſos non convenit. Sanè *Oſiander* veſter in confutatione ſcripti, quod adverſus eum Philippus Melanchthon edidit, teſtatur, *viginti* diverſiſſimas de *Juſtificatione* ſententias verſari inter ipſos ſolos *Confeſſioniſtas* ſeu Lutheranos, eaſque ex Scriptura ſe mutuò oppugnare. Hîc tu *medice cura teipſum* primùm. Quid Catholici doceant, & credant de *Juſtificatione*, id explicatè & accuratè definitum eſt in *Concilio Tridentino* Seſſ. VI. Id verò quod tu ſcribis, & quæ una, certa, & concors ſit Lutheranorum ſententia, hoc tu primùm tuarum Eccleſiarum teſtimonijs nos doceas, ac tum redeas: nam omnia veſtra dogmata de Juſtificatione, quæ *quotannis* mutantur, velle refutare, quid aliud erit, quàm vobiſcum delirare, & canino ſe jurgio miſcere? Interim tu non modò D. Thomam cum omnibus Theologis, ſed & Concilium Tridentinum tibi confutandum ſumis. cui mirum? *Una mater ſuperbia,* inquit Auguſtinus, *omnes hæreſes genuit.* Contrà verò, quæ tu de juſtificatione, & toto libro

rapſo-

rapsodiæ tuæ scribis, tam indigesta, confusa, & obscura sunt, ut ne ipse quidem te explicare possis, quid concludere velis; vel ideo nemo Catholicorum hactenus te refutante calamo dignatus: neque ego hæc reponerem, nisi Carolus Magnus à calumnijs, & injurijs tuis hîc liberandus esset. Et nunc quid ille de hoc dogmate senserit, etsi tu prætereas, nobis prætermittendum non est.

CAROLI MAGNI TESTIMONIA, *quibus asseritur,* *Solam fidem non sufficere ad salutem.*

LIb.6. Capitularium cap.160. *Primum fundamentum Christianæ religionis fides Catholica est: & hæc fides tum vera & fructuosa est, si bonis operibus exornetur, id est, caritate, humilitate, castitate, continentiâ, sobrietate, unanimitate, concordia, justitiâ, pietate, misericordiâ, innocentiâ, simplicitate, & cæteris his similibus, quæ omnia in dilectione Dei & proximi consistunt: sine his enim nemo potest Deo placere, nec salvus esse.* Quid apertiùs? Lib.7. c.303. *Sciendum est omnibus, & sine oblivione retinendum, quod gravius puniantur, qui fidem Christi perceperunt, & in malis vitam finierunt, quàm illi, qui sine fide mortui sunt, & tamen bona egerunt opera: quoniam melius est fidem non percipere, quàm post ejus acceptionem retrorsum abire.* Quid denuò clariùs ad vestrum dogma evertendum dici potuit? qui solâ fide justitiam & salutem promittitis: qualem fidem Carolus magis noxiam, & damnosam scribit, quàm eorum, qui nunquam Christianam fidem susceperunt. Ita verò Carolus vos ad ethnicos & infideles cum vestra fide justificante relêgat. Lib. 1. capit. c. 82. Lib. constitutionum Caroli Magni, & in Capitulari Aquisgranensi Caroli M. can.82. *Cum omni diligentia cunctis prædicandum est, pro quibus criminibus deputentur cum diabolo in æternum supplicium: legimus enim Apostolo dicente* ad Gal.5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia; quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam*

qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Mox subjungit Carolus: *Et hoc ideo diligentiùs injungimus vestræ caritati, quia scimus temporibus novissimis pseudodoctores esse venturos, sicut ipse Dominus in Evangelio prædixit Matth.24. & Apostolus ad Timotheum testatur c.3. & 4.* Verè hîc vates Carolus. Et qui hi alij pseudodoctores, quàm qui ex solâ fide promittunt regnum cælorum, etiamsi omnibus jam recensitis sceleribus contaminati fuerint? Hæc ipsa falsa Lutheri doctrina, quam hîc Carolus Magnus prædamnat. Ita enim Lutherus lib. de capt. Babylon. *Tam dives est Christianus homo, ut perire non possit, modò credere nolit:* id est, modò suam hanc fidem, quæ sola justificat, retineat. Carolus contrà: *Intelligentes, quàm terribile illud quod dixit: Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Hîc aut Lutherus cum suis, aut Paulus cum Carolo nos seducat necesse est. In Capitulari interrogationum, quod anno Imperij undecimo præscripsit, can.8. doceri jubet: *Quod ille in Deum bene non credit, qui præcepta ejus impunè se contemnere putat; vel qui ea, quasi non ventura despicit, quæ Deus comminatus est, vel per Prophetas, vel Apostolos suos.* Can.9. *Veros Christianos, ex consideratione vitæ & morum cognosci,* docet.

Concilium Moguntinum, ita can.10. decernit: *Initium actionis nostræ de fide esse decrevimus, quæ bonorum omnium fundamentum est, & quia sine fide, ut dicit Apostolus Hebr.11, impossibile est placere Deo. Fides tamen indiget opere: quia fides sine operibus mortua est. Ideò beatus Gregorius: ille, inquit, verè credit, qui exercet operando, quod credit.* Eò spectant quæ Concilium can.2. de spe & charitate præscribit: *Nam finis præcepti est charitas ad Timoth.1. de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta,* qualis vestra fides est ex cerebro Lutheri, quæ *sola* justificare *fingitur.*

Canone 18 ita decernit hoc Concilium: *Dominus dicit in Evangelio: Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Hinc Hieronymus commentario in Matthæum: De omnibus quidem id intelligi potest, qui aliud habitu ac sermone promittunt, aliud opere demonstrant. Item in alio loco: Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum. Nec his quidem accommodanda fides, qui cum pollent integritate fidei, turpiter vivunt, & doctrinæ integritatem operibus destruunt: utrumque enim Dei servis necessarium est. Et Beda tractatu in Evangelium Lucæ: si veram, inquit, &*

non

non fictam vis habere justitiam, quæ verbis ostentas, etiam factis compensare curato. Neutrum apud vos Lutheranos: nec fidei integritas, nec bonorum operum, aut mandatorum Dei ad salutem necessitas. Eò omnibus impijs Christianis deteriores sitis necesse est.

Concilium Arelatense sub idem tempus Caroli celebratum, & à Carolo confirmatum, Can. I. *Christi morte & sanguine mundati, peccatorum remissionem consecuti sumus, resuscitandi ab eo in novissimo die, in ea, quâ nunc vivimus, carne; percepturi ab eo pro justitiæ meritis vitam æternam, alij pro peccatis supplicij æterni sententiam. Hæc est Catholica Ecclesiæ fides, hanc confessionem servamus & tenemus.*

Concilium Rhemense canone 10. *Capitulum,* inquit, *primum sit de fidei oratione, quam quisque discat, intelligat, atque operibus pleniter observet.*

Cabilonense Concilium canone 2. *Non auditores legis, sed factores ejus justificabuntur: & regnum Dei non est in sermone, sed in opere,* ex Apost. ad Rom. 2. & 1. Cor. 4. præscribit. Innumera Caroli Magni in hanc rem monita & decreta adsunt. Imò quid omnes sunt Caroli leges? nisi ut ea quæ vel divinis legibus, vel Apostolicis constitutionibus, vel Conciliorum & Ecclesiæ decretis præscripta sunt, non *solâ fide,* aut *imputativâ Christi justitiâ,* sed opere compleantur. Quid sunt ipsa Evangelica consilia? quæ supra legem, aut pro instituto vitæ, aut voto Clericis & religiosis hominibus integrè sanctèque observanda præscribit Carolus? Et quid omnibus hisce Caroli Magni & Synodorum Carolinarum decretis opus, si solâ fide omnis justitia, & perfectio Christianæ vitæ obtineri possit? Aut insanus Caroli Magni omnisque Episcoporum & religiosorum labor fuit, aut insana Lutheri doctrina est.

O Deus, exclamat Augustinus, *discerne causam meam de gente non sancta, & homine doloso!* qui nimirum solâ fictâque fide suâ justificante, virtutem Christi meritis, redemptioni pretium, Sacramentis gratiam sanctificantem, mandatis Dei necessitatem, bonis operibus fructum & meritum suum, labori mercedem, vitæ Christianæ præmium subtrahit. Unico hoc fascino tot dementatos homines abducitis à via salutis in perditionem.

CAPVT II.

De merito, et justificatione bonorum operum.

Controversia hæc de merito bonorum operum superiori controversiæ de justificatione inhæret. Nam ut Lutherani per fidem justificantem omnia legis Sacramenta enervant, eò quòd Baptismum, Eucharistiam, cæteraque apud nos Sacramenta ad nihil aliud à Christo instituta valere velint, quàm ut fidem, quæ sola apud eos justificat & salvat homines, excitent & obsignent promissiones, quas Deus soli fidei justificanti fecit; ita bona opera ad nihil aliud valere volunt, quàm ut sint signa fidei justificantis: sicuti hedera est signum vini vendibilis, in qua tamen nec vinum, nec ulla vini est virtus. Hæc nova illa, novi evangelij doctrina, quam & Nisanius profitetur: *Non enim,* inquit; *in promissionibus divinis aliter considerantur opera nostra, quàm ut signa sunt fidei, & ut jus hæreditatis per fidem acceptum consequuntur.* Et si opponas Apostolum ad Galat. c.5. *Fides quæ per caritatem operatur*; Respondet: *Caritatem tantùm inanem effectum esse fidei justificantis*, quæ nihil conferat ad justificationem, neque ullum meritum habeat ad vitæ æternæ promissionem aut remunerationem: quando Nisanio opera caritatis, & cætera non nisi nuda tantùm signa sunt fidei. Quod autem Apostolus addat: *Nunc manent tria hæc, fides, spes, charitas, major autem horum est charitas*, hoc nihil ad Lutheranos: quando aliud à Luthero acceperunt evangelium, qui ipsum Apostolum ausus corrigere. Nam ubi dicit *hominem justificari per fidem*, Lutherus addit, *solam* fidem, mundo obstupescente.

Augustana confessio, quam Nisanius in hanc rem adducit, aliquanto speciosius opera bona dicit esse fructus fidei, ita enim Art. VI. & XXI. *Docet Ecclesia nostra*, scilicet Lutherana, *quod fides debeat bonos fructus parere, & quod oporteat bona opera à Deo mandata facere, propter voluntatem.*

tem ejus. Apologia Augustanæ confessionis pari modo: *Sunt facienda opera propter mandatum Dei; item ad exercendam fidem; item propter confessionem, & gratiarum actionem: propter has causas necessariò debent bona opera fieri.* Ita Apologia, altera illa fidei Lutheranæ regula. Quod si nunc quærant Catholici, quis ille sit fructus, quem fides illis parturit per bona opera? an videlicet homo justus in gratia constitutus possit per bona opera augere justitiam, seu an in illis sit meritum & merces? an corona justitiæ, præmium, & retributio vitæ æternæ à Deo proposita & promissa? Hîc omnia negant, & *soli* fidei hæc adscribunt. Deinde si quærant Catholici, an homini adulto seu rationis compoti bona opera sint necessaria ad salutem? hîc rursum abnegant: quia fides *sola*, quæ *sola* justificat, etiam *sola* nos salvos facit. Quanta hæc est novi evangelij felicitas, sine ullo labore ingredi cælum! secùs quàm Christus docuit Matth, 11. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Imò quanta fallacia Lutheranorum aut hebetudo potius? Dicunt enim bona opera habere mandatum Dei, ut faciamus: (ita enim confessio Augustana & Apologia suprà relata) & tamen docent, mandata Dei esse impossibilia: hoc est dicere, bona opera habere mandatum Dei, & non habere: quod enim impossibile est, id à Deo mandari non potest, nisi Deum tyrannum facere velis. Ecce ut *mentita est iniquitas sibi.* Igitur qualis arbor, talis fructus; quàm falsa & insipida Lutheri fides, tam falsi & insipidi operum bonorum fructus ex hoc novo Lutheri evangelio.

Sed nunc ipsum Lutherum omnium horum magistrum & artificem audiamus, quæ ejus doctrina sit de bonis operibus. Sermone de novo Testamento, *Caveamus*, inquit, *à peccatis, sed multo magis à legibus, & operibus bonis. tantùm attendamus Dei promissionem, & fidem.* In sermone, *Sic Deus dilexit mundum*, ita loquitur: *Ego*, inquit, *dico tibi, quia angusta est via, oportet te fieri tenuem, si vis per eam venire; cæterùm qui operibus onerati sunt, sicut conchilibus onustos videmus Jacobi peregrinos, ij non poterunt penetrare; & postea si veneris cum magnis saccis operum plenis, deponere oportet, alioquin non poteris penetrare.* Quin idem in assertionibus suis art. 1. cum Calvino lib. 3. Instit. c. 11. dicit: *Hominem in omnibus operibus suis peccare, quamvis hoc peccatum credentibus non imputetur.* Deinde: *Hominem per omnia bona opera sua nihil mereri, nihilo fieri gratiorem, nihilo justiorem, nihil amplius præmij habiturum, sive plurima, sive*

pauca, sive nulla etiam opera bona faciat: eò quòd sola fides apud Deum æstimetur & coronetur. Hæc atque alia Lutherus tam ridiculè, quàm impiè. Omitto alios, qui cum Luthero & Calvino docent: opera bona hominis quantumvis justi & sancti, nihil esse aliud quàm sordes, inquinamenta, & pannus menstruatæ.

Rident nos exteræ nationes, reperiri apud nos, qui Lutherum apostatam monachum, hominem in sacris rebus ita ludificantem audiant: tanquam qui insanæ genti suæ simul insultet, eò quòd sua ludibria & deliria acceptet inter fidei dogmata; secùs quàm Christus & Apostoli docuerunt, & omnis antiquitas majoresque hactenus crediderunt.

Quanto nunc sapientiùs & securiùs Catholici Concilium Tridentinum audiunt, & cum eo Scripturæ, Conciliorum, Patrum atque omnis antiquitatis & traditionis doctrinam sequuntur, quæ nobis non modò per fidem, sed per Sacramenta, mandatorumque Dei observationem, per orationes, jejunia, eleemosynas, castitatem, castigationes corporis, contemptum rerum humanarum, opera misericordiæ spiritualia & corporalia, cæteraque viæ æternæ salutem monstrat, jubetque per vestigia Sanctorum omnium, & majorum nostrorum incedere. Igitur Concilium Tridentinum, postquam ex Scriptura, Concilijs, & Patribus hanc doctrinam exposuisset, ita decîdit sess.6. can.32: *Si quis dixerit, ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ (si tamen in gratia decesserit) consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit.*

Hinc primùm Catholicum dogma est: opera hominis justi, & in gratia Dei constituti, interveniente cumprimis promissione & acceptatione Dei, esse meritoria vitæ æternæ. Id primùm asseritur ex ijs Scripturæ locis, quibus bona opera expressè vocantur *merces*, Gen. 15. ad Abrahamum: *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* 2.Paralip.15. *Confortamini, erit enim merces operi,* Proverb.11. *Seminanti justitiam, merces fidelis.* Sap.5. *Justi in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum* Matth.5. *Merces vestra copiosa est in cælis.* 1.Cor.3. *Unusquisque propriam mercedem accipiet.* Apocalyp. c.ult. *Ecce venio, & merces mea mecum est.* Matth.20. *Voca operarios & redde illis mercedem.* Jam

vero

vero ubi *merces*, ibi & *meritum*, quia relativa: atque ut gratia gratis datur, ita meritum mercedi respondet. Frustra hîc Calvinus ingerit, vitam æternam impropriè dici mercedem, cùm sit hæreditas filiorum Dei: Respondetur enim, non repugnare ut idem sit hæreditas & merces. Voluit nimirum Deus hæreditatem hanc ab adultis duplici titulo adiri, hæreditatis & mercedis: uti Christus gloriam corporis & nominis exaltationem adijt, parvulos vero baptizatos tantùm titulo hæreditatis. Hinc in Scriptura toties vita æterna merces, quoties hæreditas appellatur. Ex quibus primò constat, quàm falsò scribat Nifanius: *Nullibi in Scriptura virtutem meritoriam operibus justorum tribui.* Deinde hîc propriè etiam & non per catachresin mercedem dici, constat ex regula D. Augustini, asserentis Scripturam in propria significatione accipiendam, ubi ratio aliud non suadet; & ex ijs, quæ apertissimè dicta sunt in Scriptura, cætera quæ obscurè sunt dicta explicanda esse. Prorsus hîc contrarium faciunt hæretici, contemptoresque bonorum operum. Et quis eos judices constituit, ut relictis Concilijs, Patribus, & communi Ecclesiæ sensu, quis uni paucisque heterodoxis accedat?

II. Asseritur Catholicum hoc dogma ex ijs Scripturæ locis, in quibus vita æterna dicitur præmium secundùm mensuram operum, ut non solùm ratio liberalitatis & promissionis, sed etiam mercedis, efficaciæ & dignitatis operum habenda sit. Ita psalm. 16. *Reddet unicuiq; secundùm opera sua.* Rom. 2. *Justi judicij Deus, qui reddet unicuiq; secundùm opera ejus.* 1. Cor. 13. *Unusquisque mercedem recipiet secundùm suum laborem.* Ipsa vero dignitas operum clariùs patet Luc. 10. *Dignus est operarius mercede sua.* Sap. 3. *Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se.* 2. Thess. c. 1. v. 5. *Ut digni habeamini in regno Dei.* Si ergo est dignitas in operibus justorum, etiam præmium habeant necesse est. Confirmantur hæc ex ijs Scripturæ locis, quibus vita æterna adscribitur operibus, per particulas causales *enim*, Matth. 25. v. 3. *Venite benedicti Patris mei: esurivi enim, & dedistis mihi manducare:* atque ita de cæteris operibus. Itidem ad maledictos: *Ite in ignem æternum: esurivi enim, & non dedistis mihi manducare.* Apocalyp 7. v. 14.

III. Asseritur hoc dogma Catholicum ex ijs Scripturæ locis, quæ præmium bonis operibus redditum vocant justitiæ retributionem. 2. Thess. 1. *Justum est apud Deum, retribuere tribulationem ijs, qui vos tribulant,*

 bulant,

bulant, & vobis qui tribulamini. 2.ad Timoth.4. *Reposita est mihi corona justitiæ.* Heb.1.c.6.v.10. *Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri.* Jacobi 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.*

IV. Probatur ratione: Nam lumine naturæ notum est, esse Deum, eumque remuneratorem esse: quod ejusmodi est principium, ut lumine naturæ philosophis atque ethnicis cognitum esse doceat Apostolus ad Rom.c.1. Atqui Deus cùm in alijs moralibus operibus, tum maximè remunerator est, ut bona justorum opera remuneret, & mala impiorum puniat: quemadmodum hoc Dei judicium Matth.25. in benedictos & maledictos pronuntiatum est. Igitur ut mala opera habent ex demerito damnationem, ita bona opera habent ex merito suo remunerationem. Hoc illud Athanasij in symbolo, quod Lutherani nobiscum profitentur: *Inde venturus est judicare vivos & mortuos: ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis; & reddituri sunt de factis proprijs rationem: & qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum. Hæc*, inquit, *est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterq; crediderit, salvus esse non poterit.* Quapropter Augustinus epist 46. ad Valentinum: *Si non sunt merita, quomodo judicabit Deus hunc mundum?*

Hoc judicium ut eludant, dicunt: Non alia esse bona opera ob quæ remunerentur homines, quàm opera fidei; nec alia mala opera ob quæ damnentur, quàm neglectu contemptúve fidei facta; seu quod credere noluerint, sicut Lutherani credunt. Uti Lutherus lib. de capt. Babylonica docet: *Tam dives est Christianus homo, ut perire non possit, modo credere nolit.* Cætera peccata quantumvis etiam enormia sint, à vita æterna excludere neminem possunt. Hîc aut Lutherus cum suis nos fallit, aut Apostolus Paulus ad Galat. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia,* & quæ præter *sectas, & hæreses,* longo ordine percenset peccata, de quibus subjungit: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Plena ejusmodi Scriptura. Sed quò non recidit cæcitas hoc fatali heresis sæculo!

Opera bona necessaria sunt ad salutem.

ALterum hoc Catholicum dogma est: Opera bona esse necessaria ad salutem. Lutherus, & cæteri heterodoxi, quia ex sola justificatione suis promittunt salutem, opera bona non solùm à merito, sed etiam à necessitate ad salutem excludunt, tantumque fructus & signa fidei esse volunt. quam hæresin, cum toto hoc tractatu de justificatione, tum paragrapho 19. propugnat Nisanius, asseritque *sola fide justificante excludi omnia alia media, & opera bona, quæ catholici ad salutem requirunt:* Imò inquit, *noster Lutherus bona opera à negotio justificationis exclusit, nec ad salutem necessaria esse nos docuit.* Verùm hæc doctrina quàm impia, falsa, & detestanda sit:

I. Constat ex Scriptura. Nam præter fidem docet observationem legis esse necessariam ad salutem: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata,* Matth.19. ex quo loco planum est, vitam æternam nobis non nisi sub conditione servandæ legis proponi. Item Matth.11. *Tollite jugum meum super vos.* Joan.15. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Jacob.2. *Si tamen legem perfeceritis regalem, diliges proximum tuum sicut te ipsum,* Rom.3. *Nunquid legem destruimus per fidem? absit. sed legem statuimus.* Inde Rom.13. tam exactè exponit hanc legem servandam: *non adulterabis, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum.* Plena hîc est tota Scriptura. quemadmodum Christus docet, Matth.5. *Non veni solvere legem, sed adimplere:* ideoque totam hanc legem moralem tam explicatè exponit.

II. Præter fidem lapsis ad salutem necessaria est pœnitentia: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Lucæ 13. Et quæ non in omnibus Prophetis, & Apostolorum scriptis hac super re præscripta, & promissa sunt peccatoribus, si salvi esse velint? & quis Hagiographus ex sola fide peccatoribus salutem promittit?

III. Præter fidem necessaria ad salutem sunt Sacramenta. Ac primò Baptismus necessitate medij Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit,* non modo infantibus, sed adultis, si baptizati non sint, necessarius est: hinc illum expetere, & suscipere tenentur. Quo tamen non negatur, quo minus infantes

fantes sine bono opere salventur, quibus salus non ut corona, sed ut gratia, & hæreditas obtingit. Cæterùm baptizati tenentur certare cum mundo, carne, & dæmone. quod certamen Christo teste apud Evangelistas, cum longè difficillimum sit, efficitur, vitam æternam justis tanquam bravium, & coronam per opera bona ad salutem necessaria proponi. II. Cœnæ, seu Eucharistiæ sumptio necessaria est adultis, Joan. 6: *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quod mandatum atque opus bonum, ipsi Lutherani agnoscunt non per *solam* fidem, sed ipsam sumptionem explendum.

IV. Innumera sunt loca Scripturæ, quæ bonorum operum necessitatem docent, 1. ad Timoth. 2. Mulier *salvabitur per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.* Ad Phil. 2. *Cum metu, & tremore salutem vestram operamini*, inquit, non *sola* fide, quod facillimum est. 2. Cor. 7. *Quæ enim secundùm Deum tristitia est, pænitentiam in salutem stabilem operatur.* 2. Cor. 4. *Momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esurivi enim, & dedistis mihi manducare, &c.* ubi manifesta ratio redditur, quæ retributio vitæ æternæ sit posita in bonis operibus. Rom. 8. *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini.* Rursum: *Si facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Et quid totum Christi Evangelium? quid Apostolorum scripta, & epistolæ D. Pauli, Petri, Joannis, Jacobi, Judæ aliud commendant, docent, & urgent in Christiana vita, quàm per omnia bonorum operum genera certamen illud pro vita æterna? ex quibus carnale vestrum evangelium nihil relinquit, præter mortuam fidem, ex eaque miseris, & deceptis hominibus audetis vitam æternam promittere. Quod si nunc omnium Martyrum, Episcoporum, Sacerdotum, Monachorum, & Religiosorum virorum, Virginum, Viduarum, Conjugum, atque omnium Sanctorum, Justorumque vitam expendas, non nisi hanc ad Apostolorum doctrinam compositam, & remuneratam à Deo reperies. nemo ex his tam insanus fuit, ut in *sola* fide justificante, eâque mortuâ vitam, & spem salutis quæsiverit. Aut ergo Lutherus tuus cum suo novo evangelio, aut totus ante Lutherum orbis Christianus insanijt. Atque hoc præterea illud Bellarmini argumentum est, quod ex perpetua Ecclesiæ traditione deducit, quodque

ex

ex omnium Conciliorum & SS. Patrum statutis confirmatur: frustra enim tot Synodorum decreta pro Cleri, populique moribus formandis, frustra disciplina religiosa tot legibus sancita, frustra Christianorum, & majorum vita tot jejunijs, orationibus, eleemosynis afflictionibus, pœnitentiæ lacrymis, & omnium virtutum operibus fatigata, si hæc omnia *sola* fides justificans præstare potuit. Christi pronuntiatum est: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Matth.11.

V. Dogma hoc Lutheranorum vel ex ipsorum confessione refellas. Quod enim habet mandatum Dei, hoc est necessarium ad salutem; sed opera bona habent mandatum Dei: ergo. Major per se nota est; Minor est Augustanæ confessionis art. 6. quæ sic habet: *Item docent*, (nostri Lutherani videlicet) *quod fides illa debeat bonos fructus parere, & quod oporteat bona opera mandata à Deo, facere propter voluntatem Dei.* At Deum velle, & mandare bona opera, ut tantùm sint signa fidei, ex nulla Scriptura, Concilio, vel S. Patre demonstrabunt. Et ratio etiam ipsis agricolis nota revincit. Quis enim fructus eò tantùm fine nasci dixerit, ut arborem vel agrum solummodò monstrent? & non potius homines & animalia pascant, alantque? Monstrare præterea arborem, commune est bonis & malis fructibus, quin & folijs ipsis: at Christus Matth.3. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Qua in re & illud hoc Christi testimonium Matth.25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Rursum explicatè Augustinus, serm.38. *Rogo vos fratres, nolite hæc transitoriè cogitare, nec credatis quod hoc de Judæis tantùm, vel paganis, vel hæreticis fuerit dictum, sed definitissimè credite, quia hoc Christiani, & Catholici, qui in malo opere perseverare voluerunt, audituri sunt. Ad judicium enim non veniunt nec pagani, nec hæretici, nec Judæi, quia de ipsis scriptum est: Qui non credit, jam judicatus est.* Et paulò post: *Nemo se decipiat, fratres, falsâ spe circumventus, nihil enim prodest, quod aliquis Christianus vocatur in nomine, si hoc non ostendat in opere. Scriptum est enim: Fides sine operibus mortua est.* Quin ipsi Lutherani integrioris vitæ, sine precibus ad Deum, sine eleemosynis, sine actibus amoris Dei, sine dolore peccatorum & pœnitentia, sine fiducia in meritis Christi, exire de vita nolunt, quantumvis Prædicantes ex *sola* fide salutem illis promittant. Sciunt illud Apostoli melius 2. Cor.5. & Augustini, serm.38. de

Sanctis: *Oportet nos omnes stare ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. Et Dominus in Evangelio: Tunc reddet unicuique secundùm opera sua. non dixit secundùm fidem suam, sed unicuique secundùm opera sua.* Ita Augustinus. Quare verè ita concludit: *Nos ergo fratres carissimi si & pœnam evadere, & ad æternam beatitudinem volumus pervenire, non solùm credamus in Deum, sed etiam toto corde diligamus, & quantum possumus ipso adjuvante bona opera facere studeamus: ut cùm ipso auxiliante fecerimus quæ præcepit, mereamur recipere quæ promisit.*

VI. Hæc Lutheranorum doctrina vel hoc ipso detestanda, quòd antiquos, & perditissimos hæreticos habeat patronos, & jam dudum damnata sit. Auctor enim hujus Simon magus, qui dicebat: *homines salvari per gratiam ejus, non secundùm operas justas* Ita Irenæus de illo lib.1. c.20. Theodoretus de hæret. fabulis. Post illum Eunomius Arianus, corpore & mente leprosus, & hæreticorum impudentissimus, de quo S. August. lib. de hæres. c.54. *Fertur*, inquit, *usque adeo bonis moribus fuisse inimicus, ut asseverarit, quòd nihil cuiquam obesset, quorumcunque perpetratio, & perseverantia peccatorum, si hujus, quæ ab illo docebatur, fidei particeps esset.* Testatur præterea D. Augustinus, tum lib. de unico Baptismo, contra Petilianum cap.10, tum lib. de fide, & bonis operibus, non defuisse tempore Apostolorum, qui dicerent *solam* fidem sufficere, atque adeo bona opera non esse necessaria ad salutem: ob id cæteros Apostolos, ut suprà diximus, eò cumprimis direxisse Epistolas suas, ut opera bona vehementiùs commendarent. De hisce hæreticis, quàm exsertè rursum Augustinus lib. de vita Christiana, c.14. *Novi, quos ita insipientiæ, & imprudentiæ tenebrosa caligo, & ignorantia fallit, & decipit, ut fidem, quam se habere simulant, sine justitiæ operibus apud Deum censeant sibi profuturam. Ex hoc erroris genere decepti, sine metu crimina nefanda committunt, dum credunt Deum non criminum, sed perfidiæ tantùm ultorem: & hujusmodi non solum se ipsos perisse contenti sunt, sed etiam alios, in quibus nullum divinæ scientiæ est lumen, suis nituntur laqueis implicare. in quibus impletur illa Salvatoris nostri sententia: Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Sed nunc cæteros Patres de merito, & necessitate bonorum operum audiamus.

SS. Patrum testimonia de merito, et necessitate bonorum operum.

PRovocat nos ad hæc testimonia adversarius, quando hisce jactantiæ verbis scriptum suum de justificatione orditur: *Veneranda primitivæ Ecclesiæ antiquitas docet mecum, hominem justificari coram Deo non justitiâ propriâ & infusâ, non operum meritis, sed justitiâ Christi nobis imputatâ, per solam fidem apprehensâ; ita ut homo in hac vita certitudine divinâ salutis suæ certus esse debeat.* Id deinde promittit se ex Patribus ostensurum, quorum alios alibi recitaverit, alios verò à Gregorio M. hoc scripto introducit, *Bedam* videlicet, *D. Ludgerum, Strabum Fuldensem monachum, Anselmum, Haymonem, Bernardum,* aliosque. quorum nihil ego apud illos auctores reperio, nisi quantum falsò detorquet in suam hæresin, ut legenti patebit. Et quomodo Patres istos in his Lutheranis accenseas, quorum omnis vita nihil aliud testatur, quàm merita bonorum operum, eorumque necessitatem ad salutem? Sed nos Patres integriori fide ex primitiva Ecclesia, & primis sæculis ad Carolum Magnum sistamus. *Ignatius* martyr & Episcopus ex Christi discipulis Epist. ad Rom. 1. *Sinite me ut bestiarum esca sim, per quam possim Deum mereri.* Idem ad Mariam Cassobitem habet. *Justinus* Martyr orat. ad Antoninum: *Homines qui se Dei voluntate & consilio dignos præstiterint operibus, cum eo victuros pro meritis suis* docet.

Origenes lib. 2. in Epist. ad Rom. *Ædificentur fideles, ne putent hoc solùm sufficere quod credant: sed sciant justum judicium Dei unicuique reddere secundùm opera sua.*

Basilius lib. de Spiritu S. *Homo ex operibus justitiæ salvatur. Clemens Alexand.* lib. 4. Strom. *Deus omnibus omnia distribuit pro meritis, cum justa sit dispensatio & œconomia:* Lib. 5. Strom. *Gratiâ salvamur, sed non absque bonis operibus.* Quod infrà explicat: *Quando audierimus, fides tua te salvum fecit, non accipimus absolutè, nisi facta quoque fuerint consecuta.*

Tertullianus lib. 2. contra Marcionem c. 6. & in Scorpiaco c. 6. *Quomodo multæ mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum?*

Cyprianus de unit. Eccles. *Justitiâ opus est, ut promereri quis possit Deum judicem; praeceptis ejus & monitis obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem.*

Gregorius Nazianzenus orat. in S. Baptis. *Crede resurrectionem, judicium, mercedem ad justam Dei lancem exigendam.*

Ambrosius lib. 1. de officijs: *Nonne evidens est, meritum aut praemia aut supplicia post mortem manere?* Comment. in Epist. ad Hebr. *Festinemus in requiem illam, quoniam non sufficit fides, sed debet addi & vita fidei condigna.* Rursum: *opus est omni volenti caelum possidere, fidem bonis operibus ornare.*

Chrysost. hom. 30. in Joan. *Qui credit in filium, habet vitam aeternam. nunquid ergo satis est ad vitam aeternam, credere? minimè,* inquit: *Nam si in Patrem, & Filium, & Spiritum S. rectè credideris, non autem rectè vixeris, nulla tibi ad salutem utilitas.* Et mox: *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam, non tamen dicimus, satis esse solam fidem ad salutem.* Hilarius can. 7. in Matth. *salus,* inquit, *gentium omnis in fide est, & in praeceptis Domini, vita est universorum. Hieronym.* com. in Isa. ad cap. 26. *Non sufficit murum habere fidei, nisi ipsa fides bonis operibus confirmetur.* Idem in cap. 4. Oseae, de haereticis: *Per dulces sermones decipiunt infelices, cùm enim viderint aliquos delinquentes, ajunt: nihil aliud quaerit Deus, nisi fidei veritatem, quam si custodieritis, non curat quid agatis.* Possetne Lutheri, & hanc Nisanij haeresin clariùs ex idea veterum haereseôn proponere? His adde *Cyrillum Hierosolymitanum* Catech. 1. *Gregorium Nyssenum* Hom. in Ecclesiast. *Lactantium* lib. divin. Instit. *Clementem Alexandrinum* Epist. 4. *Zenonem Veronensem* Invit. 5. *Victorinum, Gregorium Magnum,* aliosque innumeros, qui passim à scriptoribus & Theologis referuntur. Omnium instar S. Augustinus Epist. 105. ad Sixtum: *Nullane,* inquit, *sunt merita justorum? Sunt planè qui justi sunt, sed ut justi fierent, meriti non fuerunt.* Rursum: *Sicut merito peccati tanquam stipendio mors redditur, ita meritis justitiae, tanquam stipendium redditur vita aeterna.* Lib. 50. Homil. hom. 14. & de gratia & libero arbitrio c. 17. *Audiamus Paulum Apostolum dicentem: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de caetero superest mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex. Debet ergo. quid reddet? reddet ergo justus judex. non enim opere inspecto potest negare mercedem.* Lib. 1. contra advers.

adverſ. Legis & Proph. c.16. *Perparum eſt, quod in eleemoſynis datur, ſed cùm piè datur, æternum inde meritum comparatur.* Lib. 3. Hypog. *Propter liberum arbitrium, quo bona & mala ſperant homines, dictum eſt: unicuique reddet ſecundùm opera ſua: habet enim homo malum meritum, cùm vitio ſuo jam baptizatus declinat à bono, & facit malum; habet nihilominus & bonum meritum, cùm in omnibus gratia Dei bona in ſe operanti non reſiſtit, ſed cooperator exiſtit.* Lib. de moribus Eccleſiæ: *Vita æterna eſt, cujus promiſſione gaudemus, nec præmium poteſt præcedere merita, nec priùs homini dari quàm dignus ſit.* Demum, ut inumera hîc prætermittam Auguſtini teſtimonia, præclarè is lib. de dogmatib. Eccleſ. c.32. *Tanta eſt erga homines bonitas Dei, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.* Atq; ut ex eodem Auguſtino denuò recognoſcas neceſſitatem bonorum operum, lege, quæ ſcribit ſerm.35. *Soli parvuli, qui nondum habent opera propria, vel bona, vel mala, ſecundùm ſolum originale peccatum damnabuntur, quibus per lavacrum regenerationis non ſubvenit gratia ſalvatoris. Cæteri autem omnes, qui jam utentes libero arbitrio ſua propria peccata originali inſuper peccato addiderunt, ſi de poteſtate tenebrarum per gratiam Dei non eruuntur, nec transferentur ad regnum Chriſti; non ſolùm ſecundùm originis, verùm etiam ſecundùm propria voluntatis merita judicium reportabunt. Boni verò etiam ipſi quidam non ſolùm ſecundùm ſua bona voluntatis merita præmium conſequentur, ſed etiam ipſam bonam voluntatem per Dei gratiam conſecuti ſunt.* Et mox: *Filius hominis venturus eſt in gloria ſua, cum Angelis ſuis, & tunc reddet unicuique ſecundùm opera ſua*, Matth. 16. *Diligenter quæſo attendite fratres, & mecum pariter paveſcite, quia non dixit: quòd reddet unicuique ſecundùm miſericordiam ſuam, ſed ſecundùm opera ſua. Hîc enim eſt miſericors, ibi juſtus.*

Hæc paucis de ſanctorum Patrum teſtimonijs. Et quid illis opus eſt? cùm ipſa SS. Patrum facta loquantur, teſtenturque multo clarius. Nam ſi vitam SS. Patrum, Epiſcoporum, Sacerdotum, & omnium Juſtorum expendamus, ſi jejunia, ſi orationes, vigilias, eleemoſynas, chameunias, afflictiones corporis, rerum humanarum contemptionem, cæteraque opera miſericordiæ tam corporalia, quàm ſpiritualia, perpetuam caſtitatem, & omnia caritatis officia inſpiciantur, quibus totius vitæ ſtudium occuparunt, ut certam facerent vocationem ſuam, inſtar omnium Scriptorum eſſe poſſint; nec ullum efficacius argumentum contra No-

vatores esse potest, quàm si sanctorum & Apostolicorum virorum vitam opponamus vitę Lutheri, Calvini, Zwinglij, eorumq; quos illi in suis Ecclesijs post se reliquere ministros, & præcones novi evangelij sui. Cæteris in hanc rem omissis, quis vidit unquam Ambrosium, Augustinum, Chrysostomum, Nazianzenum, Basilium, Athanasium, Hilarium, Hieronymum, Gregorium Magnum, & magnos in Ecclesia Orientali & Occidentali Episcopos & Sacerdotes, cum uxoribus, liberis, & ancillarum grege procedere ad Ecclesiam? quemadmodum nunc Prædicantes & Superintendentes ex nova carnalis evangelij doctrina conspiciuntur procedere ad templum atque ad altaris ministeria? Monstra hæc fuissent: ne quid dicam de Apostolicis viris, & primis Saxoniæ Episcopis à Carolo M. impositis, & qui inde ad nostram usque ætatem in Ecclesia Catholica consecuti sunt. nunquam illa Ecclesiæ portenta, nisi inter hæreticos visa sunt. Nunc Carolum M. subjungamus SS. Patribus.

Caroli M. testimonia pro merito, et necessitate bonorum operum.

Nihil adversarius in hac controversia pro se ex *Carolo M.* produxit, seu quod in *ejus scriptis & vita* nihil invenerit, quod erroris sui patrocinandi speciem præberet; seu quod omnia sibi in Caroli *constitutionibus* adversantia videret. neque nobis etiam magnopere Caroli testimonijs hîc opus est, qui jam satis ostendimus Carolum M. non in sola fide justificationem & salutem quærendam docuisse. Interim clarum ejus testimonium de merito bonorum operum, sisto ex Capitularium lib. I. c. 82. quo jubet, Pastores & Sacerdotes primò Apostolorum Symbolum ordine populum docere, interq; cætera: *Quomodo* (verba sunt Caroli) *iterum venturus sit in majestate divinâ judicare omnes homines secundùm propria merita; & quomodo impij propter scelera sua cum diabolo in ignem æternum mittentur, & justi cum Christo, & cum sanctis Angelis in vitam æternam ituri sint.* Hîc primùm expressè habes merita bonorum operum, quibus æternam vitam promerentur Christiani. Capite eodem Carolus: *Item cum omni diligentia cunctis prædicandum est, pro quibus criminibus deputentur cum diabolo in æternum supplicium. Legimus enim,*

Paulo

Paulo dicente, Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses, secta, invidia, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Ideo hæc eadem, quæ magnus prædicator Ecclesiæ Dei singillatim nominavit, cum omni studio prohibeantur. Intelligentes, quàm sit terribile illud, quod dixit: Quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur. Habes hîc alterum ex impiorum demeritis & peccatis, ob quæ damnentur testimonium. Pergit Carolus: *Sed & omni instantia admonete eos de dilectione Dei & proximi, de fide & spe in Domino, de humilitate & patientia, de castitate & continentia, de benignitate & misericordia, de eleemosynis & confessione peccatorum suorum, & ut debitoribus suis secundùm Dominicam orationem sua debita dimittant; scientes certissimè, quòd qui talia agunt regnum Dei possidebunt.* Vides ut rursum Carolus in his virtutum & bonornm operum actibus remunerationem æternæ vitæ, & non in sola fide reponat. Imò subjungit Carolus: *Et hoc ideo diligentiùs injungimus caritati vestræ, quia scimus temporibus novissimis pseudodoctores esse venturos, sicut Dominus in ipso Evangelio prædixit, & Apostolus Paulus ad Timotheum testatur.* Tanquam vates Carolus intento simul digito, vestras hæreses monstrasset, mandatorum Dei & bonorum operum merita fructusque impugnaturas. Lib. eodem cap. 75. Carolus commendat opera misericordiæ, de quibus Christus Matth. 25. *Quia,* inquit Carolus, *ipse Dominus dicturus est in remuneratione magni Diei: Hospes eram, & collegistis me. & Apostolus hospitalitatem laudans dixit: Per hanc quidam placuerunt Deo, & Angelis hospitio susceptis.* Contrà hîc Nisanius noster scribit: *Persona Deo non nisi per fidem placet,* qualiscumque illa demum sit. ut nunc Nisanius supra Carolum & Apostolum sapiat. Et quàm illud absurdum atque impium, neminem Deo ex ullis operibus bonis placere, nisi ex actibus fidei?

Prolixum cætera Caroli testimonia adducere, quibus libri Capitularium & Carolinæ synodi plenæ sunt. Et quid aliud sunt omnes Caroli leges, statuta pro Clero & populo, pro Monachis & Religiosis, quàm hortamenta, & vincula bonorum operum? ut ex his augmentum justitiæ, certitudinem salutis, & vitæ æternæ præmia consequantur? Quapropter in præfatione libri primi ad capitula: *Hæc dilectissimi pro studio & ma-*

& magna dilectionis intentione vestram unanimitatem admonere studuimus, ut sanctorum Patrum Canonicis institutis inhærentes, præmia cum illis æternæ felicitatis accipere mereamini. Carolus deinde Epist. ad Hispaniæ Episcopos: *Principium salutis nostræ fides, quæ intemeratè per bonorum operum vestigia feliciter currit ad finem.* Rursum: *Quisquis ad civitatem cælestem rectâ sibi præviante fide manus bonorum plenissimas habet, apertas inveniet portas.* Dilucidiùs in confessione fidei Carolus: *Credimus omnes homines resurrecturos esse, & singulos secundùm opera sua judicari.* Synodus Rhemensis can. 1. in professione fidei ita habet: *In ea, quâ nunc vivimus carne, & in ea quâ Dominus resurrexit forma, percepturi ab ipso, alij pro justitia meritis vitam æternam, alij pro peccatis supplicij æterni sententiam.* Quid ad hæc Nisani? Hanc Synodum ad se allatam, lectamque Carolus M. approbavit. Eadem leges in Concilio Moguntino can. 3. can. 15. can. 18. ac cæteris illis quinque Concilijs à Carolo sub postremos vitæ annos confirmatis. Quin ex ipsis donationibus & largitionibus, quas Ecclesijs, Monasterijs, & pauperum indigentiæ tantâ liberalitate fecit, quantam non sibi mercedem certus divinæ promissionis reposuit? id vel ex diplomate Caroli, & donatione Ecclesiæ Osnabrugensis clarum est. ita enim Carolus: *Quicquid locis Sanctorum venerabilium ob amorem Domini nostri JESU Christi, & reverentiam Sanctorum cedimus, vel condonamus, hoc ad mercedis augmentum, & stabilitatem regni nostri in Dei nomine pertinere confidimus.* Hunc in modum cæteras Caroli Magni, & Ludovici Pij, cæterorumque Imperatorum, Regum ac Principum donationes spe æternæ simul & temporalis mercedis consignatas legimus. Et quanta ex his Carolo remuneratio, tanta alijs qui hæc aliò avertunt condemnationis pœna intentata est, per anathemata & execrationes diplomatum. Hoc merendi studium per sacras donationes, per eleemosynas pauperum, largitiones in captivos apud barbaros, Carolus per omnem vitam sibi unicè propositum habuit: quod quemadmodum moriens testamento suo obsignârit, is facilè intelliget, qui Caroli testamentum ab Eginardo, & Annalibus Francorum relatum perlegerit. Quid nunc illa jejunia? quid orationes? quid sacrificia quotidiana? quid Eucharistiæ & Pœnitentiæ frequentatio? quid corporis per cilicia afflictationes, quid cætera misericordiæ, patientiæ, & justitiæ opera in Carolo, in Episcopis, in Sacerdotibus, Monachis, religiosis, & omnibus justis hominibus?

bus? si sola fides justificat, nec opera bona meritoria sunt, nec aliud sunt, quàm nuda signa fidei? Sanè omnes illi stulti fuere, imò verò dementes, qui *carnem suam crucifigentes cum vitijs & concupiscentijs*, spretisque mundi voluptatibus cælibem castamque vitam egerunt. Nihil insaniùs hoc sæculo, quàm relictâ Apostolicorum virorum doctrinâ & exemplo, uni vel Luthero, vel Calvino hærere, qui laxam illam, & hactenus nulli Sanctorum cognitam viam ad cælum nobis pollicentur. Homines videlicet, de quibus S. Judas in epistola: *Abeuntes post carnem alteram, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum.*

Objectiones adversariorum, et cumprimis Nisanij.

PRimò hîc Nisanius cum Joanne Gerhardi, opponit nobis Theologos Catholicos in quatuor classes distributos, qui de conditionibus ad meritum requisitis aliter atque aliter sentiant & disceptent. Inter quas illa primaria ferè est: *Utrum ad meritum requiratur promissio?* Verùm hîc uterque non tam pro jactantia multæ doctrinæ, quàm pro fraude sua agit; dum quæ citra fidei articulum disceptantur inter Scholasticos doctores, hæc illi Lectori & populo pro fidei articulo obtrudunt. Et si Nisanium legas, tertia propè pars libri ex his dolis contexta est. Fraudem hanc jam satis Wallenburgici, Erbermannus, alijque exprobrarunt.

Rem paucis expediamus in sententia communiori eorum, qui ad meritum bonorum operum requirunt *promissionem Dei.* Nam *meritum* duobus modis sumi potest. I. Pro merito justitiæ strictè sumptæ. atque ita merita, ut præmium exigant, petunt necessariò promissionem Dei intervenientem: quando in humanis, ubi est propria obligatio justitiæ strictæ, videmus ejusmodi pactum seu promissionem intervenire. Unde juxta D. Thomam, justitia propria in suo conceptu dicit tantum pro tanto pacto firmatum. II. Meritum in latiore conceptu justitiæ accipitur

prout solùm dicit jus quoddam connaturalitatis respectu præmij, atque ita merita bonorum operum in justo homine, ex se & secluso omni pacto connaturaliter poscunt præmium. Hinc Compton disp 126. de *Merito*, sect. 3. n. 5. ex Concil. Trident. docet: *Ut opus justi sit meritorium, nihil aliud requiri, quàm ut fiat ex gratiâ Dei.* neq; ex mente Concilij ad rationem meriti hoc modo sumpti, requiri promissionem. Prorsus ut multæ res naturales sunt, quæ connaturaliter poscunt alias; ut ignis calorem, sol lucem, aqua frigus. Et quæ hîc repugnantia, quo minus in supernaturalibus, aliqua forma poscat præmium, ut gratia gloriam? *cùm gratia sit semen gloriæ.* Quemadmodũ & 1. Joan. 3. & Apostol. ad Rom. 8. docet opera filij, seu ejus qui est in gratia, per patientiam & alias similes operationes facere hæredes & cohæredes Christi. III. In hunc modũ Theologi cum D. Thoma hîc art. 3. docent, hoc meritum bonorum operum in homine justo esse *meritum de condigno,* si Durandum excipias, quem ob id Tannerus perstringit, quòd à receptissimo loquendi modo Theologorum discedat. Sanè Christus Luc. 10. *Dignus est operarius mercede suâ,* & Apostolus 2. Thess. c. 1. *Ut digni habeamini in regno Dei.* Ad Durandi sententiam accedere putant, qui valorem omnem & condignitatem operum nostrorum haberi volunt ex solâ Dei ordinatione, seu constitutione divina, quatenus illa in ordine ad præmium vitæ æternæ acceptat: Uti valor monetæ adæquatè sumitur à voluntate Principis. Sed hæc modò non disceptamus. Nec tu ille es, qui communem Theologorum sententiam evertas, quamvis scribas: *Hodierni Jesuitæ errores suos occultare, omnibusque modis palliare student; nec videri volunt, quòd vel gratiæ Dei, vel obedientiæ Christi aliquid detrahant.* Quasi verò magni illi Theologi, Bellarminus, Suarez, Vasquez, Lessius, Valentia, Tannerus, Becanus, alijque innumeri quos hîc tumultuariè congeris, à te primùm discere debeant, quid in his Theologicis quæstionibus docendum sit, qui totus erroribus hæresis tuæ involutus es, nec quid scribas ipse intelligis, nisi quod per rapsodiam ex Joanne Gerhardi exscribis. Si quid in te ingenij & doctrinæ, scribe aliquem solidum tractatum per singulas quæstiones ordine deductum, sicut magni illi Theologi fecere. tum redi, & offer Theologis alicujus Academiæ expendendum. Nunc alios potiùs audiamus, qui eadem quæ tu, multo ordinatius proponunt.

Igitur II. objiciunt, Opus per quod aliquis meretur, totum debet

bet esse illius, qui meretur; id verò de meritis justorum dici non potest, quæ tota sunt Dei. ℞. Ex hoc nihil aliud probari, quàm quod justi seposita promissione & acceptatione Dei, nihil ex justitia strictè sumpta mereantur. Quod ultrà largiamur. At cùm in omnibus justi operibus, (ut Bellarminus ostendit) hæc promissio interveniat; fit, ut mercedem non gratis, sed ex debito conferat: *Nam ei qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* Rom.4.v.4. Deinde, etsi opera justi sint Dei, quippe quæ ex gratia Dei sunt facta, eadem tamen sunt opera hominis justi per liberum arbitrium & cooperationem. Unde licet in bono opere ex gratia facto nihil nostrum sit, quod non sit Dei; econtrà tamen nihil est Dei, quod non etiam sit nostrum. Hoc illud S. Augustini suprà allatum: *Tanta est bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.*

Objiciunt III. Opus quod præstatur, ut meritum esse possit, nullo alio titulo debet esse debitum; atqui opera nostra multis titulis Deo sunt debita: Ergo non possunt esse merita. ℞. Etsi opera justorum multis titulis Deo sint debita, quia tamen Deus pro suâ liberalitate summa nobiscum ultroneam conventionem fecit, seseque obligavit ad mercedem pro operibus reddendam; fit, ut jus suum, quod in nostra opera habet, in nos quodammodo transcripserit; & opera nostra per ejus gratiam facta, non tanquam sua, sed tanquam nostra, ex justitia coronet. Simile dant Theologi in mancipio. nam etsi ejus actiones in solidum sint Domini, & per pecuniam Domini negotietur: si tamen Dominus cum mancipio liberale pactum ineat, ut si multum lucretur, magnum præmium accipiat; si parum, parvum; conventione expletâ, Dominus non ex liberalitate tantùm, sed justitiâ etiam tenetur dare præmium. Nam etsi liberalitatis fuerit, præmium promittere, justitiæ tamen est promissum solvere ad quod se obligavit.

Objiciunt IV. illud Luc.17: *Cùm feceritis omnia, dicite quia servi inutiles sumus.* Varia ad hoc Patrum responsio est. Prima *Ambrosij* lib.8. in Lucam: Ex nobis inutiles sumus respiciendo naturam. Secunda *Chrysostomi:* Nos non debere gloriari in operibus nostris, quantumvis justorum sint opera. Tertia *Beda:* Nos nihil utilitatis adferre Deo. Quarta *Augustini:* Nos nihil ex operibus exigere posse, nisi Deus ex liberali pa-

cto nobiscum convenisset. Ita serm.3. de verb. Dom.& apposite ad ea quæ diximus.

Objiciunt V. Inter opera & præmium debet esse proportio & æqualitas, quæ non invenitur inter opera justorum, & præmium æternæ vitæ: *Non* enim *sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, Rom.8. Contra est illud 2. Corinth. 4. *Momentaneum & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur*. Respondet Bellarminus: opera nostra physicè non esse quidem condigna, ut tamen ex gratia & Spiritu sancto meritoriè procedunt, condigna & proportionata esse, cùm sint opera filiorum Dei. Deinde cum ex gratia Dei habituali dignificentur, etiam condignitatem habent, quam sepositâ etiam promissione, Deus simpliciter tenetur remunerare præmio, ut suprà diximus. Et quæ hîc proportio desiderari potest, cùm gratia sit semen gloriæ? ac tametsi semen mole sua non sit proportionatum, est tamen virtute proportionatum ad fructus, etiam ipsi naturæ admirandos Qualis autem proportio inter opera, & præmium servetur in remunerando apud Deum per justitiam; utrúmne commutativa illa sit, an distributiva? utrúmne arithmeticè an geometricè procedat Deus? leges apud Bellarminum cæterosque Theologos. Dicant nunc illi, qui hanc proportionem bonorum operum & præmiorum à nobis requirunt, qualis illa sit proportio, quâ Deus ob peccata mortalia æternùm damnet impios, & ob brevem hujus vitæ voluptatem æternis supplicijs puniat? Si mala opera hoc demeritum ex contemptu Dei secum trahant, cur non bona opera hoc meritum suum ex gratia Dei habeant?

Objiciunt VI. Corona vitæ æternæ quæ datur justis, non operum meritis, sed tota misericordiæ divinæ in sacris literis adscribitur, Rom.6. *Gratia Dei vita æterna*; Psalm.102. *Qui coronat te in misericordia & miserationibus:* ergo nihil operibus adscribendum. ℞. Loca illa Scripturæ, quæ totum præmium vitæ æternæ soli misericordiæ divinæ adscribunt, si strictè hîc sumere velint adversarij, ex his etiam conficitur, neque fidem, neque baptismum esse necessaria ad salutem. Nam si ex pura Dei misericordia donatur æterna vita: nec præmium, nec utilitatem habebunt. Deinde cùm in Scripturis vita æterna dicatur *corona justitiæ*, 2. ad Timoth.4. 1. Cor.9. Hebr.6. 1. Thess.1. loca hæc Scripturæ concilianda sunt. Igitur corona justitiæ appellatur ex meritis, & propter merita. *Non enim*

enim est injustus Deus, inquit S. Augustinus cum Apostolo, *qui justos fraudet mercede sua.* Cùm verò ipsa merita, quibus *corona justitiæ* debetur, ex gratia Dei virtutem suam habeant, eaque gratia ex misericordia detur; fit, ut *corona justitiæ* etiam *corona misericordiæ* vocetur: quæ duo, ut Theologi asserunt, non repugnant, ac diverso respectu hanc vim & appellationem habent.

Objiciunt VII. Injuria fit meritis Christi & passioni ejus, quòd proprijs meritis attribuamus augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. ℞. Nulla fit injuria Christi meritis, sed summa est gloria Christo: Sicuti viti est gloria, quòd palmes ferat fructus. *Ego vitis*, inquit Christus, *vos palmites.* Joan. 15. Et quæ major efficacia & gloria meritorum Christi? quàm quod nobis etiam ex suo merito, nostris quoque operibus vim merendi sit promeritus, seu ut Augustinus dixit, *sua dona voluerit esse nostra merita?* quicquid hîc tandem oblatret Nisanius.

Urgent: Vel merita Christi sunt sufficientia, vel non sunt. Si non sunt sufficientia, manifestè Scripturis contradicimus; si sunt sufficientia, frustrà ac malè Catholici operibus suis tribuunt vim merendi. ℞. Merita nostra non requiruntur propter insufficientiam meritorum Christi, sed propter majorem ejus efficaciam, quod suis meritis nobis vim merendi sit promeritus: sicuti quod Deus sole utatur ad illuminandum, & calore ad calefaciendum, non arguit imbecillitatem Dei, sed omnipotentiam: quòd potuerit per causas secundas illa facere, quæ per se etiam potest facere solus.

Instat Nisanius: Quicquid meritis Christi de nobis additur, hoc adimitur ijs, quia indivisibili & infinito nihil addi potest. ℞. Nos nihil addere, vel demere meritis Christi, quæ infinita sunt, sed ex his vim merendi habere, simulque per bona opera à Deo ordinata nobis applicare meritum Christi: quemadmodum ipsi Lutherani fateri debent, per fidem & Baptismum applicari nobis meritum Christi, aut certè his tanquam superfluis nihil opus erit, quod impium est dicere. Deinde meritum Christi maximè est communicativum, ex quo efficacia illa, & vis merendi operibus nostris est data, nam *de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Joan. 1. v. 16. Si nulla vis merendi est in operibus justorum, fallit nos Scriptura tot locis suprà citata, falluntnos om-

nes Patres, qui operibus justorum augmentum gratiæ, mercedem laboris, præmium æternæ vitæ, & coronam justitiæ attribuunt.

Pergit delirare Nifanius. Vis merendi est effectus supernaturalis, qui nulli creaturæ potest competere, juxta speculationem Jesuitarum. Quasi verò hæc Jesuitarum sit doctrina solùm, quæ omnium Catholicorum doctorum est, & totius Ecclesiæ Catholicæ. Imo verò quàm insulsus tu es Theologus, qui doces nullum effectum supernaturalem posse competere creaturæ, id est, neque Angelo, neque homini: cum tamen apud omnes Theologos sanæ mentis tres sint virtutes Theologicæ, *fides spes, charitas,* homini Christiano datæ. Quid hæc dona? quid habitus, quos ipse admittis in renovatione vitæ, quid inquam habitus caritatis & gratiæ? si nullus ex his in homine est effectus supra naturam? Hîc tu Scripturæ, Patribus, rationi, & omnibus Theologis contradicis. Si Theologos consulas, intelliges, actum fidei divinæ esse intrinsecè & ex substantia supernaturalem. *Hoc enim est opus Dei, ut credatis* Joan.6. Fides est donum Dei, *Nec enim omnium est fides* 2.ad Thess.3. *Vobis donatum est pro Christo, ut in eum credatis.* ad Phil.c.1. Id quod in Concilio Arausicano, & Milevitano definitum est, & Trident.sess.6. Sed dices: *dæmones credunt & contremiscunt,* Jacob.cap.2. idque naturaliter faciunt. ita est: quia omnibus supernaturalibus donis spoliati sunt. Non alia ergo apud vos fides erit, ex quo hæresis vestra supernaturali dono fidei vos spoliavit, quàm dæmonum: adeò vobis placuit ad horum naturalem fidem & societatem transire, quàm cum Catholica Ecclesia velle sentire. Et qualis tu sacrosanctæ Theologiæ Licentiatus? qui in fide & Theologicâ illâ virtute nihil sacrum relinquis, quod non dæmones etiam sibi vendicare possint.

Objicis VIII. Apostolum ad Philip.3. *Hæc omnia quæ mihi erant lucra, propter Christum detrimentum feci, & arbitror ut stercora:* Ergo, inquis, omnia bona opera nostra nihil præter detrimentum & stercus sunt apud Deum. Quàm stercoreus tu nobis hic Doctor es, qui cum Luthero & Calvino, omnia bona Justorum & Sanctorum opera facis sordes, inquinamenta, & pannum menstruatæ. Mirum, si non etiam *Stercutium deum* advoces patronum causæ tuæ. Deinde, si bona Justorum opera sint stercus & detrimentum, etiam ipsa fides, & opera fidei; ipse Baptismus, & cœnæ vestræ sumptio stercus erunt. R. igitur, Apostolum opera

opera Legis, sine fide in Christum, & sine gratia ejus facta, æstimare ut stercora, in comparatione eorum, quæ ex gratia & justitia Christi faciebat. Lege Patres & Interpretes, nemo tam sordidè & impiè Apostolum unquam interpretatus, quàm tu facis. Lege hac super re Augustinum lib.2. de pecc. merit. c.13. alijsque locis. quanquam lib. ad Bonif. explicet Apostolum, tanquam dicat: non velle se gloriari de se, sed humilem reputari, tametsi tanta fecerit. nullo verò modo opera bona damnare, de quibus tam gloriosè in omnibus scripsit, & ex quibus sibi coronam justitiæ repositam profitetur. Sanè si bona opera non nisi detrimentum & stercora sunt, hoc apud vos valere debet, qui sublatâ verâ primùm fide, & donis supernaturalibus, vim omnem Sacramentis, & bonis operibus subtrahitis, & ad legem naturæ, *atque ad egena elementa* ecclesiam vestram reducitis.

Objicis IX. Patres, quorum aliqui dicunt, ex bonis operibus nos consequi tantùm remunerationem aliquam, & impetrationem. uti Ignatius ad Rom. per quam Deum possim mereri, cùm in Græco sit, τȣ̃ θεȣ̃ καταλαβεῖν. Dionysius de cœlesti Hierarch. c.1. *Divinitatis participationem promerentur*, cùm in Græco sit θεȣ̃ καὶ θείων τυχεῖν: Verùm hi Patres, ut rectè Bellarminus ait, sæpè in genere dicunt, nos per quemlibet actum bonum aliquid accipere. Imò si rectè expendantur, illam acceptionem supponunt ex merito fieri: nam fateri coguntur, nihil frequentiùs esse apud Patres, quàm meritum bonorum operum, mercedem, & præmium æternæ vitæ. Et quæ meriti retributio sine acceptione fingi potest? Hunc in modum dicunt Patres, nos impetrare aliquid bonis operibus: quod nihil derogat merito bonorum operum, quando impetratio accipitur vel ratione operis, & obsequij, quo aliquid obtinemus. Quo sensu quodvis opus vocari potest *impetratio:* præsertim si sit meritorium imperfectè, seu ut dicimus, *de congruo*; vel accipitur ut per orationem aliquid obtinemus à Deo, quæ propria hujus vocis est acceptio. Addis Eusebium Demonst. IIX. Evang. ubi Petrus admiratus eos, qui ex *familia Cornelij Spiritum S. accipere meruerant*, quòd in Græco sit, τȣ̀ς τȣ̃ ἁγίȣ πνεύματος ἀξιȣμένȣς. Vis in postremâ voce est, quæ cùm propriè significet *dignos esse factos*, quid ad meriti rationem aptiùs dici poterat? ut tu Græcam linguam parum intelligere videaris. Ita enim

enim 2. Thess. 1. *ut digni habeamini regno Dei,* in Græco est, εἰς τὸ καταξιωθῆναι ὑμᾶς τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ.

Demum si quid ex Patribus, illud D. Augustini, quod tu non attingis, objici posset ex Con. 2. in psal. 70. *Cum præmium venerit, sua dona coronabit, non merita tua.* ℞. Ut suprà, S. Augustinus dicit, opera ex nobis in nobis non coronat, sed ex gratia, ac primâ cumprimis facta: uti hæc fusè explicat in Epist. 105. *Cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat, quàm munera sua.* Rursum lib. de gratia & lib. arbitrio c. 6. *Gratia Dei non secundùm merita nostra datur, sed cùm data fuerit, incipiunt esse merita nostra, per illam tamen.* Hoc illud, quod suprà recitavi ex eodem Doctore: *Tanta est erga omnes homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona; & pro his, quæ largitus est, æterna præmia sit daturus.* Hoc fructu bonorum operum, hoc solatio vos, vestram Ecclesiam, & omnes Lutheranos defraudatis. Et quid aliud agitis hac impia vestra doctrinâ? nisi ut per idolum phantasmatis vestri (quod in solâ fide justificante constituitur à vobis) intervertatis Scripturam, enervetis Sacramenta, eliminetis Dei mandata, proscribatis bona opera, solvatis disciplinam Ecclesiæ, turbetis conscientias piorum hominum, & omnem peccandi licentiam introducatis? Væcordes supra Judæos & infideles! quorum nemo tam impius atque atheus, quin Deum esse, & remuneratorem bonorum, & vindicem malorum, ex naturæ lumine agnoscere possit ac debeat. Nobis ex Scriptura, Concilijs, & Patribus, tum ex illo Augustini in psalm. 120. fiducia & securitas: *Quando facis bonum opus propter vitam æternam, sic statuas tecum: Nam si opus bonum in terra propterea feceris, ut terrena tibi abundent, scit sinistra tua, quid faciat dextera tua, miscuisti dexteram sinistræ. noli facere nisi propter vitam æternam. Si ideo facis, securius facies. hoc enim mandavit Deus.* Imò judicio S. Augustini tanta est conjunctio bonorum operum cum Ecclesia, ut qui extra eam vivunt, nullum ex bonis operibus fructum æternæ vitæ sibi polliceri possint. Ita enim serm. 181. de tempore: *Sola est, atque una est Ecclesia Catholica, in quâ opus bonum fructuosè peragitur: unde mercedem denarij, non nisi qui intra vineam laboraverant, acceperunt.*

CAPUT III.

CAPVT III.

De Lege, et mandatorum Dei obſervatione.

LEgem Dei à Chriſtianis in ſtatu gratiæ ſervari non poſſe, communis eſt Lutheranorum, Calviniſtarum, cæterorumque novatorum doctrina; tam impia, quàm inaudita in Eccleſia, & à Luthero primùm invecta, quam Niſanius confirmat, legemque oppugnat ex Carolinis, de quibus egimus, libris, & argumentum ex ijs in fronte collocat, tanquam Carolus Magnus docuerit, legem Dei & Decalogum ſervari non poſſe. Ita enim ex lib. 1. de Imag c.14. *Deus præcepit, ſed homo non fecit. Lex enim poſita eſt in veteri teſtamento, quæ convinceret peccatores,* Cap.15. *Lex à quovis proficiente non ex omni parte completur.* Ibidem: *Deus jugum legis homini impoſuit, quod homo ferre non valet.* Lib.3. c. 25. *Lex peccata tantummodo oſtendit, gratia autem quæ per Chriſtum data eſt, peccata, quæ lex monſtraverat, curavit.* ℞. Auctoritatem horum librorum, ex quibus hæc citantur, nullam eſſe, nec aliud ex ijs veritatis teſtimonium peti, quàm ex antiquis hæreticorum ſcriptis. id quod ſuprà ſatis demonſtratum eſt. Nec enim Carolini, ſed *pſeudo-Carolini* ſunt libri, multis alijs erroribus & falſis dogmatibus reſperſi. Admittamus etiam libros illos, nihil tamen hæc ipſa (quæ adfers) directè contra nos faciunt: quando nihil aliud ex his conficitur, quàm legem Dei ſine gratia Dei impleri non poſſe. Et quis illud abnegat? Deinde, cùm dicitur legem à proficiente ex omni parte compleri non poſſe, ſatis declarat, à perfectioribus & confirmatis in gratia impleri poſſe, quantum ad perfectionem legis, & continentiam à mortalibus peccatis requiritur. Cæterùm id quod prætendis, Carolum nunquam docuiſſe infrà exponam. Nunc rem ipſam paulò altiùs repetamus. In omnibus enim fidei controverſijs provocatis nos ad Scripturam, hîc verò ubi de legis obſervatione, & re graviſſimâ, & præſcripta à Deo ſalutis via agitur,

tur, prorſus ſiles, tanquam Scriptura veteris & novi Teſtamenti nihil ad te ſpectaret, qui doctorem te Legis, & populi ductorem, (ſi non veriùs ſeductorem) ferre audes.

I. Igitur legem Dei ſervari poſſe & debere à fidelibus juſtis per gratiam, manifeſtè Scriptura veteris Teſtamenti nos docet. Deut.26. *Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi, ut facias mandata hæc.... & impleas ex toto corde.* Deut.5. antequam Decalogum præſcriberet Moyſes, inquit: *Diſcite ea, & opere complete.* Et poſt latam legem rurſus inquit: *Cuſtodite igitur & facite quæ præcepit Dominus Deus vobis.* Deut.29. Moyſes ait: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cælo ſitum.* Ezech.36. *Spiritum meum ponam in medio veſtri; & faciam, ut in præceptis meis ambuletis.* Hunc Spiritum, & hanc etiam gratiam adfuiſſe ſervantibus legem, teſtatur Scriptura Deut.5. v. 29. pſalm.118. Luc.18. v.22. Actor.15. v.10. Rom. 8. v.2. Et quis Prophetarum, aut quis Hagiographus ſcriptor, aut quis liber veteris Teſtamenti non commendat præſcribitque mandatorum obſervationem? *Tu mandaſti, mandata tua cuſtodiri nimis,* inquit David pſalm.118. Aut quis demum Prophetarum, Scriptorque ſacer tot pœnas caſtigati Hebræi populi non refert ad tranſgreſſionem mandatorum? Plena hîc eſt tota Scriptura. Contrà, quæ non merces ſervantibus legem promiſſa eſt, redditaque à Deo? Aut qui non juſti memorantur? Nimirum cum Noë & Abraham tot Patriarchæ, cum Moyſe tot Prophetæ, cum Davide & Joſiâ tot Principes Hebræi populi, cum Zacharia & Samuele tot Levitæ & Sacerdotes, cum Tobia, & Joſepho caſtiſſimo Virginis ſponſo, tot viri Sancti, cum Judith & Eliſabetha tot ex ſexu ſequiore fœminæ. Omnes hos Scriptura in via mandatorum Dei inceſſiſſe perhibet: ideoque aut juſti, aut recti corde, aut perfecti tam in lege naturæ, quàm lege Moſaica dilaudantur. Unde tot millia ſignatorum ex omni tribu recenſentur in Apocalypſi, qui non aliâ viâ, quàm mandatorum Dei, numerum illum beatorum implevêre. & tamen quàm dura Lex vetus erat, comparata cum lege Chriſti, ſuavi illo jugo? Queſtus quidem D.Petrus Act.15. legem Moſaicam eſſe jugum grave, *Quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus.* Verùm id ille non de morali lege tantùm ſeu Decalogo, (de quâ nunc agimus) ſed Judiciali, & Cærimoniali ut Morali conjunctis dixit; & ita dixit, non ut impoſſibilem ſed ut duram atque arduam oſtende-

ostenderet: (quod enim valde difficile est, moraliter impossibile vocari solet) cùm Deus impossibilia (quod tyrannorum est) præcipere non possit. Ideò veterem Legem Augustinus dixit *sarcinam innumerabilium observationum*, quâ dura Judæorum cervix premenda erat. Nec tamen quispiam Prophetarum, aut ullus sanæ mentis in Lege illa Doctor unquam docuit, legem illam observatu impossibilem esse, quod heterodoxi nostri cum Antinomis, de Lege morali & Decalogo docent: quam Christus in Lege gratiæ abrogatâ Cærimoniali veteri & Judiciali solùm reliquit, quòd natura etiam ipsa hanc præscriberet. utque servari posset, Christus etiam uberiorem quàm in lege veteri gratiam communicavit, Joan.1. *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, gratiam pro gratia*; illis ad mensuram data fuit gratia, nobis ad abundantiam, ut ea etiam, quæ sunt supra legem moralem, consilia videlicet Evangelica servari possent. Nihil magis crepant novatores, quàm merita Christi. & qua in re magis injurij sunt in merita Christi, ex quibus plenitudo gratiæ nobis data est? Et tamen populo *ἀδυναμίαν*, & impossibilitatem mandatorum Dei persuadere audent. Non Epicurus tantam vitæ licentiam indulsit, quantam Lutherus ex hac impia doctrina sua. Et hi Christiani esse volunt, qui Ecclesiam reformant.

II. Hæc fundamenta Catholicæ doctrinæ asseruntur ab ipsa Scripturâ novi Testamenti, Matth.11. *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Joan.1. c.5. *Mandata ejus gravia non sunt.* Matth.19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Idem convincitur ex ijs Scripturæ locis, quæ docent mandata Dei servari ab ijs, qui diligunt Deum; at multi diligunt Deum: ergo & mandata servant. Joan.14. *Qui diligit me, sermonem meum servabit.* Rom.13. *Qui diligit proximum, legem implevit.* Idem ad Gal.5. & Joan.13. alijsque in locis docetur: & tametsi caritas hæc respectu alterius vitæ imperfecta sit, tanta tamen est in hac vita, & tam efficax, ut præcepta graviter obligantia servari possint. Unde enim tot Justi & Sancti in hac vita, de quibus ex Scriptura constat, quos inter Apostolos, Christi discipulos, Martyres, & ex omni gradu & statu innumerabilem hominum justorum multitudinem percensere necesse est.

III. Rationibus asseritur. Primò potest homo cum gratia Dei servare consilia Evangelica, quæ supra mandata sunt, Matth.19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis the-*

ſaurum in cælo: & veni, ſequere me. 1. Cor.7. Matth.16. alijſque in locis hæc commendantur, quod innumerabilis religioſorum & SS.virginum numerus in Eccleſia convincit. Quare Auguſtinus ſerm.18. de verb. Apoſt. *Non grande onus impoſuit virginibus, major amor majus impoſuit onus.* Secundò, ſi impoſſibilia ſunt præcepta, neminem obligarent, fingi enim non poteſt obligatio, & prævaricatio, ubi poſſibilitas non eſt; nec præcepta erunt præcepta, ſed ludibria Chriſti. Tertiò ſi Lex ſervari non poteſt, Deus omni tyranno crudelior erit, qui tributum impoſſibile exigit ab homine, quod impoſſibile eſt ſolvi, & legem tulit, quæ à nullo ſervari poſſit. Quartò Chriſti paſſio cum in redemptionem noſtram, tum in hoc ſalutis medium & Legis obſervationem deſtinata eſt, Rom.8.v.3. Chriſtus paſſus eſt, *ut juſtificatio legis impleretur in nobis.* Hebr.5. *Factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.* Fruſtanea hæc ſunt, ſi Lex impleri non poteſt. Et quæ non in hanc rem ex Scriptura ſiſtuntur?

IV. Accedit Patrum auctoritas, de qua fallaciſſimè Niſanius. ſcribit enim: ſicut in Carolinis libris dicitur, Legem impleri non poſſe, ita omnium in puriore antiquitate Doctorum ſententiam eſſe, legem ſervari non poſſe. Id quàm impudens ſit mendacium, ex Patribus primorum ſæculorum oſtendam.

Cyprianus de Baptiſmo: *Quod ſi impoſſibilia eſſent præcepta tua, vel tantis difficultatibus onerata, vel voluntas ſic abdita, ut non poſſet intelligi, quod à nobis expeteret ſua altitudo, licet invitus nemo peccet, poſſet tamen in multis excuſari debitum, niſi ſimul ſe complecterentur poſſibilitas & facilitas, ſcientia & poteſtas. Præcipis Domine ut diligam te, hoc & poſſum & debeo.*

Athanaſius lib.de virginit. *Ne dicas in corde tuo, at quonam modo iſta præſtare potero? timentibus Dominum præcepta impoſſibilia non ſunt.*

Baſilius in illud Attende: *Impium eſt dicere, impoſſibilia eſſe Spiritus præcepta.*

Chryſoſtomus Hom.8. de Pœnit. *Nequaquam Dominum accuſes, haud mandat impoſſibilia. multi & ipſa ſuperant præcepta.* Rurſum in eadem Hom. *Quid igitur? Impoſſibilia nobis mandat Deus? non inquam. obmuteſce, neque Domino ſuccenſeas, non enim hic reſponſi modus, ſed peccati additamentum priori pejus.* Idem in pſalm.111. *Difficultatem non natura*

tura praeceptorum, sed multorum solet socordia efficere. Itaque si quis ea cum studio & alacritate animi suscipiat, videbit ea esse levia & facilia. quocirca dicebat textus: jugum meum suave est, & onus meum leve. Rursus in cap. 11. Matth. *Ne metuatis, etiamsi onus dixerim, leve enim est.*

Hilarius in psalm.118. *Latum mandatum Dei est, & in omnia spei nostrae genera diffunditur: ut non difficile sit, si voluntas adsit, praecepto Domini obtemperare.* In cap. 11. Matth. *Quid jugo ejus suavius? Quid onere levius?*

Hieronymus lib.3. adversus Pelag. *Deus possibilia mandavit, hoc nulli dubium est.* In cap.5. Matth. *Sciendum est ergo, Christum non impossibilia praecipere.* In hunc modum *Clemens Alexand.* lib.4. Strom. c.8. *Origenes* Hom.9. in Josia, *Ephrem* serm. de pietate, *Polycarpus* Epist. ad Philadelp. *Macarius* Hom.19. *Tertullianus* lib.2. adversus Marcionem, *Hippolytus Episcopus & Martyr* orat. de mundi cont. *Tunc dicet his, qui erunt à dextris ejus: venite, qui legem meam noctu diuque servastis.* S. Augustinus (quem caeteris subjungo) innumeris locis haec tractat, & docet. Seligam pauca. Lib. de nat. & gratia, c.43. *Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis.* Eodem libro cap.69. *Valde bona sunt praecepta, si legitimè his utamur: eo quippe ipso, quo firmissimè creditur Deum justum & bonum, impossibilia non potuisse praecipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus, quid petamus. omnia quippe facilia fiunt caritati, cui uni Christi sarcina levis est.* Lib. de peccat merit. c.3. *Non praeciperet Deus aliquid, quod esset humanae voluntati impossibile.* Eodem libro c.6. *Dubitare non possumus nec Deum aliquid impossibile homini praecepisse, nec Deo ad opitulandum & adjuvandum, quo fiat, quod jubet, impossibile aliquid esse.* In psalm.56. *Non imponeret hoc Deus ut faceremus, si impossibile judicaret.* Eadem habet serm.9. de verb. Dom. Lib de grat. & lib. arb. c.16. Lib. de spir. & lit. c.10. & 29. serm.491. de tempore. Vides Nisani, quàm fallaciter scripseris: *Patres ex puriore antiquitate docuisse, legem Dei servari non posse?* Hoc illud est, quod in Arausicano Concilio cap 25. Patres docuere his verbis: *Hoc etiam secundùm fidem Catholicam credimus, quod acceptâ per Baptismum gratiâ, omnes baptizati Christo auxiliante & cooperante, quae ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Celebratum hoc Concilium anno Christi DXXIX.

contra *Pelagianos*, docet Baronius, asserentes, legem Dei naturæ viribus impleri posse. Contrà Patres, id cum gratiâ Dei adjuvante fieri debere, sanxerunt. Eodem prorsus divino Spiritu Concilium Tridentinum sess. 6. c. 11. Contra hæreticos nostri sæculi decernit: *Nemo autem quantumvis justificatus, liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet: nemo temerariâ illâ, & à Patribus sub anathemate prohibitâ voce uti, Dei præcepta homini justificato ad observandum, esse impossibilia. nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat, ut possis. Cujus mandata gravia non sunt, cujus jugum suave est, & onus leve.*

Unum hic Nisanius objicit, idque vulgatum & centies confutatum, *Legem* videlicet *perfectè impleri non posse:* idque testimonijs Patrum primò probari vult: *Gregorij* lib. 5. Moralium c. 8. asserentis: *Ipsa justitia nostra ad examen divinæ justitiæ adducta, injustitia est. Hieronymi* deinde ad Critobulum: *Hoc quod proposuisti, posse hominem sine peccato esse, si velit, aut verum aut falsum est. Si verum est, ostende quis fuerit? Si falsum? quicquid falsum est, nunquam fieri potest.* ℞. I. Perfectio legis alia est, quæ excludit peccata mortalia, & hæc ab homine justificato *cum gratia Dei* servari potest. id quod Patres citati docuerunt. Alia est perfectio legis, quæ excludit peccata venialia, & hæc secundùm ordinarium modum humanæ vitæ præstari non potest: quemadmodum *Pelagiani* falsò docebant, posse etiam *viribus naturæ* ita legem impleri, ut homo sine omni peccato, etiam *veniali* vivat. & hoc est, quod impugnat D. Hieronymus, & Concilium Tridentinum docet sess. 6. capite citato, hisce verbis: *Licet enim in hac mortali vita, quantumvis sancti & justi in levia saltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi: nam justorum illa vox est & humilis, & verax: Dimitte nobis debita nostra. quo fit, ut justi ipsi eò magis se obligatos ad ambulandum in via justitiæ sentire debeant, quò liberati jam à peccato, servi autem facti Deo, sobriè, justè, & piè viventes, proficere possint per Christum JESUM: per quem accessum habuerunt ad gratiam istam.* Et ratio manifesta est: quia finis Legis est charitas, amicitia cum Deo, & status gratiæ, quæ venialia peccata non tollunt. Hinc alij peccatum mortale *simpliciter* dicunt esse contra legem, veniale autem *secundùm quid*; alij, mortale esse *contra legem* & finem legis, veniale verò *præter legem.*

Ita

Ita S. Thomas. Nec aliter illa, quæ ex D. Thoma in cap.3. ad Galat. adfers, intelligenda sunt, aut quæ ex cæteris fallaciter producis. Ut rectè moneat Pererius in cap.7. ad Rom. in voce *perfectè* æquivocationem cavendam esse.

Objicit deinde ex Jansenio lib.3. de Gratia c.13. Nihil esse in S. Augustini doctrina certius, quàm esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantùm infidelibus, sed fidelibus quoque & justis volentibus & conantibus, secundùm præsentes, quas habent vires, sint impossibilia. ℞. Jansenio opponimus 1. Concilium Tridentinum suprà relatum sess. 6. c.11. *Nemo temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibitâ voce uti debet, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia.* 2. Opponimus auctoritatem Pij V. & Gregorij XIII. Pontificum, à quibus hæc Michaëlis Baij propositio damnata ordine 54. *Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò Augustino tribuitur, cùm Pelagij sit.* Asserebat nimirum Bajus, Deum homini in natura lapsa præcipere impossibilia, quæ cùm Jansenij sit, damnata jam ante est in Bajo. 3. Opponimus sententiam Innocentij X. quæ hæc est: *Aliqua Dei præcepta justis volentibus & conantibus, secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant. Quam propositionem temerariam, impiam, blasphemam, & hæreticam pronuntiat.* Hæ Concilij & Pontificum sententiæ nobis satis sint. De cætero lege auctores, à quibus illæ quinque Jansenij propositiones ad amussim refutatæ sunt.

Cætera, quæ injicis frivola, aut frigida, aut falsa sunt, nec digna quæ refellantur. tantùm hoc agis, ut horridam illam ac impiam Lutheri & novatorum doctrinam de ἀδυναμία, & impossibilitate, de libertate & obedientia legis, pallies; quererisque à Jesuitis hanc calumniam vobis imponi. Non hoc Jesuitæ tantùm faciunt, sed Concilium Tridentinum, & cum eo omnes Catholicæ Ecclesiæ doctores. Et quæ profers, tam involuta sunt & hiulca, & heterodoxa, ut nec ipse videaris intelligere quid dicas. Modò enim dicis, nos à legis obedientia non *in totum*, sed *in tantum* esse liberatos. & illud *in tantum* dicis intelligi debere, 1. quoad *justificandi ἀδυναμίαν, & impotentiam, supposito lapsûs interventu.* Quasi verò hîc agatur de justificatione primâ, quæ gratis fit per Sacramenta mortuo-

mortuorum, *Baptiſmum* videlicet, & *Pœnitentiam: Principium enim meriti non cadit ſub meritum.* At quæſtio hic eſt. an homo juſtus poſſit cum gratia divina ſervare mandata Dei, augere juſtitiam, & mercedem vitæ æternæ accumulare. hoc vos pernegatis, ſecus quàm Catholica Eccleſia doceat. Sanè Chriſtus ut conſuleret infirmitati & ſaluti hominum, Pœnitentiæ Sacramentum inſtituit, per quod è ſtatu peccati homo rediret in ſtatum gratiæ. & hoc Sacramentum vos lapſis ſuſtuliſtis, ne redire poſſint in gratiam. Quomodo non ab lege abſolvis homines, qui contra legem Chriſti doces tot hæreſes? 2. dicis vos liberatos eſſe à maledicto Legis. itane à maledicto Legis liberi eſtis, qui legem docetis non poſſe ſervari? & violatâ Lege omnia maledicta Legis trahitis in capita & damnationem hominum? 3. Dicis vos à rigore Legis liberatos eſſe, contrà quàm Chriſtus docet Matth. 5. v. 17. *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere.* In quo tu tamen maledictum Legis ponis. neſcio quid inſaniùs à te dici potuerit. Quid enim Chriſtus ab eo verſu uſque in finem capitis aliud docet? quàm velle ſe præcepta naturalia & moralia abſolvere, perficere, & exornare etiam addendo conſilia, nova Sacramenta, & uberiores gratias, ipſamque deinde legem moralem, quam ordine explicat, ſupra juſtitiam Phariſæorum multò exactiùs ſanctiùſque, non ſolùm quoad actus externos, ſed internos ſervari? quæ ſi tu ad *maledictum* Legis & laxitatem mandatorum Dei trahere velis, *maledictus* ſanè tu nobis Legis interpres es. Concluſio tua tandem hæc eſt. Lutheranis eſt libertas à lege, non licentia. Imò ſumma licentia vobis eſt: nam Baptiſmus ex doctrina Lutheri abſolvit vos ab omni lege. Deinde juſtificatio impletioque Legis ex doctrina Lutheri per ſolam fidem habetur, quæ facit ut nulla peccata, quantumvis enormia contra Decalogum, vobis imputentur. Et quæ non peccandi licentia ex hoc hæreſis veſtræ principio? Judæis exprobat S. Stephanus Act. 7. *Accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodiſtis.* Aut ut Apoſtolus ad Galat. 5. *Data vobis eſt lex ordinata per Angelos in manu Mediatoris.* nimirum Moyſi. Nos ex ore & manu ipſius Chriſti veri Mediatoris accepimus legem, *qui melioris Teſtamenti eſt Mediator, quod in melioribus repromiſſionibus eſt ſancitum* Hebr. 8. Et vos heterodoxi legem tam ſanctè præſcriptam, tam dilucidè à Chriſto & Apoſtolis explicatam, tot martyrum ſanguine obſignatam, tot Sanctorum exemplis, & teſtimonijs confirmatam, non modò quod tranſ-

greſſo-

greſſorum liberè violatis, ſed quod hæreticorum eſt, impiè docetis, ſervari non poſſe. Nos cum S. Hieronymo in explic. Symboli, & S. Auguſtino ſerm. 191. *Execramur blaſphemiam eorum, qui dicunt impoſſibile aliquid à Deo eſſe præceptum, & mandata Dei non à ſingulis, ſed ab omnibus in commune poſſe ſervari.*

Relatis Patrum ſententijs res poſcit, ut & Caroli Magni judicium conjungamus, ad hunc enim provocatum eſt.

Caroli Magni judicium de obſervatione mandatorum Dei.

ADverſarius nihil ex Caroli Magni teſtimonijs produxit, præter pſeudo-Carolinos libros, nos igitur vera ex veris Carolinis conſtitutionibus ſiſtamus. quando in Capitularibus Caroli Magni, & Synodis Carolinis nihil frequentiùs commendatur, quàm ut pueris & omnibus Chriſtianis tradatur *oratio Dominica, Symbolum fidei, & lex Decalogi* à Deo præſcripta, quæ fundamenta dicit eſſe Chriſtianæ religionis; non ut ſpeculativè ſciantur, ſed practicè exerceantur. Hinc Patres in Concilio Aquiſgranenſi anno Chriſti 789. habito, ordiendo à primo Decalogi præcepto, ſingula exponunt, quæ & Carolus obſervari voluit, diverſiſque ab eo legibus, in Capitularium libris confirmata reperias, graviſſimis etiam pœnis in tranſgreſſores conſtitutis: ut tyrannum facere neceſſe ſit Carolum Magnum, ſi quis dixerit leges à Deo præſcriptas ſervari non poſſe, quas ille tam ſeveris pœnis, & plerumque capitalibus ſupplicijs exegit. Pauca recitemus ex multis.

Lib. 6. Capitularium cap. 28. *Qui immolat dijs occidatur.* Et quæ non ſupplicia Francorum Annales in perfidos & perjuros toties Saxones, relapſoſque à Baptiſmo ad idololatriam referunt? Quod deinde in Capitulari pro partibus Saxoniæ multo ſeverius ſancitur can. VII. *Si quis deinceps in gente Saxonum inter eos latens, non baptizatus, ſe abſcondere voluerit, & ad Baptiſmum venire contempſerit, paganuſque permanere voluerit, morte moriatur.* Lib. 6. cap. 100. *Si quis quolibet modo blaſphemiam in Deum jactaverit, ab Epiſcopo vel Comite ipſius pagi carcere mancipetur ad ſatisfactionem, & publicâ pœnitentiâ mulctetur.*

Lib.7. cap.285. *Qui Mathematicos, Ariolos, Aruspices, Vaticinatores consulit, cum eo qui responderit, capite puniatur.*

Lib 6. cap.7. *Qui percusserit Patrem suum, aut matrem; morte moriatur.* Cap.8. *Qui maledixerit Patri suo, vel matri, morte moriatur.*

Lib 7. cap. 200. *Die Dominico à rurali opere, id est, ab aratro, vinea, sectione messis, excussione, alijsque servilibus censemus abstinendum; secùs qui fecerit, non in laicorum districtione, sed in Sacerdotis castigatione consistat.* Contrà jubet Carolus tot legibus, ad Missam & verbum Dei audiendum convenire.

Lib.6. c.1. *Quicunque effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius.* Cap.5. *Qui hominem percusserit volens occidere, morte moriatur.* Cap.26. *Maleficos non patiaris vivere.*

Lib.6. cap.36. *Qui mœchatus fuerit cum uxore alterius, & adulterium fecerit cum conjuge proximi sui, morte moriantur & mœchus & adultera.* Cap.32. *Homo si dormierit cum muliere fornicando, vapulabunt ambo* Lib. eodem c.312. *Fornicatio laqueus mortis & puteus inferni, & vorago perditionis dicitur, ac meritò ob id punienda.*

Lib.7. cap.184. *Qui contra legem furtum perpetravit, secundùm legem moriatur.* Lib.6. cap.113. *Si quis Ecclesiam per sacrilegium violaverit, capitali sententiâ vindicetur.*

Lib.6. c.127. *Si quis Episcopo vel alijs ministris sanctæ Ecclesiæ injuriam fecerit, jubemus eum tormentis subjici. Si sancta Oratoria, vel divina ministeria conturbaverit, vel Litaniam everterit, capitali supplicio subjaceat; si autem contumeliam tantùm fecerit, tormentis, & exilio tradatur.*

Lib.6. cap.325. *Sub pœna capitali, sacrilegia, adulteria, prædationes, vastationesque à quibuscunque fieri prohibemus. Nam ut sacra Scriptura ait: neque sacrilegi, neque adulteri, neque prædones, vel vastatores, qui sunt raptores, regnum Dei possidebunt.* Quid verò de alijs Sacrilegijs Carolus?

Lib.6. c.308. *Nullus, sicut Canones Ecclesiastici prohibent, Deo devotam virginem, nullus sub religionis habitu consistentem, sive viduitatis continentiam professam, vel sui proximam generis &c illicito connubio, aut vi, aut consensu, accipiat conjugem. Quia nec verum poterit esse conjugium, quod à meliori proposito deducitur ad deterius, & sub falsi nominis copulâ, incestivâ pollutione, & fornicationis immunditiâ perpetratur. Hoc verò*

nefas

nefas si cujuslibet sexûs homines agere tentaverint, etiamsi nullus accusator sit, omnimodis separati exilio perpetuo relegentur. Cap. 309. *Scire vos convenit, quia blasphemiam Deo irrogat, qui cum Deo sacrata, vel cum velata fœmina se commaculat.* Cap. 311. *Sacrarum virginum violatores, sacrilegi, & juxta Apostolum, filij perditionis esse noscuntur,* quos Ecclesia meritò puniat. Cap. 319. *Jubemus omnes scire, omnibusque populis Sacerdotes prædicare, atque sub pœna sacrilegij denuntiare, quantum malum & quàm maximum flagitium sit cum Deo devotis fœminis, viduis, vel virginibus, sive cum velatis, sive cum Deo devotis, maximèque cum Sanctimonialibus, & sacratis Deo virginibus, vel viduis, tam in monasterijs, quàm extra commisceri. Nam hoc peccatum duplex esse, non dubium est.* Quid ad hæc Lutherus vester? Probabitne has Caroli leges, quibus damnatus antequam natus? verùm, cùm his alijsque Ecclesiæ legibus se obnoxium videret, cui mirum, quòd ad conscientiam quoquo modo sopiendam, hominem Christianum ab omni prorsus lege, tam divinâ quàm Ecclesiasticâ liberum pronuntiarit? Pleni sunt Capitularium libri de his sacrilegijs, de raptu viduarum, sponsarum, conjugum, de cæteris vitijs, & flagitijs, in quæ tot pœnæ, & supplicia capitalia constituta sunt; qualia & in Capitulari pro partibus Saxoniæ à *Ferdinando Episcopo nostro* Româ ex bibliotheca Vaticana allata, promulgataque legis, inter quæ etiam cap. 111. hæc Caroli lex: *Si quis sanctum quadragesimale jejunium pro despectu Christianitatis contempserit, & carnem comederit, morte moriatur.* Et quis major despectus Quadragesimæ, quàm ex ea hæresin facere? docereque Christianos nullo hujus jejunij præcepto obligari?

Quid nunc tibi videtur Nisani? Liberumne Christianum hominem ab omni Lege censuit Carolus Magnus? aut legem servatu impossibilem docuit cùm Luthero & novatoribus, qui tam severè in transgressores animadverti voluit? & tot præterea legibus ab Apostolis, Concilijs, & Patribus præscriptis, Clerum, Religiosos, & populum ad legem Dei conformavit? Non ob politicam, ut fingitis, disciplinam, sed ne ira Dei provocetur transgressione mandatorum Dei, æternæque salutis jacturam faciant prævaricatores. Hinc toties repetit illud Apostoli ad Galat 5. *Manifesta sunt opera carnis, &c. Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

 CAPUT IV.

CAPVT IV.

De V. præceptis Ecclesiæ, et Caroli Magni legibus, quibus adversus Lutheranos confirmantur.

PRæter Decalogi præcepta, quæ juris divini sunt, quinque sunt præcepta, omnibus Christianis communia, obligantque Christianos in conscientia. *Nam qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*, docet nos Christus Matth.18. Hoc illud Cypriani & August.lib.4.de Symb.c.10. *Non habebit Deum patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem.* Habet enim Ecclesia potestatem ferendi leges, ut quæ per eam immediatè præscribuntur, mediatè à Deo præstripta intelligantur: *Omnis enim potestas à Deo est.* Rom.13. Accedit consuetudo universalis Ecclesiæ ab Apostolorum ævo traducta, quæ & ipsa legem fecit. Disertè Augustinus Epist.86. ad Casulanum: *In his rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura divina, mos populi Dei, vel instituta Majorum, pro lege tenenda sunt.* Planiùs etiam Epist.118. c.1. ad Januarium: *Illa quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, & statuta retineri: sicuti quod Domini Passio, & Resurrectio, & Ascensio in cælum, & Adventus de cælo Spiritûs sancti, anniversariâ solemnitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrerit, quod servatur ab universa, quacunque se diffundit, Ecclesia.*

Igitur I. Præceptum Ecclesiæ est de *Festis diebus servandis*, in quibus pars cultûs divini & Christianæ religionis agitur. Inter festos autem dies, festum *Dominicæ* omnium inter Christianos antiquissimum est, idque ob mysterium, memoriamque resurrectionis Christi institutum est, ut Sabbato succederet, quando jus divinum poscebat, ut unus dies

dies hebdomadæ dicaretur cultui divino, & cærimonialia Legis veteris, in promulgatione novæ Legis, festo Pentecostes abrogata erant. Igitur cum jure divino præceptum, ut aliqui dies festi servarentur, nec certi dies jure divino determinati sint, necesse est, ut illa potestas determinandi penès Ecclesiam relicta fuerit: inter quos festos dies prima, ut diximus, est Dominica dies, cujus & Joannes 2. Apocalyp. meminit: *Ego Joannes fui in Spiritu in Dominica die.* Quare Augustinus lib.22. de Civit. Dei. c.30. *Dies Dominicus Christi resurrectioni consecratus est.* Et serm.251. *Dominicum diem Apostoli religiosâ solemnitate habendum sanxerunt.* Ambrosius serm.62. *Dominica nobis venerabilis & solemnis est.* Ad hunc modum cæteri Patres, *Clemens* Can.65. Apostolor. *Ignatius* Epist. ad Magnesianos, *Justinus* Apol.2. *Clemens Alexandrinus* lib.7. Strom. *Origenes* hom.7. *Athanasius, Hieronymus,* alijque ad Apostolicam institutionem referunt.

Præter hunc Domini diem, colit Ecclesia *Pascha, Natalem Christi, Pentecosten, Ascensionem,* ex eadem Apostolica institutione; præterea *Circumcisionem, Epiphaniam, Dominicam in Albis,* quorum frequens mentio apud antiquos Patres, quibus accessêre festa *SS. Trinitatis, Corporis Christi, & Transfigurationis Domini.*

Demum celebrantur in Ecclesia Sanctorum dies, B. Virginis Deiparæ, Apostolorum, Martyrum, aliorumque Sanctorum, ex eadem Ecclesiæ auctoritate, quæ ab Apostolorum ævo hosce servavit, uti constat ex Concilijs, & SS. Patribus, & praxi universalis Ecclesiæ. Ratio denique hujus fundata est in divinis Literis: instituuntur enim hi festi dies ad recolenda divina beneficia, quibus consummatio alicujus Sancti, & triumphus de diabolo, & accessio Civis ad sanctam Civitatem, aliaque ex Sanctorum meritis & gloriâ peraguntur. Neque Christi Ecclesiæ detrahi debet potestas, quam vetus Ecclesia habuit in festis diebus instituendis. unde pro temporum varietate, alij atque alij hujusmodi dies instituti sunt.

In hac Ecclesiæ doctrina, cultuque festorum, Carolum Magnum consentientem habemus. Nam Capitularium lib. 1. c.164. ita Carolus præscribit: *Hæ sunt festivitates in anno, quæ per omnia venerari debent: Natalis Domini, S. Stephani, S. Joannis Evangelistæ, Innocentum, Octava Domini, Epiphania, Octava Epiphaniæ, Purificatio S. Mariæ, Pascha dies*

octo, Litania Major, Ascensio Domini, Pentecoste, S. Joannis Baptistæ, Sanct. Petri & Pauli, S. Martini, S. Andreæ, de Assumptione sanctæ Mariæ interrogandum relinquimus. Lib. 2. Capitularium multo exactius hi dies festi præscribuntur: additurque *Assumptio B. Virginis*, alijque *Martyrum* dies celebrandi. Libro deinde 6. Capitularium, rursum hi dies decernuntur, interque hos festum *Assumptionis B. Virginis.* Pari modo recensentur decernunturque festi hi dies in Concilio Moguntino Can. 36. & 37.

His positis à Lutheranis primùm requirimus: quare diem *Dominicum*, quare *Pascha, Natalem Christi, Pentecosten, Ascensionem*, cæterosque dies festos Domini, Christique nobiscum servent? quæ nulla expressè Scriptura jubet servare, aut à Christo instituta memorat; sed tota illorum celebratio cultusque à Concilijs, & Patribus refertur vel ad Apostolicam ordinationem, vel Ecclesiæ institutionem, vel ad Traditionem ab Apostolis, & primorum sæculorum usu cultuque deductam? Hic abire illos necesse à falso suo *principio*, quo docent, nihil servandum colendumque, nisi quod expressè Scriptura præscribit: Ut vel hi festi dies illis abrogandi, aut nobiscum ad Ecclesiæ institutionem ac Traditionem recurrendum sit: quibus tamen nihil cum Augustanâ confessione & Apologia magis detestabile, quàm *Traditio Ecclesiæ.* Quo deinde expresso verbo Dei demonstrabunt, Sabbatum commutatum in diem Dominicum? aut Pascha, Natalem Christi, Ascensionem, Pentecosten, cæterosque festos dies Christiano ritu servandos, colendosque esse? Par est ratio de antiquissimis Sanctorum festis, ut B. Virginis, & Apostolorum, & Martyrum, quæ ex eadem Ecclesiæ auctoritate instituta sunt. Nam cui credibile, Apostolos suos post obitum dies festos mandasse celebrari? Calvinistæ, etsi aliquanto conformiùs suis hisce ijsdem principijs agant, dum festos Sanctorum dies abrogant; si tamen rogentur, cur diem Dominicum, cur Natalem Christi, Pascha, Pentecosten, & Christi festos dies celebrent cum Catholicis? ad institutionem Apostolicam, ordinationem Ecclesiæ, & Traditionem recurrendum est. Contrà Lutherani, secus quàm Calvinistæ, festos Apostolorum dies, festa quædam B. Virginis, & Michaëlis Archangeli celebrant, quanquam non uno modo, alibi integrè festi, alibi ex parte, permisso etiam opere servili, sensimque ad Calvinistas deflectunt: quemadmodum exutis sacrorum vestibus, submo-

submotis cereis & luminibus, alijsque Lutheranæ Augustanæ confessionis ritibus proscriptis, alij aliter hæc pro arbitrio servant. Hinc videas Nisanium eodem habitu, eodemque pallio nigro Bilfeldiæ, quo Calvinianum Ministrum, sacris operari, festosque dies Sanctorum abrogasse, ut sensim Lutherus in Calvinum transformetur. cùm universalem, quam audiant, Matrem Ecclesiam non habeant; omniaque hæc in potestate Magistratus cujusque politici, & arbitrio prædicantum posita sint. Sanè nec Carolum Magnum, nec quæ Caroli Magni ætate fuit Ecclesiam, hoc cultu religionis sequuntur.

II. Præceptum Ecclesiæ duo jubet: Nimirum ut festis diebus omnes intersint sacrificio Missæ; deinde ut vacent ab opere servili. Utrumque ex antiquis Concilijs & Patribus assertum habemus. *Agathense* enim Concilium ante mille annos in Gallia habitum cap. 47. sic præscribit: *Missas die Dominico sæcularibus totas audire speciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis nemo egredi præsumat: quod si fecerint, ab Episcopo publicè confundantur.* Quæ etiam verba Legis hujus, cap. *Missas*, de Consecrat. dist. 1. decernuntur. Idem statuitur in *Laodiceno* Concilio ante MCC. annos c. 29. In *Aurelianensi* Can. 27. In Concilio Generali *Constantinopolitano* VI. Quod can. 8. jubet die Dominicâ audire sacrum, & nulla opera corporalia seu servilia fieri. Azorius lib. 7. Instit. cap. 1. ab exordio nascentis Ecclesiæ hanc Legem invaluisse censet, tam consuetudine, quàm ex præscripto canone Apostolorum, qui in cap. *Omnes fideles*, de Consecrat. dist. 1. recitatur: *Omnes fideles, qui conveniunt in Solemnitatibus sacris ad Ecclesiam, & scripturas Apostolorum & Evangelistarum audiant; qui autem non perseveraverit in Oratione, usque dum Missa peragatur, nec sanctam Communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ commoventes, convenit communione privari.* Quemadmodum hosce ritus nascentis Ecclesiæ, conventusque ad mysteria, multis describit *Justinus* Apolog. 2. *Palladius* in historia Lausiaca cap. 69. *Hieronymus* in Vita Paulæ, alijque Patres.

Caroli Magni leges hîc si consulamus, nihil testatiùs desiderari potest. Capitularium lib. 1. cap. 81. *Statuimus quoque, secundùm quod & in lege Dominus præcepit, ut opera servilia diebus Dominicis non agantur, sicut & bonæ memoriæ Genitor meus in Synodalibus edictis mandavit; sed ad Missarum solemnia, ad Ecclesias undique conveniant, & laudent Deum pro omnibus*

nibus bonis, quæ nobis in illo die fecit. Eadem prorſus legis in conſtitutionibus Caroli Magni, lib.5. Capitularium cap.188. *Si quis die Dominico opera ſervilia fecerit, ab ipſis Sacerdotibus pœnitentiam juxta modum culpæ accipiat, quod & in præcipuis feſtivitatibus obſervari placuit, quod ſi Sacerdotes eos corripere nequiverint, tunc à judicibus ad Sacerdotes adducantur, eiſque obedire in omnibus faciant.* Capitularium lib.7. c.202. *Ante Miſſam expletam nemo egredi præſumat.* Addit. IV. c.40. *Populus non ante diſcedat, quàm Miſſæ ſolemnitas compleatur.* Lib. 5. cap.220. *Omnis Presbyter die Dominico cum pſallentio circumeat Eccleſiam, unà cum populo, & aquam benedictam ſecum ferat.* Ad hunc modum in Concilio Moguntino, Turonenſi, cæteriſque Concilijs Carolinis nihil frequentiùs commendatur, quàm Miſſarum ſolemnia cum omni attentione & pietate frequentanda eſſe. Quod & in Capitularibus Theodulphi legas: adeoque Carolus in hoc ſollicitus, ut Epiſcopos & Sacerdotes caſtra ſequi voluerit, qui Miſſarum ſolemnia peragerent, ne milites dies feſtos ſine ſacrificio Miſſæ tranſigerent, quemadmodum hæc ſuprà relata ſunt. Longum & ſupervacaneum hîc ſingula referre. Adde Caroli Magni exemplum, quem nec diem Dominicum, nec feſtum ullum prætermiſiſſe conſtat, quin ſacrificio Miſſæ interfuerit, ut vel inde Francorum Annales tám diligenter memorent loca, ubi Natalem Chriſti, ubi Paſcha, ubi Pentecoſten peregerit, & Romæ Pontifici celebranti, ſacrificio Miſſæ, toties altari adſtiterit: atque ſi publicè non vacaret intereſſe ſacris cum populo, aderant in aula Epiſcopi & Sacerdotes, parata erat Capella domeſtica cum omni ſacrificali ornatu ad quotidianum etiam Miſſæ ſacrificium. Et cui credibile, ut quas alijs leges præſcripſerat, ipſe prætermitteret?

Hic verò etſi Lutherani die Dominico, cæteriſque feſtis diebus ab opere ſervili utcunque vacent, Eccleſiam frequentent, ſacrum exercitium, cœnamque ritu ſuo peragant, & quàm proximè inter omnes novatores Catholicis accedant, nullum tamen verum religionis ſacrificium Miniſtri Deo offerunt: ideo nec ad ſacrificium Miſſæ conveniunt, eò quòd Sacerdotes non ſint, nec Epiſcopos habeant, à quibus Sacerdotes conſecrari poſſint, uti ſuprà toties demonſtratum. Quod cùm Lutherus primùm abrogarit in Eccleſia, ideoque novos & inauditos ritus ſubrogare, Liturgiæ libros, Canonem Miſſæ, & conſecrationis formam tollere

lere necesse habuerit; consequens est, populum singulis Dominicis festisque diebus vero & praestantissimo religionis cultu, fructuque sacrificij defraudari. Nam quod Lutherani retinent exercitium sacrum, id sicca tantùm Missa est, qualis in navibus sine consecratione & oblatione hostiae peragi solet, vel lectâ tantùm Epistolâ, Evangelio, & alijs quibusdam orationibus. quam deinde Calvinistae & alij novatores ad plebeios psalmos contraxere, in quibus nihil praeter umbram & larvam Sacrificij relinquitur populo: atque ut hanc imposturam tegant, (quod est iniquissimum) Catholicos artolatriae & idololatriae reos faciunt, quod sub specie panis & vini Christi corpus & sanguinem in Sacrificio Missae adorent. Et cùm sub Carolo Magno, ejusque aetate non alio cultu religionis sacrificium Missae peractum sit, consequens deinde est, Carolum Magnum ab una idololatria barbararum gentium, Saxoniam ad aliam idololatriam Christiano homini aeque detestabilem traduxisse. id licet nefas sit Christiano homini cogitare, Praedicantes tamen populo persuadere possunt. Tantum in mysterijs Ecclesiae operatur mysterium iniquitatis. *O pastor & idolum!* (clamat Zacharias Vates) qui haec doces, quam rationem dabis supremo judici?

III. Praeceptum Ecclesiae est de *Jejunio.* inter haec verò primò est jejunium Quadragesimae, deinde Quatuor temporum, pòst vigiliarum certarum, aliaque de quibus Bellarminus & scriptores passim. Fundamentum hujus praecepti rursum est in potestate Ecclesiae ferendi leges. & haec potestas rursum fundata est in Scriptura, deinde in Traditione, Concilijs, Patribus, & praxi totius Ecclesiae Catholicae. Ut quemadmodum Ecclesia festos dies, & in his Sacrificium Missae, vacationemque ab opere servili, ita certa jejunia certis legibus praescribere potuerit. Quibus constitutis, refelluntur simul omnia quae haeretici hîc objiciunt, cùm Ecclesia universalis in decretis fidei & morum errare non possit; & ut hujusmodi leges ferat, potestatem acceperit à Christo: Ut quemadmodum vetus Ecclesia, ita quoque Christi Ecclesia sua jejunia ad fructum bonorum operum & cultum religionis haberet. *Bona est*, inquit Angelus ad Tobiam, *oratio cum jejunio & eleemosyna.* Ac caeteris praetermissis, id vel ex uno Quadragesimae jejunio, quod novatores cum caeteris Ecclesiae jejunijs proscripserunt, evidens est I. Ex Canone Apostolorum, II. Ex Concilio Nicaeno can. 5. Laodiceno can. 49. III. Ex SS.

Patribus, quorum nullus est tam inter Græcos, quàm Latinos Patres, ut Bellarminus docet, qui non Quadragesimæ aut jejunij Christianorum, vel ab eo ipso Apostolorum ævo meminerit, quos ille lib. 2. c. 14. longâ serie recitat, haud secus, quàm alij scriptores. Ex his unum alterumve sistamus.

S. Ignatius ex Christi discipulis, ad Philip. scribit: *Jejunandam esse à fidelibus Quadragesimam, quia imitationem continet conversationis Dominicæ. Ambrosius* serm. 34. *Quisquis Christianus jejunando non impleverit Quadragesimam, prævaricationis & contumaciæ reus tenebitur.* Serm. 26. & 34. *Quadragesimam nobis Dominus suo jejunio consecravit.* Hieronymus Epistola ad Marcellin. *Nos unam Quadragesimam, secundùm traditionem Apostolicam, tempore nobis congruo jejunamus: Non quò & per totum annum, exceptâ Pentecoste, jejunare non liceat, sed quòd aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre.*

S. Augustinus serm. 62. de Tempore: *Alijs diebus jejunare remedium est, aut præmium; in Quadragesima non jejunare, peccatum est.* Serm. 69. de Tempore: *Sanctum ergo & sacratum Quadragesimæ tempus, quod statim ab initio cœpit justos ab injustis discernere, bonos à malis, Gentiles à Christianis, & fideles ab hæreticis separare.* Quæ deinde S. Augustinus scribat de Quadragesimæ mysterijs leges serm. 69. citato Lib. 2. de doct. Christ. c. 16. Lib. 1. Quæst. super Gen. 169. Lib. 2. de consensu Evang. c. 4. Tract. 17. in Joannem. Quæ præterea de ciborum delectu pertractet, leges lib. 30. contra Faustum c. 5. Lib. 1. de morib. Eccles. Cath. c. 3. Lib. 2. de morib. Manichæorum c. 13. Concilio Carthag. 4. cap. 8. cui Augustinus interfuit. Demum ita Augustinus Epist. 86. ad Casulanum: *Ego in Evangelicis & Apostolicis literis, totoque Instrumento, quod appellatur Testamentum novum, animo id revolvens, video præceptum esse jejunium.* Eâdem Epistolâ addit de jejunij tempore: Christianos nempe nec die Dominicâ, nec à Paschate ad Pentecosten solêre jejunare. Quapropter inquit: *Quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non invenio definitum.* Igitur sicut Ecclesia Quadragesimæ tempus ante Pascha, ita cæteros jejuniorum dies ex causis, de quibus Concilia & Patres, determinavit. Tanta verò Christianorum primis sæculis in servandis jejunijs fuit religio, quantus in omnibus alijs fervor eorum posteriores ætates superavit, etiam Justi-

niani

niani Imperatoris tempore, qui cùm ob ciborum inopiam macella aperiri permisisset, nullus tamen Christianorum carnes emere visus, uti hæc Nicephorus lib.1. Hist.cap.32. perhibet. Longum per hujusmodi exempla & testimonia antiquitatis ire. quanquam in his satis esse possit. Novatores in causa sua non alios habere Patronos constat, quàm antiquos hæreticos, Eustathianos videlicet, Aërianos, à quibus jejunia Ecclesiæ damnata. quos cùm Epiphanius hæresi 75. oppugnarit, & Ecclesia damnarit, novatorum nostrorum causa cum his simul prædamnata est. Nunc Carolus Magnus accedat.

Caroli Magni leges de jejunio Ecclesiæ.

IN Capitularium lib.1. c.48. ita primùm sanxit: *Ecclesiastica à Sacerdotibus jejunia constituta, sine rationabili necessitate non solvantur.* Quod & in Aquisgranensi Concilio Can.48. & in Carolinis Constitutionibus lib.2 c.7. *Omnes laicos monemus, ut honorem Ecclesiasticum conservent, & dignam venerationem Episcopis, & Sacerdotibus exhibeant, & ad eorum prædicationem cum suis devotè concurrant, & jejunia ab illis communiter indicta, reverenter observent, & suos observare doceant, & compellant.*

Lib 5. cap 86. *Constituimus, ut quatuor anni tempora ab omnibus cum jejunio observentur, id est: in Mense Majo, hebdomadâ primâ, feria IV. & VI. & Sabbato veniant omnes ad Ecclesiam horâ nonâ, cum Litanijs ad Missarum solemnia. Similiter in mense Junio, hebdomadâ secundâ, feriâ IV. & VI. & Sabbato jejunetur usque ad horam nonam, & à carne ab omnibus abstineatur. Similiter in Mense Septembri hebdomadâ tertiâ, & in Mense Decembri hebdomadâ quæ fuerit plena ante Vigiliam Natalis Domini, sicut & in Romana Ecclesia traditum est.* Vides, ut Carolus omnia ad morem & institutum Romanæ Ecclesiæ conformare voluit. Eadem prorsus habes in Concilio Moguntino can. 34. Eadem præcipiuntur lib. 6. Capitularium c.105. *Magnam curam habeant, ut quatuor temporum jejunia à fidelibus diligenter custodiantur.* Lib.7. Capitularium cap.98. *Jejunium quatuor temporum & ipse Sacerdos observet, & plebi denuntiet observandum.* Lib.5. rursum cap.87. *Quod si quis indictum jejunium superbiendo contempserit, & observare cum cæteris Christianis noluerit,*

in Gangrensi Concilio præcipitur, ut anathematizetur, nisi emendare se studeat.

Lib.6. Capitularium cap.18. Jejunium XL. dierum ante Pascha præscribitur, Quadragesimæ videlicet jejunium, & præter hoc 40. dierum jejunium ante Natalem Christi, & post Pentecosten. & quamvis posteriora Canonicâ auctoritate destituantur, propter consuetudinem tamen plebis, & parentum suorum morem, observanda duxit.

Capite eodem: *Præter hæc legitima tempora jejuniorum omni feria VI. propter Passionem Domini jejunetur: sed & Sabbati dies à plerisque, quòd in eo Christus jacuit in sepulchro, jejunio consecratus habetur.*

Carolus Magnus Epistolâ ad Fastradam Reginam & conjugem, quæ habetur tom.28. Conciliorum Regiorum, scribit se cum exercitu ob victoriam contra Avares in Ungaria, ex consilio Sacerdotum tribus diebus fecisse litanias cum abstinentia à vino & carnibus, quod idem à Fastrada Regina petit fieri. Idem Carolus Epistola ad Offam Regem Merciorum acerbè perstringit, & accusat legatum Presbyterum Scotum ad se ex Britannia missum, quod carnes comederit in Quadragesima: ob quam infamiam Sacerdotes in Francia non sunt passi amplius apud se manere, idcóque ad Regem remittit judicandum & puniendum. Sed longè graviora sanxit ipse Carolus: Nam in Capitulatione pro partibus Saxoniæ, quæ habetur in Monumentis Paderbornensibus *Ferdinandi* Episcopi nostri, ab eoque ex Bibliotheca Vaticana primùm in lucem producta fuit, ita Carolus Capitulationis lege III. *Si quis sanctum Quadragesimale jejunium pro despectu Christianitatis contempserit, & carnem comederit, morte moriatur. sed tamen consideretur à Sacerdote, ne fortè causâ necessitatis hoc cuilibet proveniat, ut carnem comedat.* Tam sanctè, & rigidè Carolus Magnus Quadragesimæ jejunium à Saxonum gente recens ad Christi fidem adducta, servari voluit. Quale judicium nunc pronuntiaret Carolus adversus Saxones nostros, Quadragesimalis jejunij contemptores? quale adversus Prædicantes, qui Aërij hæresin resuscitando populum Saxonicum ab omni jejunio Ecclesiastico absolvunt? Sanè si Carolo vivo hæc docuisses Nifani, quæ modò Bilfeldiæ doces ex pseudo-Episcopi munere, de capite tuo tibi periclitandum fuisset. Facilè nunc prætermitto, quæ de Quadragesima, & jejunijs Ecclesiasticis Carolinæ Synodi, Additiones Ludovici Pij ad Capitularium libros, Annales

Franco-

Francorum toties memorant. ad quæ referas Capitulare Theodulphi can. 37. *Ipsa Quadragesima cum summa observantia custodiri debet.* Aut quod in Epitome Canonum ab Hadriano Pontifice ad Carolum Magnum transmissa, receptaque per Franciæ regnum can. 49. præscribitur: *Nullus Quadragesimale jejunium solvat.* Quibus ad cætera collectis, nihil evidentius est, quàm Carolum Magnum Lutheranum non fuisse, qui ad Romanæ Ecclesiæ formam, & fidem, omnia per Franciæ regnum quàm religiosissimè componi servarique ordinavit.

IV. Ecclesiæ præceptum de *Confessione* peccatorum quotannis semel faciendâ. Id etsi in concilio Generali Lateranensi sub Innocentio III. latum sit, ut quicunque vir, sive fœmina fidem & religionem professus, ususque rationis compos, semel saltem in anno confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam pœnitentiam totis viribus implere studeat, ut refertur in cap. *Omnis utriusque* de Pœnitent. & Remiss. additâ etiam pœnâ: *Alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ coërceatur, & moriens Ecclesiasticâ sepulturâ careat:* Caroli tamen tempore usus & consuetudo fidelium obtinuit, ut festo Nativitatis, Paschatis, & Pentecostes, alijsq; celebrioribus festis, confessionem facerent, & Eucharistiam sumerent: ut multis Caroli constitutionibus & Synodis constat, quibus ad frequentes confessiones peccatorum hortatur, ut Lib. 1. Capitularium c. 82. Lib. 7. c. 301. Eodem Lib. c. 294. Addit. 3. Ludovici Imp. c. 29. & 31. Tantus adhuc tum fervor erat Christianorum in frequentia confessionis, ne decreto annuæ confessionis opus esset, uti in Capitularibus Theodulphi can. 4. singulis diebus Dominicis Quadragesimæ confessio & communio commendatur.

V. Præceptum Ecclesiæ est de Eucharistia in Paschate sumenda, quod sub eadem pœna, quâ confessio in Lateranensi Concilio decretum, referturque cit. cap. *Omnis utriusque* de Pœnit. & Remiss. Olim Christiani primis nascentis Ecclesiæ temporibus quotidie sacrum corpus Christi suscipiebant, ut testari videtur Anacletus Epistola 1. referturque c. *Episcopi* de Consecrat. dist. 1. Postea Fabianus Papa præcepit, ut ter minimum in anno susciperent, nimirum in Natali Domini, in Paschate, & Pentecoste, in cap. *Etsi non frequentius*, de Consecrat. dist. 2. Idem in Turonensi can. 50. sub Carolo Magno præceptum, nempe ut *laici ho-*

mines ter in anno communicent, ex quibus terna etiam confessio deducitur. Sed de his suprà actum est.

Ex his igitur postremis Ecclesiæ præceptis, non frequentiam à Lutheranis requirimus, sed proprium Sacerdotem, qui veram *potestatem Clavium* habeat, & veram potestatem consecrandi corpus Christi: & cum in neutro divino præcepto satisfaciant, nec veros Sacerdotes ecclesia Lutherana habeat, consequens est, nec præcepto Ecclesiæ satisfieri posse, ac populum tam Sacrificio religionis, quàm Sacramentis defraudari. Interim nummus Confessionis, oblationesque, cæterique ex eorum administratione proventus cedunt tam largè Prædicantibus, quàm Catholicis Pastoribus. Et quæ ex his prosperitas, nisi ut mortuis Prædicantibus, filiorum hæreditas passim sit domestica paupertas. Ita verò

De malè quæsitis, non gaudet tertius hæres.

CAPVT V.

An Christus secundùm humanam naturam sit filius Dei adoptivus?

DUas nobis controversias movet Nisanius cum suis novatoribus ex Concilio Francofurtensi, quod agente Hadriano Pontifice, & præsente Carolo Magno, sub annum Christi 784. à CCC. Episcopis est celebratum. Prima controversia est de Filio Dei adoptivo, ex hæresi *Felicis Urgelitani*, & *Elipandi* Toletani Episcopi, quæ in hoc Concilio damnata est. Altera est de adoratione & cultu Imaginum. De prima agam primò. Qua in re primò certum est, Deum habere filios adoptivos: Rom. 8. *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum.* Ad Gal. 4. *Ut adoptionem filiorum reciperemus.* Ita S. Thom. q. 23. Quæstio nunc est, an Christus sit Filius Dei adoptivus? Certum verò est, hanc Felicis & Elipandi hæresin in hoc Concilio damnatam esse. quod primùm constat ex libro Sacrosyllabo Episcoporum Italiæ, ex Synodica Episto-

Epistola Concilij ab Episcopis Galliæ & Germaniæ, ex Epistola Caroli Magni ad Episcopos Hispaniæ; deinde ex ipso Concilio Francofurtensi. Ita enim Canon. 1. Concilij: *Ubi in primordio Capitulorum exortum est de impia & nefanda hæresi Elipandi Toletanæ sedis Episcopi, & Felicis Orgelitanæ, eorumque sequacibus, qui malè sentientes in Dei Filio asserebant adoptionem, quam omnes, qui suprà sanctissimi Patres, & respuentes unâ voce contradixerunt, atque hanc hæresin funditus à sancta Ecclesia eradicandam statuerunt.*

Hanc damnatam Elipandi hæresin Nifanius Catholicis per calumniam affingit, tanquam à Concilij, & Caroli doctrina discesserint, quæ mera calumnia est. Durandus quidem, & pauci cum eo Scotistæ senserunt Christum ut hominem, posse dici filium Dei adoptivum, seu quòd nulla hujus definitionis cognitio illis fuerit; quòdque acta hujus Concilij à Surio primùm Anno 1567. edita fuerint, seu quòd definitionem Concilij aliter explicandam censuerint, accedente Patrum quorundam auctoritate, quos inter Irenæus lib. 3. c. 21. Victorinus lib. 3. contra Candidum Arianum; nec rationes deessent plausibiles.

Verùm communis semper Catholicorum doctrina fuit, cum S. Thoma q 23. art. 4. Christum nullâ ratione posse vocari Filium Dei adoptivum, quantumcunque addatur *ut homo*. Ratioque fuit eadem, quæ à Concilio Francofurtensi, & ab Hadriano Pontifice redditur: quod qui adoptatur debeat esse alienus, & extraneus, saltem in gradu ad quem assumitur; Christus verò, quà homo, non est Deo extraneus, sed *proprius*, ac planè *suus*, & quidem in gradu *filiationis*, ut Theologi exponunt. Nec aliter jus Civile docet in Pandectis & Instit. de Adop. eò quòd adoptio sit assumptio alieni filij, qui verè filius non est, sed persona extranea: Est enim adoptare, *quasi optare ut sit, quod per naturam non est*. Hæc Catholicorum assertio præterea sumitur ex Concilio Arausicano, quod circa finem sic habet: *Quid est adoptio nisi caritatis copulatio? quâ Pater adoptione sibi copulat Filium, quem proprium non habet.* Idem legis in libro *Sacrosyllabo*, qui in Concilio Francofurtensi oblatus, & approbatus est: *Porro,* inquit, *adoptivus dici non potest, nisi is, qui alienus est ab eo, à quo dicitur adoptivus.* Cùm ergo Christus non sit alienus à Deo, sed per intimam unionem ei conjunctus, non potest dici Filius adoptivus, quæ vox necessariò importat negationem conjunctionis substantialis cum adoptan-

optante. Unde in eodem libro dicit Concilium: *Carnem ineffabiliter ex virgine assumpsit, non adoptavit.*

Igitur hæ duæ propositiones in Concilio videntur damnatæ: *Christus homo est Filius Dei adoptivus.* Deinde hæc: *Christus ut homo, non est Filius Dei naturalis.* Elipandus enim, & Felix, ac cæteri ejus sectæ, non negabant Christum esse Filium Dei naturalem, sed dicebant hoc illi competere ut Deo, non verò ut homini, sub hac enim conditione dicebant ipsum esse Filium adoptivum. quæ apertè ostendunt, hosce hæreticos fuisse in re *Nestorianos*, & Christum divisisse in duas personas, creatam & increatam, dum in eo constituebant duos filios, *naturalem*, qui ipsi competit ut Deo, & *adoptivum*, qui ei dein tribuitur ut homini.

Verùm utrumne hanc propositionem, *Christus in quantum homo est Filius adoptivus*, damnarit Concilium, lis est inter auctores. Affirmat Vasquez, & qui cum illo sentiunt; negat Suarez, & qui cum eo faciunt Scholastici. Interim uterque convenit hanc propositionem esse falsam. in quo sensu damnata sit, disceptant: præsertim cum Suarez disp. 49. Sect. 3. & ex eo Severinus Binius in notis ad Concilium Francofurtense scribat: etsi Feliciana hæresis ab Hadriano & Concilio Francofurtensi damnata sit, tamen non satis constare, qualis illa in particulari hæresis fuerit. Accedit, quod præter *naturalem*, & *personalem* filiationem, quâ Christus secunda persona Trinitatis constituitur, prætereque filiationem fundatam in unione hypostatica, tertia filiatio sit fundata in gratia habituali & sanctificante, quâ homines dicuntur filij adoptivi. Hanc verò gratiam Christus habuit ejusdem rationis, cum eâ, quæ est in hominibus: quo modo nonnulli opinantur Christum dici posse Filium adoptivum, secùs quàm Suarez disp. 49. Sect. 4. Vasquez disp. 89. alijque sentiunt.

Altera similiter propositio: *Christus in quantum homo, non est Filius Dei naturalis,* plus difficultatis habet in modo explicandi: etsi ea communis Doctorum sit sententia, atque eodem modo sumatur ex definitione Hadriani Pontificis, & Concilij. Nam uti ex eâ negatur, Christum esse Filium Dei adoptivum secundùm humanam naturam, ita ex eadem asseritur Christum ut hominem esse filium proprium & naturalem: quemadmodum ad Rom 8. dicitur: *Proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Difficultas ex eo nascitur, quòd Filius naturalis sit, qui per naturalem generationem à Patre procedit, *quæ est origo viventis*

ventis

ventis à vivente, conjuncta in similitudinem naturæ. Triplex hîc Theologorum sententia in modo explicandi. Una Suarez disp.49. sect.1. & 2. à quo respectu generationis divinæ & æternæ hæc analogica dici possit. Altera Petri Hurtado disp. 83. Tertia Basilij Legionensis tom.1. variarum disp. relect.4. Lugonis disp.31. Wadingi disp. 11. Alberti Magni, Capreræ, Lorcami & aliorum. Hîc nobis Nisanius, qui in priori propositione de Filio adoptivo tantum se Theologorum censorem obtulit, suum judicium interponat; & rem, quæ ex definitione Concilij, & Patrum indubitata est, explanet: ut ex Lutherana Theologia & subtilitate, Catholicis lumen affundatur, intelligamusque, quo nimirum modo Christus *ut homo* dici possit ac debeat Filius Dei naturalis. Hîc tu eâdem fraude posses nobis ex diversis Scholasticorum sententijs calumniam imponere, & dicere, Catholicos negare Christum, quà homo est, esse Filium Dei naturalem. At non est satis id dicere, neque sententias Catholicorum Doctorum coacervare, nisi singulorum sententias refellas, & longè aliquid subtiliùs & sapientiùs reponas. exspectamus hoc tandem à te tanquam à Doctore novo, qui omnium Catholicorum Doctorum Aristarchum te ubique jactitas. Sed vide, ne quid ex plebeja tela hîc intexas, quod textorem magis Bilfeldiensem, quàm Theologum sapiat.

Alterum quod objicit, est de adoratione Christi, ubi duæ rursum quęstiones, quas Nisanius confundit. Prima est. An Christus, *quà homo*, sit adorandus cultu latriæ? & communis Theologorum doctrina est, Christum *quà hominem*, seu ipsam Christi humanitatem simul cum Verbo adorandum cultu latriæ: videturque definita in Concilio Alexandrino hiscè verbis: *Unus intelligitur Jesus Christus, Filius unigenitus, qui una adoratione propria cum carne adoratur.* Idem apertè docet S. August. serm.58. Et ratio redditur: Quia quod habet excellentiam divinam & increatam, est latriâ propriè dictâ colendum; atqui Christus, quà homo, sive humanitas Verbo unita, habet talem excellentiam, ut multis exponunt Theologi contrà Alexandrum & Paludanum: Ergo. Altera quæstio est, quam Nisanius videtur movere: An humanitas Christi conceptu præcisivo separata à Verbo, & considerata cum donis creatis supernaturalibus excellentis gratiæ & gloriæ, aut etiam modi unionis, ut est distincta realiter à Verbo, cultu hyperduliæ adorari possit? Asserit id D. Thom. art.2. in corp. Suarez, & alij. Et ratio datur: quia in his excel-

lentia creata est objectum formale, quæ pertinet ad inferiorem cultum, quàm latriæ sit. Quid nunc in hisce, & alijs Catholici docent contra naturam Christi, in quo tantoperè exultas Nifani? Posses totum tractatum de Incarnatione Christi percurrere, & ex illo per fallacias tuas colligere Theologorum sententias, in utramque partem disputantium de quæstionibus intra Scholasticorum limites agitatis. Et quid efficies? nisi ut inscitiam & stultitiam tuam prodas? Bellarminum ex his maximè præ alijs traducis, sed oportebat te ejus librum priùs legere, quem contra librum *Concordiæ* vestræ scripsit, ut ex eo disceres, quàm impiè Lutherani sentiant de natura Christi. Transis deinde ad quæstionem de ubiquitate, de communicatione idiomatum, de officio Mediatoris, quæ passim à Jesuitis secùs, quàm ante doctum fuerit in Ecclesia, immutata calumniaris, postquam nova Lojolæ soboles post Concilium Tridentinum, longè aliam doctrinam commenta est, & in Ecclesiam introduxit. Quasi verò præter Jesuitas ex Clero, atque ex omni religiosorum Ordine non æquè celebres & sapientes sint Theologi, qui scriptis suis doctrinam Catholicam illustrarint; quasique viri illi docti, si quid in Jesuitarum scriptis contra Catholicam veritatem esset, non animadverterent, præter solum *Nifanium*, novam inter Theologos Lutheranorum *Aquilam*. Aut quæ nova illa Jesuitarum doctrina, quam non illi antiquæ SS. Patrum Theologiæ in omnibus conformem tradunt? De vestrâ id doctrina dicere debebas, quæ cum hæresi sua nova est, & SS. Patrum doctrinæ in omnibus adversa. Aut quæ illa Jesuitarum nova doctrina post Concilium Tridentinum? Vel hæc à Concilij Tridentini doctrina diversa, vel eadem cum illa est; Si eadem, quomodo sola Jesuitarum est? cùm Concilio illi interfuerint ex Episcopis & Theologis totius Ecclesiæ Catholicæ, ac duo tantùm Jesuitæ, Laynes, & Salmeron. Si diversa est à Concilij Tridentini doctrina? quomodo Pontifex & Episcopi Jesuitarum doctrinam tolerant, & non cum hæresi vestra proscribunt ac damnant? Vide Nifani, quibus calumnijs Jesuitas proscindis, imò quibus mendacijs tuos decipis. Quid tibi Jesuitæ fecerunt? cur eos ubique in tuis scriptis tam calumniosè traducis? nisi quia *noctua* Catholicam ferre non potes *lucem*, qui inter *aquilas* Theologorum te numerare vis. Si quid in te est ingenij, doctrinæ, aut eminentis sapientiæ, scribas tandem de propositis quæstionibus tractatum aliquem solidum, ordinatum, & eruditum, ut

Theolo-

Theologi Catholici & Jesuitæ faciunt, offerasque illorum judicijs expendendum, & tum primùm se aperiet tua recondita sapientia: nam quæ hactenus scripsisti per rapsodiam, digna non sunt Theologo, nisi quantum fuci etiam circa alvearia apum mella adulterina colligunt. neque ob id quisquam calamo refellenti dignatus est; neque ego hæc refutanda sumpsissem, nisi Carolus Magnus à tuis calumnijs, & mendacijs liberandus fuisset.

CAPUT VI.

De cultu Imaginum.

HÆc altera controversia est, quam ex Concilio Francofurtensi nobis movet Nisanius cum heterodoxis. Ita enim Concilium can. 2. *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur: ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati, servitium, aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui suprà sanctissimi Patres nostri, omnimodis adorationem & servitutem renuentes, contempserunt, atque consentientes damnaverunt.* Repetamus totam hanc hæresin ab origine sua.

Primus qui cultum imaginum impugnare cœpit Xenaias Persa quidam, ex servo Episcopus, cùm nondum baptizatus esset, ut refertur Act. 5. Concilij Nicæni, de quo & Nicephorus lib. 16. Hist. c. 28. *Primus, O audacem animum, & os impudens! vocem illam evomuit: Christi, & eorum qui illi placuerunt, imagines reverendas non esse.* Post illum, imperante *Leone Isauro* per Orientem, Judæus quidam Sarantàpechus in Arabia, veneficus, ac præstigiator ex officina diaboli, ut Act. 5. Concilij Nicæni describitur, hæresin de abolendis frangendisque imaginibus commentus, odio cumprimis in Christianos, primùm Arabiam conturbavit, & Arabum Regem dementando, promittendo-

quæ diuturnum imperium, si ex Christianorum templis sanctas imagines tolleret. Id deinde actum per *Besirem* perfidum Christianum, Mahumetanâ sectâ infectum, ipse proinde Leo Isaurus simulque ab Hebræis, qui ipsi prædixerant imperium, corruptus adductusque in eandem hæresin, detestabile bellum indixit sacris imaginibus: neque eas è templis tantùm, sed ex privatis etiam ædibus ejecit & confregit, sæviendo carceribus, exilijs, tormentis, & supplicijs in Christianos, quotquot pro cultu imaginum stabant. Inter hos Joanni Damasceno amputata manus, S. Germanus Constantinopolitanus Patriarcha sede ejectus, Episcopi & Sacerdotes Catholici proscripti, uti hæc ex Zonara, Cedreno, actis Synodi VII. & historiâ Ecclesiasticâ disces. Patris successor *Constantinus Copronymus*, spurcissimus Imperatorum, eodem hæresis furore in imagines, & cultores imaginum sævijt. Utque iconoclastarum hæresin firmaret, anno Christi DCCLIV. Constantinopoli Synodum congregavit supra trecentorum Episcoporum schismaticorum, sed nullo Patriarchâ præsente, præter *Constantinum* monachum, hominem hæreticum, quem Copronymus in Constantinopolitanam sedem intruserat. Hæc illa pseudo-Synodus Græcorum & iconomachorum, quâ cultus imaginum abrogatus, quam illi *Septimam* dici voluerunt. Hæc illa pseudo-Synodus, quam tanto plausu excipiunt hæretici, & cum his Nisanius, quando interim constat, hanc eandem hæresin iconomachorum primùm damnatam esse in Concilio Romano à *Gregorio* II. Pontifice, anno Christi 726. uti hac super re non modò *Zonaras*, sed & ipse *Hadrianus* Papa ad Carolum Magnum in Epistola. Deinde hæc iconoclastarum hæresis damnata est anno Christi 732. in Concilio Romano à *Gregorio* III. Pontifice. Tertiùm damnata est an. Christi 769. anno Caroli Regis I. in Concilio Romano, à *Stephano* Papa, præsentibus ex Gallia tredecim selectis Episcopis. recitata in eo Concilio Epistola *Theodori Patriarchæ Hierosolymitani*, de cultu imaginum conservando, cui *Alexandrinus*, & *Antiochenus* Patriarchæ subscripserant.

Anno tandem Christi DCCLXXXVII. postquam *Constantinus* & *Irene* Catholici, Orientis imperium obtinuerunt, respirare cœpit Catholica Ecclesia, habitaque est Synodus VII. Oecumenica Nicæna II. in eaque Synodo præsentibus Legatis *Hadriani* Pontificis Imaginum cultus restitutus est per Orientem. Multum in hanc rem laboravit *Tharasius*

sius Constantinopolitanus Patriarcha, damnataque est pseudo-Constantinopolitana Synodus, & tota illa iconomachorum hæresis. Igitur *Canon* ille *Francofurtensis* Concilij, dum ad Constantinopolitanam Synodum appellat, non immeritò corruptionis suspectus est. Certè Binius in notis: *Acta Concilij hujus Francofurtensis*, inquit, *non integra extant, ea enim quæ de Nicæna Synodo hic gesta fuerunt, planè desiderantur. Apud historicos quidem memoria eorundem, sed varia, & inconstans.* Surius quoque in admonitione ad Lectorem: *Hoc autem pro comperto habendum est, in Synodo Francofurtensi nihil actum esse contra Nicænam Synodum, sed eam potiùs damnatam esse, quæ sub Constantino Copronymo Imperatore impiissimo, ab iconomachis Constantinopoli habita est contra imagines, quam illi septimam Oecumenicam dici voluerunt.*

Sed hæc ipsa quæstio est, quæ hîc agitur: utrumne Concilium Francofurtense approbarit & confirmaverit acta Concilij Nicæni in causa imaginum? Affirmat *Alanus* dialogo 4. c.18. & 19. & Dial. 5. c.12. & 13. *Sanderus* lib.2. de Imag. c.5. & lib.7. de visib. Monarch. *Vasquez* lib.2. de adorat imag. disp.7. c.5. *Suarez* tom.10. p.3. disp.54. sect.3. Quod ipsum confirmatur auctoritate Concilij Senonensis, in decretis fidei cap.14. ubi sic ait Synodus: *Carolus Magnus Francorum Rex Christianissimus Francofurtensi conventu ejusdem erroris*, (iconomachiæ videlicet) *suppressit insaniam, quam infelicissimus quidam Felix in Gallias & Germaniam invexerat.* Idem *Platina* in vita Hadriani asserit: *Biennio*, inquit, *post Theophylactus & Stephanus Episcopi insignes, Hadriani nomine Francorum & Germanorum Synodum habuerunt, in qua & Synodus, quam Græci septimam appellabant, & hæresis Feliciana de tollendis imaginibus abrogata est.* Idem *Paulus Æmilius* lib.2 de Gest. Francorum propè finem ait, Concilium Francofurtense egisse contra hæreticos, qui imagines damnabant: *ideoque imaginibus suus honor servatus est.* Idem *Blondus* Decad. 2. lib.1. *Sabellicus* lib.3. & Enneadum 8. *Nauclerus* Generat.27.

Contrà *Baronius*, & *Bellarminus* lib.2. de Imag. cap 14. censent, Synodum II. Nicænam in causa imaginum damnatam fuisse à Patribus Concilij Francofurtensis: quorum præcipuum argumentum, quòd dicant, Patres Concilij Francofurtensis falso rumore, & informatione deceptos fuisse, ideoque per errorem pronuntiasse contra Synodum Nicæ-

nam. maximè quod Patres persuasi essent, imagines *adorandas* esse, cultu videlicet *latriæ*, tametsi cultum *honorarium* admiserint.

Verùm Baronij & Bellarmini sententiam improbat Sirmondus, vir nostrâ ætate doctissimus: tum quòd Concilio Francofurtensi interfuerint Legati Pontificis, *Theophylactus* & *Stephanus* Episcopi insignes, à quibus facilè discere poterant, quid in Nicæna Synodo paulò ante celebratâ definitum fuerit; tum quòd incredibile videatur, ex tot Galliæ & Germaniæ Episcopis neminem scivisse, quid in Nicæna Synodo statutum esset; tum quòd error *adorandi* imagines *cultu latriæ* ut *deos*, potiùs sit error gentilium, quàm hæreticorum Christianorum; tum quòd Concilium Nicænum II. auctoritate Pontificis confirmatum fuerit. *Patres verò profitentur se stare judicio Pontificis, reservato nimirum per omnia juris privilegio Romani Pontificis Hadriani, primæ sedis beatissimi Papæ.* Atqui Pontifex cultum imaginum sanxit, unà cum Concilio Nicæno; ergo & Patres illi probaverunt. Similiter Carolus *profitetur, se totâ mentis intentione Apostolicæ sedi conjungi.* Demum hanc *hæresin*, de non colendis imaginibus postea resuscitavit in Galliâ Claudius Taurinensis, neque unquam provocavit ad Concilium Francofurtense, in quo tamen maximum causæ patrocinium habere potuisset. Imò si concedamus cum Baronio, & Bellarmino errasse *Concilium Francofurtense*, nihil hoc præjudicat Ecclesiæ: cùm Francofurtense *Provinciale* tantùm fuerit, nec hæc sententia de non *colendis imaginibus* ab Hadriano Pontifice approbata fuerit, neque postea recepta ab Ecclesia.

Sed quid, inquit Sirmondus, respondendum erit ad auctoritatem Hincmari, Aimoini, Ursbergensis, Reginonis, Adonis, & aliorum? Respondet: cùm alij pseudo-Synodum Constantinopolitanam, alij Nicænam damnatam scribant, nihil certi posse ex ijs statui. Imò Vasquez ait: scriptores qui de Synodo loquuntur, aut deceptos esse, aut falsa narrare. Universim concludit Sirmondus, nullum firmum argumentum posse desumi ex historicis, quo existimetur *Francofurtense* Concilium vel contra veram Imaginum adorationem, vel contra Synodum Nicænam aliquid definivisse. Imò liberè, inquit, posset aliquis negare, quicquam actum esse in Concilio Francofurtensi, neque pro imaginibus, neque contra illas: quia neque Acta Concilij quoad hanc partem extant, neque ullus Catholicus ea se vidisse refert. Nam quæ hæretici illo tempore sub illo

illo nomine vulgarunt, ab eis vel conficta sunt, vel corrupta. Demum in hac re nihil certiùs, quàm quod Concilium *Senonense* suprà relatum pronuntiat: Concilium *Francofurtense* Concilio *Nicano II.* consensisse.

Si quid verò Patres Concilij Francofurtensis anxios & suspensos habere potuit in cultu imaginum, id fuerit nomen *adorationis*, quâ, ut *Deificæ Trinitati*, cultu latriæ imagines V.G. Crucis adorandas admittere veriti fortè sint. Quemadmodum etiam in Concilio Nicæno Patres actione 7. & ultima III. Idus Octobris ediderunt Catholicæ fidei definitionem, in qua ne cum iconoclastis in aliquo dogmate communicarent, professi sunt: *Spiritum S.* quod illi negabant, *à Patre Filioque procedere; atque imagines Deiparæ Virginis, aliorumque Sanctorum non minus, quàm sanctæ Crucis retinendas & colendas, non tamen cultu latriæ propter se, atque ex sua natura adorandas esse.* Quam limitationem addi volunt in gratiam Scholasticorum quorundam, ut Sirmondus ait, qui docent Christi Redemptoris atque sanctæ Crucis imaginem cultu respectivo adorari posse. Quâ in re ac definitione Concilij non *re ipsa*, sed *verbis* tantùm & modo loquendi discrepare videntur.

Hæc de Concilio Francofurtensi, ex quibus omnia quæ Nisanius tantâ scriptorum turbâ, & confusione rerum producit, paucis refutantur. quando vel omnem causam suam in pseudo-Synodo Constantinopolitana, & iconomachorum hæresi, vel in pseudo-Carolinis libris, vel in discrepantium scriptorum testimonijs, tanquam in arena fundat. Malunt novatores nostri à Judæo iconomachorum hæresiarcha, Copronymo, atque ex antiquis hæresum fæcibus doctrinam suam, quàm ex puro Ecclesiæ Catholicæ fonte haurire. Et quid tu hominis es? Calvinista an Lutheranus? Calvinistæ frangunt, & comminuunt imagines Christi, & sanctæ Crucis; Lutherani nobiscum non modò retinent, sed & cultu suo prosequuntur, quales multos Augustanæ confessionis Principes, & sinceros viros novimus, qui ante Crucifixi imaginem, beneficij redemptionis memores, quotidie in cubiculis suis preces suas Deo offerunt. Et quæ nobis gratior & jucundior memoria esse potest, quàm illa S. Ignatij Christi discipuli ardentissimi, ac Martyris? ὁ ἔρως ἐμὸς ἐσταύρωται· *Amor meus crucifixus est!*

Jam si de re ipsa, & cultu Imaginum agatur, ex Concilio Nicæno II. nihil

nihil ad veritatem rei magis desiderari potest. Nam verum, legitimum, & Oecumenicum id Concilium fuisse, nulli dubium esse potest: quando præter legatos *Hadriani* Pontificis, quatuor Patriarchæ cum CCCL. Episcopis concorditer omnes subscripserunt, unà cum Imperatore. Hanc deinde confirmavit *Hadrianus Pontifex*, & universa recepit Ecclesia. definitumque in eo est, imagines Christi, & B. Virginis, & Sanctorum esse venerandas: non quidem cultu *latriæ*, sed honore illo, quo prosequimur sanctas Literas, Evangelium Christi, sacra vasa, aliaque. Pro hac definitione legis Episcopos illos ordine rogatos pronuntiasse, & appellasse: primò ad Scripturam sacram, deinde ad Ecclesiæ perpetuam Traditionem, tertiò ad Patres, quorum testimonia magno numero hîc adducta leges Act.4. quartò ad miracula, quæ Deus per imagines ostendit, qualis ea fuit quæ Act.4. inter cætera Beriti à Judæis confixa uberrimo sanguine fluxisse memoratur, non sine lachrymis audientium, ob res stupendas per eam patratas. Lege demum decisionem hujus Concilij Act.VII. pro cultu Imaginum, in qua hæc omnia reperies. Hinc palàm illa vox fuit ac sententia *Tharasij* Patriarchæ in Concilio: *Qui cultum imaginum damnant, illos Judæorum, Mahumetanorum, & hæreticorum impietatem sectari.* Questus ante fuerat *Leo Isaurus* Epistolâ ad Gregorium II. Pontificem: *Qui fit, ut in sex Concilijs de Imaginibus nihil sit dictum?* Enimverò Imperatori respondet Pontifex: *Nec de pane quidem & aquâ dictum est quicquam; sitne comedendum, an non comedendum, bibendum, an non bibendum? quandoquidem hæc antiquitas, à principio ad vitæ humanæ conservationem habet tradita: sic etiam imagines traditæ fuerunt, ipsique Pontifices imagines ad Ecclesiam deferebant.* His demum accedit vindicta in eos Reges & Imperatores, qui cultum imaginum primò sustulerunt. Nam & *Leo Isaurus* dirâ morte extinctus, detrususque ad inferos refertur à Theophane. Idem *Constantini Copronymi* filij, & Imperatoris exitus fuit. solitus is per convitium B. Virginem Mariam loculo comparare, qui plenus auro, æstimetur, vacuus verò nihil præter loculum valeat; ita, inquit, Maria dum Christum gestavit in utero, in honore fuit, postquam eum peperit, nihilo cæteris mulieribus melior fuit. At morti proximus, desperabundusque exclamare cœpit, se propter Mariam æternis flammis adjudicatum esse. Nomen Copronymi spurco huic Imperatori datum, quòd infans fontem Baptismi fœdarit; id ubi S. Germa-

Germanus audijt, magnum fœdumque malum ab hoc puero Ecclesiæ imminere edixit. Hi igitur ſævi fœdique Imperatores, poſt Judæos, Mahumetanos, & perfidos Chriſtianos, veſtri hujus dogmatis auctores & propugnatores ſunt, cujus veſtigijs novatores noſtri inhærent, ijſdemque quibus iconoclaſtæ, Judæi, Mahumetani, cultum Imaginum convitijs inſectantur, quos inter Niſanius fœdus & contumelioſus ſcriptor, nos iconolatriæ etiam damnare audet. Quæ in hanc rem adfert, poſtea refutabimus, modò Caroli M. priùs teſtimonia referemus.

Caroli M. cultus erga Imagines ſacras aſſeritur.

DIvinæ prorſus fuit providentiæ, ut, quo tempore *Leo Iſaurus*, & *Conſtantinus Copronymus* per Orientem debacchati ſunt in ſacras imagines, *Pipinus* & *Carolus M.* per Occidentis imperium cultum Imaginum unà cum *Hadriano Pontifice* provexerint & propugnarint.

I. Quid Pipinus Caroli Pater, & Galliarum Rex egerit pro cultu imaginum, conſtat ex Concilio Gentiliacenſi anno Chriſti DCCLXVII. in Gallijs habito, de quo Ado Viennenſis, Eginardus in Chronico, & Regino, qui hanc magnam Synodum appellat, in ea enim cultus Imaginum contra iconomachos Orientales ſancitur, præſentibus Legatis *Pauli* Pontificis, unà cum *Conſtantini Copronymi* legatis ex Græcia reverſis: & cùm Galliarum Epiſcopi exprobrarent Græcis ſacrarum imaginum deſpectum, illi contrà Latinis exprobrabant, quòd ad Symbolum fidei adderent vocem *Filióque:* negabant enim Græci Spiritum S. à Patre Filioq; procedere, ita ob duas haſce hæreſes colliſi Latini cum Græcis: & ſicut illi proceſſionem Spiritus S. à ſolo Patre, ita hæreſin de cultu imaginum abrogando damnarunt, præſente & agente Pipino Rege.

II. Patris veſtigijs inhæſit Carolus M. Quid verò Carolus ſenſerit de cultu imaginum, conſtat primùm ex Epiſtola Hadriani ad Carolum M. tom.18. Concil. Regiorum, in quâ primùm ſcribit Pontifex ſe accepiſſe *Capitulare, ſeu libros in Capitula digeſtos, ſcriptos adverſus Synodum, quæ pro ſacrarum imaginum erectione in Nicæna eſt acta*, qui pſeudo-Carolini erant libri, de quibus ſuprà egimus. Laudat in his ultimum Ca-

GGGG pitulum,

pitulum, quo Carolus suam mentem additam expresserat, in hæc verba: *Permittimus imagines Sanctorum, quicunque eas formare voluerint, tam in Ecclesia, quàm extra Ecclesiam propter amorem Dei, & Sanctorum ejus: Adorare verò eas nequaquam cogimus, qui noluerint; frangere, vel destruere eas etiam si quis voluerit, non permittimus. Et quia sensum sanctissimi Gregorij sequi in hac Epistola universalem Ecclesiam Deo placitam indubitanter liberè profitemur.* Hæc Carolus. & ita Carolus, ut cum Nicæna Synodo, & universali Ecclesia se cultum imaginum profiteri dicat. Secundò laudat ob hæc Carolum Pontifex, *quòd rectæ fidei traditionis doctrinam, sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ teneat, & amplectatur.* Demum & gratias agit Carolo pro cultu imaginum restituto: *Eodem*, inquit, *impetu hortamur pro imaginibus, gratias pro erectione in suum statum.* Quibus satis ostendit Pontifex, quid Carolus egerit contra hæreticos, qui libros illos pseudo-Carolinos contra imagines scriptos obtruserant, & Galliam conturbare cœperant, Orientalium iconomachorum hæresi jam ante afflati.

III. Hæc multo clarius cognoscuntur ex Epistola Hadriani Pontificis ad Carolum Magnum, quæ refertur tom 17. Concil. Regiorum, in quâ cum multis docuisset usum cultumque Imaginum ex sacra Scriptura Exod. 25. & 3. Regum 6. adducendo Cherubinos, quos Moyses in Arca, & Salomon in templo posuerant. *Quanto magis*, inquit, *debemus puro corde & animo sculptum Christum Deum nostrum, sanctamque semper Virginem Mariam, Apostolos quoque, vel omnes Sanctos Dei per eorum sacras effigies atque imagines colere, vel adorare, & ad propitiandum nobis petere relaxari delicta? Nos non ob aliud nomen imagines facimus & adoramus, sed pro nobis incarnato Verbo Dei. Si autem manufacta omnia abjicienda sunt, neque Arca fœderis, neque aurei & cælati Cherubini ejus debuerunt recipi, quæ per Beseleel, & Ooliab facta sunt, juxta præceptum Dei, si verò illa suscepta sunt, & hæ imagines opportunè recipiuntur, quoniam secundùm Deum fiunt, unde & operantur sicuti & Arca multa miracula: Nam & Arca, & Cherubin, ut & hæ sine anima erant, & manufacta & sculpta; sed sicut illic per ista operabatur Deus, & glorificabatur, ita & hæ simili modo secundùm visiones & revelationes Prophetarum coloribus distincta efficiuntur.*

Et ne quis aliter propter adorationem, quæ à Prædecessoribus nostris, sanctis-

sanctissimis Præsulibus promulgata est, oblatrare præsumat, sciat ipsos talem adorationem docuisse, qualem prædecessor noster S. Gregorius egregius Doctor, & Papa in Epistola sua, quam in præfato Concilio Domini Stephani Papæ Herulphus Episcopus Galliarum provinciæ protulit. ubi inter cætera Secundinum servum Dei inclusum Galliæ docuit, dicens: Scimus, quia tu ideo imaginem Salvatoris nostri non petis, ut pro Deo, aut quasi Deum colas, sed ob recordationem Filij Dei, & in ejus amore recalescas, cujus te imaginem videre consideras. Et nos quidem non quasi ante divinitatem, ante illam prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem, aut natum, aut passum, aut in throno sedentem recordamur: & dum nobis ipsa pictura quasi Scriptura ad memoriam Filium Dei reducit, animum nostrum aut de resurrectione lætificat, aut de passione demulcet.

Ideoque direximus tibi surtarias duas, imaginem Salvatoris & Sanctæ Dei genitricis Mariæ, beatorumque Petri & Pauli Apostolorum continentes, per suprà dictum filium nostrum Diaconum, & unam Crucem, & clavem pro benedictione à sanctissimo corpore Petri, Apostolorum principe; ut per ipsum à maligno sis defensus, per cujus sanctum lignum munitum te esse credis. Similiter, quam Crucem *Hadrianus* accepit à Carolo, eam se scribit in Ecclesia collocasse. *Tom.18. Concil. Regiorum, ex indice Epistolarum Hadriani ad Carolum Magnum.* Credisne jam Carolum unà cum Hadriano iconolatriæ damnandum, ejusque sacrilegij, quo tu eum incusas & diffamas in tuis libris?

Neque mihi dubium est, Carolum M. qui tot Basilicas per Saxoniam erexit, easque aut B. Virgini, aut S. Petro & Paulo, aut S. Stephano, alijsque Divis consecravit, ut ex fastis singulorum Episcopatuum liquet, simul in ijs Christi Servatoris, B. Virginis, Apostolorum, aliorumque Sanctorum imagines posuisse, ut quod *scriptura* est alijs, id rudi Saxoniæ populo esset *pictura*, ad mysteria Christi capienda, & res Sanctorum gestas explicatiùs hominum animis imprimendas: quemadmodum id toties *Hadrianus* Pontifex ex D. Gregorij doctrina Carolo exposuerat. quem ille *Magistrum* in omnibus ita sequebatur, ut professus sit: *Totâ se mentis intentione & cordis affectu Apostolicæ & Romanæ sedi conjungi.* Sanè sanctæ Crucis imaginem ita adamavit Carolus, coluitque per omnem vitam, ut moriens secum in sepulchrum pectori appressam deferri voluerit, quæ & reperta est inter cætera regia ornamenta, cùm *Ottone* Impe-

ratore monumentum aperiretur. Et cui de Crucis icone, ejusque cultu dubium esse potest? quando recepto jam antiquitùs in Ecclesia more, nec templum erigere licuit nisi *Cruce* priùs erectâ? lib.5. Capitularium cap.229: *Nemo Ecclesiam ædificet, antequàm civitatis Episcopus veniat, & ibidem Crucem figat publicè.* Nec *Sacrificium Missæ* celebrari fas fuerit, nisi *Cruce* in altari positâ. Ita passim *juramenta* facta legimus super librum *Evangeliorum* & *Crucem*, aut *Reliquias* Sanctorum, uti hæc in legibus Longobardorum, & Carolinis monumentis reperias. Quò referunt Crucis erectæ signa per Saxoniam, quæ passim ad publicas vias à Carolo erectæ, quò barbaris gentibus abjecto idolorum cultu, Christi pro humano genere passi fidem inculcaret, quales passim Cruces per Westfaliam conspiciuntur. Et quis singula in hanc rem percenseat imaginum Monumenta?

IV. Tertiùm resuscitari cœpit hæc hæresis in Galliâ Ludovico Pio Imperatore, anno Christi 825. Ansam dedêre Legati Orientalis Imperatoris, qui per id tempus venerant in Galliam ad Ludovicum Imperatorem, questi ob cultum imaginum totum Orientem scindi dissidijs, quas alij adorandas, alij non adorandas contenderent: ideò sese etiam ad Pontificem profecturos esse. Ludovicus Imperator pacis componendæ studio, selectos quosdam viros Parisijs in palatium convocari, & sanctorum Patrum de imaginibus sententias colligi jussit. Hi collatores, seu quod jam ante abhorrerent ab adoratione imaginum, quasi cultum latriæ vox adorationis præferret, seu quòd *D. Gregorij* mentem in Epistola ad *Serenum Massiliensium Episcopum* malè intellexissent, tanquam ille imagines tantùm ad memoriam & instructionem fidelium & rudium hominum, non verò ad cultum exponi vellet, hi inquam collatores vulnus *Nicænæ Synodo* inflixerunt, literasque conceperunt, quas *Ludovicus* suo nomine ad *Eugenium II.* Pontificem mitteret: fecit id *Ludovicus Pius* per *Jeremiam Senonensem*, & *Jonam Aurelianensem* Episcopos, rogatum: an liberum cuique in Ecclesia permitti placeat, habere Imagines, vel non habere, adorare eas, vel non adorare? Specie quidem pacis id agebant, re autem, ut cultum imaginum abrogarent. Sed nec Pontifex quicquam respondit, de quo quidem constet, eò quòd hæc controversia satis in Concilio Nicæno decisa esset; & Ludovicus à suis circumventus, facilè quievit. Sub idem tempus *Claudius Taurinensis* Episcopus, *Felicis Urgelitani*

litani discipulus, eandem hæresin resuscitare cœpit, quem ob id à Ludovico Imperatore damnatum scribit Walfridus Strabo, *de reb. Eccl. c.8.* Hanc & *Jonas Aurelianensis* accerrimè oppugnavit, ob Nestorij & Vigilantij hæreses; tum etiam, quòd cùm iconoclastis Imagines confringendas doceret. Interim ipse *Jonas* etsi Imagines ob memoriam retinendas diceret, cultum tamen imaginum non probavit, deflexitque à via orthodoxæ fidei, & cum eo *Agobardus Lugdunensis* Episcopus, qui tamen sacratissimæ Crucis imagines venerandas censuit.

Hæc paucis de illo Galliæ conciliabulo, in causa Imaginum, in quo tantopere exultat Nifanius cum suis heterodoxis. Atque ut populo imponant, scribunt in Concilio Parisiensi damnatum esse cultum imaginum, quæ tantùm paucorum collatio fuit, jam ante abhorrentium & malè sentientium de cultu Imaginum: neque illorum sententia à Pontifice, neque ab Imperatore, neque ab Ecclesiâ ullâ Occidentali probata est: puduitque pòst ipsos Gallos hujus collationis. quamobrem acta ejus suppressa, nec ab ullo Gallorum post edita reperiuntur. Pluribus de hac collatione Baronius, Bellarminus, Binius, Sirmondus tom. 20. Concil. Regiorum, alijque complures. Scripsit præterea Bellarminus peculiarem libellum adversus hæreticorum librum Anno M D XCVI. Francofurti editum, quo novatores hanc Parisiensium commentitiam Synodum asserere conati sunt, verùm Bellarminus nulla hujus Synodi decreta, nullos canones, nullam Episcoporum subscriptionem extare ostendit. Igitur novatores nostri relicto puro fonte volutantur in turbidis aquis, nec aliud hîc eorum negotium, quàm ut ex morbidis Ecclesiæ membris, & purulentis hæreticis, ne sani sint, saniem sugant. Et verò quæ major insania fingi potest? quàm à Judæis, Mahumetanis, iconomachis, perfidisque Christianis, dogmata fidei suæ emendicare, & universalis Ecclesiæ judicium contemnere? aut pro vera ac generali Synodo Nicæna, populo pseudo-Synodum Constantinopolitanam, quæ iconoclastarum fuit, obtrudere?

Falsò hîc Nifanius traducit Sirmondum, quod Concilij Francofurtensis Canonem II. de imaginibus non omiserit, & candidè Gallorum opinionem ex hac collatione retulerit: Sed quàm eruditè Sirmondus respondeat hæreticis, præter ea quæ retulimus, leges in Notis ejus. Quòd verò ad collationem attinet, remittit nos ad Baronium, & Bellarminum,

à quibus pleniùs hæc recognosci possint, modò hæreticum tantisper animum seponere possis, ut veritatem audias. *Convinci possunt hæretici,* inquit Tertull. *sed suaderi non possunt.*

Calumniaris deinde Hadrianum Pontificem, cui nulla fides habenda sit, eò quòd in propriâ causâ malè egerit pro cultu imaginum, Synodumque Nicænam approbarit. quo dicto te virulentum hæreticum denuò ostendis, ex insito hæresis tuæ in Pontificem odio. Cùm hoc muneris fuerit Hadriani, ut omnium Pontificum Romanorum fuit, convocare Concilium contra hæreses, easque damnare. Et verò quantum ille egerit in hac causa, cognosces ex epistola ejus ad *Constantinum* & *Irenem* Imperatores, ex scriptis ad *Tharasium* Constantinopolitanum Patriarcham, ex legationibus cæterisque Concilij Nicæni actis; tum etiam ex erudita, & Apostolicâ Epistola ad Carolum Magnum, pro cultu imaginum scripta. Mirum hîc Carolum Magnum etiam à te non traduci, qui se *totâ mentis intentione, & toto cordis affectu, Apostolicæ sedi conjungi* scribit. Igitur Carolus Magnus majoresque ejus venerati Imagines, qui tamen tuo judicio non minùs idololatriæ condemnandi sunt, quàm Constantinus Magnus: de quo refert *Damasus* Papa in Vita *S.Sylvestri*, eum in hoc ipso loco, quo baptizatus fuerat, posuisse Agnum ex auro, ad dexteram Agni statuam argenteam Salvatoris, ad lævam statuam argenteam S.Joannis Baptistæ; in Ecclesia autem Lateranensi posuisse imagines argenteas Salvatori, Apostolis duodecim, & Angelis quatuor, ne quid hîc de S.Cruce ab Helena matre inventa, & à Constantino Magno cæterisque Imperatoribus magnâ veneratione ac pietate cultâ referam. Quin Constantinus Magnus, postquam illi in quiete sancti Apostoli Petrus & Paulus spectabiles oblati sunt, cognovit postea eosdem Apostolos, ex imaginibus, quas *S.Sylvester* illi statim ante Baptismum videndas obtulit. Inscribis librum tuum historiæ Theologicam ostensionem, & nihil magis facis, quàm ut historias fallacijs & mendacijs corrumpas. Optarem sanè ego ullum hæreticum inveniri posse, qui historiam Ecclesiasticam sincerè verèque scribere posset, nisi simul suam doctrinam falsitatis condemnet. Id tantùm agitis, ut ex floribus, ex quibus apes mella colligunt, vos cum araneis virus tantummodo exsugatis.

CAPUT VII.

C A P V T VII.

Objectiones Niſanij adverſus cultum Imaginum.

PRæſtandum mihi hoc loco erat, quod in cæteris feci, ut priùs cultum Imaginum ex Scriptura, Concilijs, Patribus, exemplis ex omni antiquitate Chriſtiana adductis, & miraculis aſſererem; ſed quia id abundè factum eſt in Synodo VII. Nicænâ, alijſque ſcriptoribus, cumprimis Bellarmino, Suarez, Vaſquez, Valentiâ, Becano alijſque innumeris, imò vel ex una Hadriani Pontificis Epiſtola ad Tharaſium Conſtantinopolitanum Patriarcham, moderatorem hujus Synodi, tum ex epiſtola ad Carolum Magnum ſatis hæc cognoſci poſſunt. Supereſt, ut poſt ea, quæ ex hiſtoricis attuliſti, & à nobis refutata ſunt, nunc cætera quæ adfers, & quibus Catholicos ex cultu imaginum idololatriæ accuſas, diluamus. quâ tamen in re certa quædam hypotheſis præmittenda eſt.

Hypotheſis verò hæc, tanquam principium hujus controverſiæ, conſiſtit in cognitione *idoli*, & *idololatriæ* definitione, quam ex cultu imaginum nobis hæretici affingunt. Quid ergo *idolum*? quid *idololatria*? *Idolum eſt falſa imago*, id eſt rei, quæ non eſt, teſte Apoſtolo 1. ad Corinth. c.8. & 10: *Scimus quia nihil eſt idolum in mundo.* Ideo Habacuc, c.2. & paſſim in Scriptura *idola* vocantur vana, falſa, falſæ imagines, & mendacia. Vel eſt rei, quæ non eſt adoratione digna, ut communiter Patres docent. *Imago* verò eſt, quæ veram rei habet repræſentationem, & reſtringendo ad ſacras Imagines, oportet ut ſit de re vera, & verè ſancta, ac proinde verè digna cultu ſuo. Quo ſenſu ſcripſit *Hadrianus* Pontifex ad *Conſtantinum*, & *Irenem* Impp. ut habes Act.2. Concilij Nicæni: *Imagines tantum ob recordationem Sanctorum pingi, venerari, coli, quos clarè conſtat eſſe ſervos Dei, & pro nobis apud Deum obſecrari & intercedere:* Hinc illa veneratio imaginum ſacrarum idololatria eſſe non poteſt: nam omnis cultus idololatriæ ſiſtit vel in *idolo*, tanquam in vero Deo,

vel

vel per ſimulacrum tendit ad colendum pro Deo, qui non eſt; vel ad colendum impium aliquem ſeu dæmonem.

Igitur etſi idolum ſit aliquid, id eſt vel materialis ſtatua, vel res alia, (quod omnis imago habet,) ſed differt, quòd res, quam repræſentat, vel nulla vera ſit, vel nullam excellentiam habeat, ob quam colenda ſit. Hinc impudentiſſimè Niſanius ex cultu imaginum nobis affingit *iconolatriam* & *idololatriam*: nam omnes illi religioſi actus in cultu Imaginum tendunt in rem veram, & in excellentiam aliquam humanâ ſuperiorem, mediatè per imagines ad *prototypon*, quemadmodum actus quibus coluntur & invocantur Sancti, immediatè tendunt in ipſos Sanctos, ut *interceſſores*. Deinde hîc cultus diſtinguitur à *civili cultu*, quia actionibus ſacris, & longè aliâ mente peragitur, aliamque in prototypo excellentiam reſpicit.

Utrúmne autem imagines per ſe ſint adorandæ colendæve, an ſolùm cum *exemplari*, & propter ipſum exemplar? quæſtio eſt *de modo* colendi, qui diſputatur inter Suarez & Vaſquez, nec *rem fidei* controvertit. Suarez cum Bellarmino docet, Imaginem *per ſe* coli poſſe cultu aliquo inferiore illius cultus, qui per ſe & directè exhibetur exemplari. Negat Vaſquez: ſed quæſtio eſt inter limites Scholaſticos, ex quâ inaniter inſultat Niſanius, ut ferè in toto libro cum *Gerhardi* alijſque facit. Nam poſtquam Novatores viderunt à ſe fruſtrà impugnari rem ipſam, introduxerunt novâ fraude diſſentientes Catholicorum Theologorum ſententias, de quæſtionibus inter ipſos agitatis, quæ arbitrariæ ſunt, nec fidei articulum continent, ut ex his per impoſturam incauto Lectori perſuadeant, ipſos Catholicos in rebus fidei non convenire. Hoc improbus ille *Joannis Gerhardi* labor tot controverſiarum tomis agit, & ex illo Niſanius. His poſitis, audiamus quæ opponant hæretici.

I. Objicit Niſanius cum Calviniſtis & Lutheranis illud Exod. 20. & Deut. 5. *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cælo deſuper, aut quæ in terra deorſum.* ℞. I. Si ad literam hæc accipiantur, non minus Catholici, quàm ipſi Lutherani oppugnantur. Vetamur enim imagines non ſolùm colere, ſed & facere, atqui tam Lutherani, quàm Catholici admittunt imagines, adeoque laudabiliter in templis poni, & ſervari aſſerunt: tenentur ergo admittere, ſolam adorationem faciendam prohiberi, quod verbis adjectis dicitur: *Non adorabis ea, neq; coles.*

les. ℞. II. Vel illud præceptum Exod. 20.& Deut. 5. fuit *naturale morale*,& tum illo non omnes imagines prohibentur, sed solùm ordinatæ ad indebitum cultum, quo imagines Sanctorum comprehendi non possunt, quæ ad honestissimum cultum institutæ sunt; neque etiam absolutè & simpliciter omnes imagines in quemcunque etiam usum institutæ, prohibitæ sunt. Ratio, quia tunc nec in aulis Regum, & Principum Christianorum, nec ullibi imagines Heroum, majorumque habere liceret, quod nemo admittet. Vel ergo hoc præceptum fuit *positivum divinum*; verùm non aliud, quàm cærimoniale, quod jam abrogatum est, haud secus, quàm Sabbatum. Quare cùm illud præceptum unà cum cærimonialibus jam abrogatum sit, non obligabuntur Christiani, nisi Judaicum errorem introducere libeat in Ecclesiam Christi.

Instant ulterius ex hoc veteris Legis præcepto Exod. 20,& Deut. 5. dicuntque: Sicut Judæi,& gentiles coluerunt idola, ita Catholici colunt imagines Christi, & Sanctorum; nec enim Judæi ob id reprehenduntur, quòd in idolis coluerint falsos deos, sed quòd imaginem veri Dei coluerint: quod verò in idolis falsos deos non coluerint, (ut obtenditur) probant Exod. 32. ubi vitulum quem formarant, non ut vitulum, aut Apim Ægyptiorum deum adorarunt, sed ut imaginem veri Dei coluerunt. Inde cultus Jehovæ dicitur. Nec enim tam dementes fuerunt Judæi, ut pro vero Deo Patrum suorum falsos deos colerent. Pari modo Jeroboam inquiunt vitulos aureos fecit, 3.Reg.12. non ut *vitulos* populo deos persuaderet, sed ut ab urbe Hierosolymis, & à vero illos Dei cultu avocaret. ℞. Manifestè falsum est, Judæos vel Gentiles in suis *idolis* verum Deum coluisse. De Judæis verba sunt clara Deut.12. *Immolaverunt dæmonijs, & non Deo.* De Gentilibus psalm.95. *Dij gentium dæmonia.* 1.Cor.10 *Quæ immolant Gentes, dæmonibus immolant.* Idem est de *vitulo*, quem *Nifanius* negat pro deo adoratum fuisse, contrarium enim docet Scriptura Deut.32. *Deum qui te genuit, dereliquisti; & oblitus es Domini Creatoris tui.* Et psalmo 105. *Fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt sculptile: & obliti sunt Deum, qui salvavit eos.* Jerem.2. *Ambulaverunt post vanitatem*, id est post idola, *& non dixerunt: ubi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Ægypti?* Idem est de Jeroboami vitulis, nam 3.Reg.12. de ijs dicitur: *Ecce dij tui Israël.* Ita Josue ultimo cap. data est optio Hebræis, utrúmne velint dijs alienis, quibus Thare & Nachor ser-

 vierunt,

vierunt, an idolis Amorrhæorum: an verò Deo Iſraël ſervire? ubi Deus Iſraël opponitur falſis dijs, quos in idolis colebant. 3. Regum 18. Elias dicit: *uſquequò claudicatis in duas partes? Si Dominus Deus eſt, ſequimini eum; ſi Baal eſt deus, ſequimini illum.* Ex his Scripturæ locis manifeſtè falſus convincitur *Calvinus*, & cum eo *Niſanius* & Lutherani, qui docent Judæos in omnibus ſuis idolis verum Deum coluiſſe. Quanquam *Abulenſis*, *Cajetanus*, & alij diſtinguant inter *idola*, quorum unum genus fuit cum certo *dei* nomine, ut *Baal*, *Moloch*, *Aſtaroth*, *Chamaz*, ut dicitur 3. Regum 11. Et in his idolis clarum eſt, eos falſos *deos* coluiſſe. Alterum genus *idoli*, quod ſine nomine certi dei colebatur, quale fuit idolum Michæ Judic. 17. de hoc fortè probabile, quòd Judæi putârint, ſe in tali *idolo* verum Deum colere: errabant interim, quod ejuſmodi idolo ſacrificarent, quod divinitatem quandam ineſſe crederent, quòd Deum corporeum ſibi fingerent. Quemadmodum Manichæi profitebantur, ſe verum Deum colere: ſed quia per Deum intelligebant *Judicem* corporeum, & per Chriſtum accipiebant *ſolem* illum corporeum, nihil veri in Chriſto colebant.

Quantum ad ethnicos attinet, multo certiùs eſt, eos paſſim crediſſe ipſa idola eſſe Deos. Conſtat id ex innumeris Scripturæ locis, Iſa. 46. Jerem. 2. pſalmo 113. & 134. Habac. 2. Ex Epiſt. Jeremiæ, Hab. 2. Sapient. 13. & 14. Act. 9. Unde plerumque dæmon per idola loquebatur, & reſponſa dabat ad invocationem illorum. Ita Auguſtinus in pſalmum 113. & lib. 3. de Doct. Chriſt. c. 7. *Illi ſimulacra venerantur, vel tanquam deos, vel tanquam ſigna, & imagines deorum.* Unde Epiſt. 49. & in pſalmum 113. dicit ethnicos exiſtimaſſe, ſimulacra vivere, ſpirare, audire, & proinde deos eſſe viventes, ita Tertull. Apolog. cap. 12. Euſeb. lib. 5. Præpar. Evang. c. 11. Cyprianus, Lactantius, Arnobius, Minutius Felix, Clemens Alexand. Athanaſius, Theodoretus, ac paſſim Patres: Ridentque ethnicos, quòd ligna & lapides pro Deo colant. Sed hîc non unus ethnicorum error: alij enim ſimulacris heroës & mortuos homines colebant pro Deo, alij dæmones, alij partes mundi, ut in idôlo Apollinis, *ſol*; in idolo Neptuni, *mare*; in Jovis, *æther*. Alij non ipſas corporeas mundi partes, ſed animas earum partium, ut *ſolis*, *lunæ*, *terræ* colebant, uti hoc ex Auguſtino, Cypriano, Tertulliano, Euſebio, alijſque Patribus conſtat. Ita verò omnes illi creaturas pro Creatore colebant.

Jam

Jam redeamus ad propositam quæstionem. Vel ergo Judæi & gentiles ipsa idola pro dijs, vel in ijs falsos deos pro vero Deo; vel creaturas pro Creatore coluerunt. Nihil horum de Catholicis, & eorum, quas colunt, imaginibus dici potest, ut tu mendacissimè scribis. Vel enim eorum imagines sunt imagines Christi, & in his Christum verum Deum & hominem colunt; vel sunt imagines Sanctorum, & in his Sanctos cultu *duliæ*, ob excellentiam gratiæ & gloriæ, ut amicos Dei, & intercessores apud Deum colunt, omni cultu ad *prototypon* relato. Quid hîc simile cum Judæis & gentilibus idololatris? aut quæ tua maledicentia, ut iconolatriam & idololatriam nobis ex hoc cultu affingas? Quasi tam stupidi, & sacrilegi sint Catholici, ut *latriam* quæ soli Deo debetur, creaturis attribuant.

Dicis, unum tantummodò esse cultum religionis, qui *latria* sit, extra hunc nullum alium religiosum cultum *dulia* dari posse. De hac quæstione agemus de cultu Sanctorum. Verbo hîc tantùm respondeo: Unus est cultus religiosus latriæ, qui soli Deo debetur, cæteri cultus *duliæ* analogicè sunt cultus religiosi, ut ex Theologis Catholicis disces. Licentiatum Theologiæ te inscribis: verùm theologus es, ut *scarabæus* est *avis*, qui ne principia quidem Catholicæ Theologiæ comprehendis. Sed nunc reflectamus argumentum Nifanij in ipsum Nifanium:

Qui colunt, & adorant imaginem Dei, sunt idololatræ;
Lutherani colunt & adorant imaginem Dei:
Ergo Lutherani sunt idololatræ.

Colunt enim, & adorant Christum, qui à S. Paulo Apostolo in Epist. ad Coloss. cap. 1. v. 15. dicitur esse *Imago Dei invisibilis*. Hoc argumento in collatione Alanensi ad eas angustias redactus fuit Daniel Chamierius, Calvinistarum Hyperaspistes, ut in conventu 300. hominum, & Doctorum virorum, fateri & subscribere coactus fuerit, hanc sacrilegam suam propositionem: *Christus Dei Filius non nisi metaphoricè est Verbum, aut Imago Patris*, uti hæc refert Gvalterius Sæculo 1. Verit. IV. §. 9.

Objicis II. Et carpis Bellarminum quòd is de genere cultûs imaginum dicat: *Cultus qui per se propriè debetur imaginibus, est cultus quidam imperfectus. qui analogicè & reductivè pertinet ad speciem ejus cultus, qui debetur exemplari.* Hac sententia dicitis destrui cultum religiosum,

qui debetur imaginibus. ℞ Non *deſtrui* cultum, ſed *diſtingui*, cùm alius ſit cultus *directus, abſolutus*, & propriè dictus. alius *indirectus*, & *reſpectivus:* alter exemplari, alter imagini convenit. Bellarminus de genere hujus cultus tres opiniones proponit. Prima eſt, quòd imago non ſit ullo modo *in ſe* colenda. Secunda, quod idem honor debeatur imagini, qui exemplari. Tertia, quòd imago *in ſe*, & propriè honorari debeat, ſed honore minori, quàm ipſum exemplar. Sed hæc, ut diximus (de primo & tertio modo cumprimis) controvertuntur inter Scholaſticos limites, ex quibus tu articulos fidei nobis doloſè procudere vis.

Cætera quæ hic adfers à *Voluſio* eruditè ſunt dilûta, à quo ſapienter ſcriptum eſt, in nullâ controverſia fidei magis furere, & inſanire *novatores* noſtros, quàm in cultu imaginum: ſed prorſus ut *canes*, qui noctu, dum luna lucet, adverſus umbras & larvas hominum oblatrant; mira & magna polliceris, ſi quis verò excutiat, non alia ſunt, quàm quæ ad textorum, & mulicrcularum aures ſpectant, aut in quibus tuam calumniandi libidinem expleas. In quo velim advertas primùm, quod S. Auguſtinus ſcripſit in pſalm. 8. *Multi hæretici cum paganis alios, & alios ſibi deos finxerunt, atque eos, etiamſi non in templis, tamen quod pejus eſt, in corde ſuo poſuerunt, & falſorum ridendorumque ſimulacrorum templa facti ſunt.* Tollite illa phantaſmata, & idola falſarum opinionum veſtrarum, & imagines in ſuo honore cultuque permanebunt. Satis eſt nos Carolum à tuis injurijs liberaſſe. Et quid aliud veſtrum hic negotium eſt cum diabolo, iconomachis, & iconoclaſtis, in tollendis imaginibus Chriſti & Sanctorum, quàm omnem memoriam myſteriorum Chriſti, & Sanctorum ſubmovere ex oculis Chriſtianorum? Eò factum, ut cum in Helvetia *Zwinglianus prædicans* pro Catechiſmo interrogaret ordine pueros, puellas, juvenes, & ſenes, quo genere mortis Chriſtus obijſſet? reſponderent ordine ſinguli, *in lecto obijſſe.* Si vel una imago Chriſti in Cruce pendentis in Calviniano templo relicta fuiſſet, illicò errorem tam impium rudis populus correxiſſet. Hîc fructus veſtræ doctrinæ! Et cui mirum diabolum tam furiosè per vos oppugnare cultum imaginum? & vos in nulla controverſia tanto ſtupore & furore agere quam in hac? ſed quid agemus? *Perſecutio*, inquit S. Auguſtinus lib. de Paſtorib. cap. 12. *nunquam ceſſat in Eccleſia, ſive à leone, ſive à dracone; & magis metuendus eſt cùm fallit, quàm cùm ſævit. Illo tempore cogebat Chriſtianos negare Chriſtum; iſto autem tempore docet Chriſtianos negare Chriſtum. tunc cogebat, nunc docet.*

CAPUT VIII.

CAPVT VIII.

De cultu, et invocatione Sanctorum.

PErvulgatam hanc controversiam, & tot Doctorum virorum libris discussam, hîc nobis regerit Lutheranus prædicans, tantâ verborum acerbitate, calumnijs, & injurijs, ut extremum hæresis suæ virus effudisse videri velit: quemadmodum id in nulla controversia fidei magis eructant atque evomunt, quàm cùm de Romano Pontifice & cultu Sanctorum, & Imaginum inter nos agitur. Quo in genere, ut Nisanius odium suum etiam supra modestiores Lutheranos scriptores expromat in Catholicos; primùm Caput sui tractatus de *Angelolatria Papistarum* inscribit; alterum de *Hagiolatria* & *Marialatria*; tertium de *Iconolatria*; quartum *de Lipsanolatria*. Et Catholicos non modò superstitionis, sed & innumeris idololatriæ criminibus reos proclamat. Prorsus, cùm hunc Nisanij tractatum legerem, haud aliter mihi hic *prædicans* occurrit per sannas, ac maledicta in Divos scribere, quàm diaboli ex obsessis hominum corporibus garrire, facta Catholicorum ridere, & calumniari solent; tanquam is etiam eodem maligno genio afflatus sit. Et quando damnati spiritus magis furunt, quàm cùm Deiparam Virginem, & Sanctos Dei à nobis coli vident, quos nôrunt in suas sedes repositos, è quibus illi per superbiam sunt dejecti? inde ille invidiæ stimulus, in suos etiam transfusus. His itaque probris in Catholicos per calumniam jactatis nondum satur Nisanius, *Artolatriam* nobis impingit, criminaturque Catholicos, quòd in Eucharistia & sacrificio Missæ *panem* pro *Deo* adorent. Quæ si vera sunt, uti tu populo, ac tuis persuadere vis, nulla hoc sæculo erit secta in Germania, inter Sacramentarios, Anabaptistas, & Antinomos; nulla in Transylvania, aut Ungaria inter Trinitarios, & Socinianos; nulla in Anglia inter Puritanos, Libertinos, Enthusiastas & Fanaticos, quæ detestabilior atque exitiabilior sit, quàm

Catholicorum religio: quos tu ob id identidem *Papiſtas, Romanenſes,* & neſcio quibus nominum commentis appellas: atque ut crimen eorum intendas apud plebem, ſcribis, Catholicos haud aliter fingere & colere Sanctos ſuos, quàm Mahumetani & Turcæ faciunt, qui præter unum Deum, Iſam, Meſſiam, Joannem Baptiſtam, & Mariam alioſque quàm plurimos gentis ſuæ ſanctos colunt. Hos dicis adſtipulatores eſſe Papiſtarum. Eadem fingis idololatriæ crimina, quæ cum *Turcis*, & *Paganis* communia habeant *Papiſtæ*: ac promittis, te tuo id ſcripto demonſtraturum. Demum comparas Catholicos cum Paganis, qui ſibi Deum maximum, & præter hunc deos medioxumos, minorumque gentium fabricent. Tam multa, & tam nefanda, idololatriæ crimina, & mendacia tu palàm ſcriptis libris inſpergis, iiſq; diffamas Catholicos, quaſi ad hoc *Nifanius* dicaris, ut *nefanda,* & *infanda* nobis objicias. Quòd ſi quis in hunc modum ſcriberet: parentem tuum è Prædicantum tribu fuiſſe latronem animarum; uxorem tuam ſcortum, & te fornicatorem: nonne indignè ferres hæc tibi, familiæque tuæ probra objici? Qui tamen non erubeſcis *Eccleſiam Catholicam, & Chriſti Sponſam* longè fœdioribus criminibus traducere apud plebem, & his ſimul tot *Imperatores, Reges, Principes, totumque Clerum, & populum Catholicum* diffamare, quæ tamen tu nunquam probare poteris: faciliuſque Catholicus aliquis objecta tibi flagitia, quàm ea quæ tu Eccleſiæ Catholicæ impingis, perſuaderi ſibi patiatur. Sanè verò te illuſorem eſſe, ſatis aperiunt, quæ *procus* & *rivalis* in *Comitatu Waldecenſi* egiſti. *Quid armilla? niſi ſpretæ injuria famæ? Sed tum procus eras*, qui modò *maritus* es, & Lutheranorum *epiſcopus*. Quin adeò inſultas hac tua procacia, ut ſcribas: *Ægrè ferre Papiſtas, & malè queri hæc ſibi idololatriæ convitia objici, iiſque ſe traduci, cum nihil magis mereantur.* Verè tu *nebulo* es, ſi is nebulo ſecundùm Terentium, qui *nebulas* mendaciis obtendit. Hæc palàm ſcribitis! quid non declamatis apud plebem multo injurioſius in Catholicos? & cui bono? niſi ut populum exacerbetis adverſus Catholicos, à quibus tamen majores veſtri ſanguinem, & vitam traxerunt, quos eodem idololatriæ crimine damnetis neceſſe eſt. Mitte iſtam calumniandi acerbitatem, & ſcribe ut prudentiores ac moderatiores faciunt Lutherani, & dignum aliquid ſano Theologo adfer; nec deerunt, qui tecum componi velint. Miti ingenio erat

S. Augu-

S. Augustinus, ubi verò impudentem æmulum nactus est, positâ mititate acerbitatem scribendi sumpsit, & *frontem hæreticorum* dixit *non esse frontem.* Sed nunc ad causam ipsam, ex quâ rei agimur, accedamus. in qua primùm certæ hypotheses statuendæ: ne, ut tu facis, bruti instar bubali procedamus.

I. Ergo *Hypothesis*, tot esse species *adorationis*, quot sunt species *Excellentiæ*, ut S.Thomas docet 2.2.q.103. art.3. & cum eo Bellarminus, Vasquez, Suarez, Lessius, ac Theologi omnes. Honor enim, & cultus qui personæ debetur propter *excellentiam*, quæ *objectum formale* est defertur. Tres autem sunt species *excellentiæ:* Quarum prima est *Divina* & *Infinita*, cui respondet prima species cultus *latriæ*, quæ per antonomasiam est *adoratio.* Secunda excellentia consistit in *gratia & gloria* Sanctorum, quæ sunt dona supernaturalia & excellentissima cum creaturis communicata, & huic secunda species cultus respondet, quam *duliam* vocant Theologi, & *analogicè* adoratio est, collata cum prima; quæ deinde in *duliam propriè* dictam & *hyperduliam* dividitur, cultusque *hyperduliæ Humanitati Christi* seorsim consideratæ, ob unionem ad *Verbum*, & B. Virgini tribuitur, uti *Mater Dei* præstat alijs Sanctis. Tertia excellentia *humana*, seu *naturalis* est, quæ posita est in humanis virtutibus & dignitatum gradibus, cui respondet cultus *civilis*, qui tamen teste Aristot. lib.9. Eth. c.2. in alias species dividi potest: nam alius honor debetur parentibus, alius Principi, alius magistro, aut erudito & sapienti viro. In quam rem notandum etiam, quòd S. Augustinus scribit cont. serm. Arian. c.23. *Nam honorat*, inquit, *omnis qui adorat*; *non verò adorat omnis, qui honorat:* honoramus enim non solùm superiores nobis, sed æquales etiam, imò inferiores: uti Rex honorat subditos *Esther c.6.* Adoratio autem solùm exhibetur potentiori & superiori, in signum dignitatis & excellentiæ. Ideo qui *honorat*, non statim *adorat:* è contrario qui *adorat*, etiam *honorat.*

II. *Hypothesis* est in voce *adorationis*, quæ vox communis est, ut modo *latriæ*, modo *duliæ* subserviat, & quandoque etiam cultui *civili*; res tamen, & cultus ex animo colentis longè diversus est sub eodem nomine *adorationis*, ut præclarè docet S.Augustinus *quæst. super Exodum*, *94. & lib. 20. contra Faustum Manichæum c.21.* Ubi cum exposuisset, quo cultu colantur Martyres in cælo, & sancti Dei homines in terra, subjun-

ſubjungit: *At illo cultu qui Græcè λατρεία dicitur, Latinè uno verbo dici non poteſt, cùm ſit quædam propria divinitatis ſervitus: nec colimus, nec colendum docemus, niſi unum Deum, cùm ad hunc cultum pertineat oblatio ſacrificij; nullo modo tale aliquid offerimus cuiquam Martyri, vel cuiquam animæ ſanctæ, vel cuiquam Angelo.* Nec etiam in Hebræa lingua ullum eſt nomen, quod propriè deſignet cultum ſolius Dei, ſed omnia ita communia, ut nunc de hoc, nunc de illo cultu uſurpentur: ut planum eſt in voce illa *Hiſtachava,* & *Abed,* quæ nunc pro *religioſo,* nunc pro *cultu civili* ponitur. Nec in Græca lingua illa diſtinctio eſt, præter θεοσέβεια nomen, quo tamen rariùs utuntur Græci. Quanquam Auguſtinus λατρεύειν paſſim in Scripturis pro cultu, & adoratione primæ ſpeciei ſumi aſſerat: uti hæc omnia multis oſtendit Bellarminus *lib. 1. de Beat. SS. c. 12.* Quocirca ut Eccleſia nomen ὁμοούσιος, θεοτόκον, aliaque introduxit, ad res propriè ſignificandas, ita nomina *duliæ,* & *latriæ* ſingulis ſpeciebus cultûs attribuit. Sapienter *D. Auguſtinus* lib. de Gen. ad lit. c. 4. *Dummodo intelligatur quod intelligendum eſt, non magnoperè curandum eſt, quid vocetur.* Hinc quando in Synodo Nicænâ, & apud Patres, reliquoſque Scriptores legitur *adorari* Sanctos in cælis, Crucem Domini, & imagines; id intelligendum eſt de adoratione per cultum *duliæ* facta, quæ omnia Niſanius & hæretici malignè detorquent ad cultum *latriæ,* cùm duliæ ſpeciem non agnoſcant, ut infrà exponam.

III. Hypotheſis, eſt diſtinctio inter actus *internos* cultus religioſi, & inter *externos:* nam actus *externi* per ſe non facilè diſtinguunt ſpecies adorationis: V. G. *incurvatio,* & *genuflexio, latria* eſt, ſi ſoli Deo fiat, *dulia* ſi Sancto, *cultus civilis* ſi Regi, aut Imperatori fiat. Abraham eodem actu *incurvationis* adoravit Deum *Gen. 17.* Angelos, *Gen. 18. Homines, Gen. 23.* Ita ſi corona deferatur crucifixo, *latria reſpectiva* eſt, ſi Sancto, *dulia,* ſi ſponſo aut Regi, *cultus civilis* eſt. Quid verò ad illud dices? quod de Carolo Magno ſcribunt Annales Francorum in coronatione ejus ad annum Chriſti DCCCI. *cuncto* nimirum *populo Romanorum acclamante: Carolo Auguſto, à Deo Coronato, Magno, & Pacifico Imperatori Romanorum. Poſt quas laudes, à Pontifice more antiquorum Principum adoratus eſt.* Qualis illa adoratio fuit? certè non alia, quàm civilis. Igitur quando objicit nobis Niſanius cum ſuis, *incurvationem, dona, vota, litani-*

litanias, preces, quæ Sanctis offeruntur, aut imaginibus Sanctorum, Sanctisque deferuntur, spectandus est animus offerentis, & sensus precantis, internique actus. Hic Nifanius cum suis tanquam cordium humanorum *inspector*, & *judex divinus*, illicò Catholicos, *angelolatria, hagiolatria, iconolatria* condemnat, cùm ne *fundamenta* quidem hujus doctrinæ intelligat. Aut, quæ malitia est, si intelligat, populo veritatem non exponere? Opificem Catholicum, aut vetulam ante Crucis imaginem, aut statuam B. Virginis adorantem si rogares, responderet tibi, non se lignum, sed quem crux & imago repræsentat, adorare & precari. His positis, satis superque responsum est ad omnia, quæ à Nifanio tantâ & tam confusâ scriptionis farragine per rapsodiam obtruduntur.

Interim audiamus, quid novus ille Theologus adferat adversus hæc principia. Primùm inquit, cultus religiosus unus tantùm est, nempe *latria*, qui soli Deo convenit, nec præter civilem cultum, quo honorantur Principes & parentes, tertius *dulia* dari potest; aut si detur, *latria* erit: quia religio cultus Dei est. ℞. Hoc argumentum Calvini est *lib. 1. instit. c. 11,* & jam dudum explosum à Bellarmino alijsque Theologis. Nam ubi *excellentia*, & *objectum formale* est diversum, ut jam ostensum est, ibi & honor, & cultus sit diversus necesse est, quod vel Aristoteles te suprà docuit *in ethicis*, qui ipsos cultus civiles ait distingui in varias species, quidni religiosus etiam cultus? cùm objecta formalia sint diversa, & cultus *dulia* non *univocè*, sed *analogicè* sit species adorationis: nec enim excellentia univocè dicitur de Deo, & creaturis.

Sed pergit: Inter ens increatum, & creatum non datur medium. Ita est, sed sicut inter entia creata alia sunt *substantialia*, alia *accidentalia*, ita alia sunt *naturalia*, alia *supernaturalia*, & longè altioris ordinis, ut *gratia* & *gloria*, ob quæ duo honorantur Sancti: atqui illa specie differunt à naturalibus, ergo & cultus. Nisi placeat in aliam hîc hæresin transire, & negare omnem gratiam & gloriam Sanctorum: quò impia vestra doctrina vergit, quæ non modò Scripturam, Concilia, & Patres, sed omnem Philosophiam & Theologiam confundit. Qualis & hæc tua absurda propositio est: *Excellentia quævis humana, & quod in homine est, humana est; etiamsi ordinis sit supernaturalis, cui non alius, quàm civilis cultus debetur.* Ergo omnis ille cultus qui ab Ecclesia Catholica tot sæculis exhibitus est Sanctis in cælo poterit etiam deferri Regibus

& magiſtratui politico, & qui Deiparæ Virgini delatus eſt, poteſt deferri tuæ *Hecubæ*. Ratio tua, quia præter divinam excellentiam cæteræ excellentiæ in creaturis pares ſunt, & civili tantùm cultu dignæ. ita verò nec ſancto *Petro* major honor debetur quam Conſuli, *Paulo* quàm Prætori urbis, SS. Martyribus quàm textoribus Bilfeldienſibus. Poſſent ex hoc principio doctrinæ veſtræ templa dedicari politicis principibus, quemadmodum Carolus Magnus templa B. Virgini, & ſanctis Apoſtolis dedicavit per Saxoniam, aut ſtatua aliqua tibi & conjugi tuæ poni in altari. Pergis delirare, & dicis: in objecto religioſi cultus eſſe punctum indiviſibile, quod dividi non poſſit in cultum *latriæ* & *duliæ*. Credo equidem à craſſo Lutherano id fieri non poſſe. Quomodo verò Theologi Catholici cultum religionis dividant in *latriam*, quæ propriè & antonomaſticè Deo debetur per virtutem religionis, & in duliam quæ analogicè eſt cultus religionis, Angelis & Sanctis exhibitus ob excellentiam ſupernaturalem, jam ſuprà diximus. Quâ ſuper re vide Bellarminum loc. cit. Leſſium lib. 2. de Juſtit. c. 36. dub. 3. Suarez, Vaſquez, cæteroſque cum D. Thoma Theologos. nec tu hæc capis quidem: minùs certè, utrúmne actus duliæ ab eodem habitu religionis, an à diverſo producatur? Hoſce te ordine & ſolidè aliquo in ſpeciem argumento refellere oportebat, quàm iſtas calumnias eructare. Tyro philoſophiæ hæc inficeta argumenta ridet. Sed nunc ad cæteras tuas propoſitiones pergamus.

CAPVT IX.

An ex Scriptura religioſus Angelorum, et Sanctorum cultus probari poſſit?

NEgat id conſequenter Niſanius cum ſuis, qui tantummodò civili illos cultu dignatur. Auguſtana confeſſio art. 21. non aliter cultum Sanctorum probat, quàm per memoriam & imitationem. Ita enim de cultu Sanctorum docet: *Quod memoria Sanctorum*

proponi

proponi potest, ut imitemur fidem illorum, & bona opera juxta vocationem. Cætera quæ ad cultum SS. spectant, damnat: eò quòd de his nihil Scriptura tradat. Audet adeò Augustana confessio gloriari, nihil hîc à se doceri, quod vel à Scriptura, vel à Catholica & Romana Ecclesia discrepet. Apologia honorandos quidem asserit, sed per gratiarum actionem id fieri vult; quòd Deus ostenderit nobis in illis exemplum misericordiæ suæ, & confirmationem fidei, & imitationis exemplar, sed ad rem ipsam de qua agitur, nihil dicit.

I. Dicimus ergo Angelos, & Sanctos honorandos, & colendos esse cultu de quo egimus religioso, idque ex Scriptura probamus: nam Angeli adorati sunt ab Abraham Gen. 18. deinde à Loth. Gen. 19. non cultu civili, quia non priùs adorarunt, quàm Angelos cognoverunt. Et quam ridiculum est dicere, Angelis deberi cultum civilem? Ità & Josue cap. 5. adoravit Angelum, nec priùs, quàm se dixit esse ministrum Dei. Quare & Josue ut legatum Dei adoravit. Quomodo nunc ex cultu Angelorum nos *angelolatriæ* damnabit Lutheranus? nisi eodem crimine involvat Loth, Josue, & Abraham *patrem omnium credentium?* Fundamentum verò ejus adorationis non fuit natura, vel aliquot naturale bonum, aut morale, sed supernaturalis excellentia.

II. Probatur: Quia non modò Saul animam Samuelis adoravit, 1. Reg. 28. de quo multis Bellarminus, Serrarius in lib. Reg. & interpretes, sed etiam in hac vita Nabuchodonosor Danielem *cap. 2. Dan.* Abdias dispensator Regis Eliam Prophetam *3. Reg. 18.* Filij Prophetarum Elisæum *4. Reg. 2.* Neque hic honor referri potest ad excellentiam naturalem, sed ad supernaturalem, prophetiæ videlicet gratiam, & sanctitatem. Ad Scripturæ testimonia accedit perpetua Ecclesiæ traditio, & praxis totius Ecclesiæ; neque enim quicquam certiùs, quàm ubique B. Virginem, Apostolos, & Martyres ab ortu Ecclesiæ coli cæpisse.

III. Probatur Patrum testimonijs Justinus Apolog. 2. *Angelorum exercitum, & spiritum Propheticum colimus, & adoramus, verboque, & re, seu veritate veneramur, idque omnibus qui discere volunt, ut docti institutique sumus, copiose tradimus.* Chrysostomus Hom. de Sanctis: *Non aliter priscos, aliter recentiores colitis Sanctos.* Et infrà: *Martyres, quos hodie colitis, aderant.* Cyrillus Alexand. lib. 6. in Julianum: *Nos non deos factos esse diximus sanctos Martyres, sed omni honore dignari consuevi-*

ſuevimus. Damaſcenus lib.4. de fide Orthod. c.16. *Honorare decet Sanctos, ut amicos Chriſti, ut filios & hæredes Dei.* Cyprianus lib.4. Epiſt. 5. *Martyrum paſſiones, & dies anniverſaria commemoratione celebramus.* Hieronymus Epiſt. ad Ripuarium: *Honoramus Servos, ut honor ſervorum redundet ad Dominum*, cultu videlicet duliæ non latriæ. nam de latriæ cultu illud contra Vigilantium hæreticum: *Quis Martyrem adoravit? quis hominem Deum putavit?* Auguſtinus in pſalm. 25. de Sanctis: *Beatiſſimum Petrum piſcatorem modo genibus provolutis adorat multitudo credentium per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Id vero quod dicit Epiſt. 44. ad Maximum Grammaticum. *Non te hoc lateat, & in ſacrilega convitia prudentem trahat, ſcias à Chriſtianis Catholicis nullum coli mortuorum,* mox explicat ut Hieronymus fecit: *Nihil enim, ut numen adoramus, quod ſit factum & conditum à Deo.* Cætera teſtimonia leges apud Bellarminum, Suarez, Valentiam, Vaſquez, Coccium, Gvalterium & alios. Sane Patres omnes loqui de cultu religioſo, & non civili, clarum eſt ex eo, quod de illo cultu agant, qui per feſtos & anniverſarios dies, templa, vota, peregrinationes, invocationem, ac per alias ſacras actiones rituſque publicè Sanctis deferebatur.

Ex quibus poſtremò accedit argumentum à ratione: nam ethnici, Judæi, & hæretici, cumprimis Vigilantiani & Manichæi accuſabant Chriſtianos idololatriæ, uti cum his Niſanius facit cavillator, non aliunde quàm ob cultus ante recenſitos, ut conſtat ex Euſebio lib.8. c.6. hiſt. lib. 4. c.15. Cyrill. lib.6. c.10. in Julianum, Auguſt. lib.20. c.21. contra Fauſtum Manichæum, Hieronymo contra Vigilantium. At illi fuere cultus religioſi, non civiles: neque enim ob civilem cultum ulli reprehenſioni in ſpeciem obnoxij eſſe poterant Chriſtiani, ut per ſe conſtat. Neque his quicquam decedit honori Dei. Enimvero ſicut ſupernaturali (quem Deo debemus) amori nihil detrahitur per caritatem fraternam proximi, ita nec de ſummo & ſupernaturali latriæ cultu quicquam derogatur per duliæ cultum, qui ad ſupernaturalia Dei dona, gratiam videlicet & gloriam, Sanctis conceſſa refertur, maximè cum Deus Sanctos ſuos honorari voluerit. *Gloria & honor omni operanti bonum* Rom.2. *Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit illum Pater meus* Joan.12. *Imo qui vos ſpernit, me ſpernit,* Luc.10. Inde tot vindictæ divinæ in ſacrilegos, qui vel beatiſſimæ Virginis, vel Sanctorum nomen contumelioſis ſcriptis & dictis

dictis læsere. pleni sunt omnes historiæ sacræ libri: nec maledicam tuam linguam sera Nestorij, Copronymi, aliorumque blasphemorum pœna deseret, qui tot probris, sannis & convitijs ex officina diaboli collectis, sanctissimam Virginem & Christi matrem proscindis.

II. Dicimus, Sanctos non modo sanctè coli debere, sed & religiose ac salubriter invocari posse: hic enim præcipuus cultus est, de quo controvertitur, id quod Augustana confessio & Apologia apertè negat & damnat, neque hujus novi dogmatis sui alios patronos habent Lutherani, quàm Vigilantium hæresiarcham, qui docuit Sanctos non posse orare pro nobis, & quod consequens est, frustra invocari. Post illum *Petrobrusiani, Apostolici, Waldenses,* & *Wiclefus* invocationem SS. reprobarunt, quibus accessit *Lutherus*, primusque inter *novatores* nostros hanc consepultam hæresin ab inferis resuscitavit. Ac tametsi ad veritatem Catholicam testandam satis esse possit, quod hæc Lutheranorum doctrina jam dudum in *priscis hæreticis* damnata sit, multis tamen *invocatio SS.* convincitur.

I. Sancti orant pro nobis, *saltem in genere*, secundùm Scripturas, id quod Apologia vestra concedit: ita enim ad art. XXI. Augustanæ confess. *Præterea, & hoc largimur, quòd Angeli orent pro nobis: extat enim testimonium Zachariæ 1. ubi Angelus orat: Domine exercituum, usquequò tu non misereberis Jerusalem? De Sanctis etiam concedimus, quòd sicut vivi orant pro Ecclesia universa in genere, ita & in cælis orent pro Ecclesia in genere.* Confirmatur hæc doctrina, compluribus alijs Scripturæ locis. 2. Machab. c. ult. *Onias* & *Jeremias* jam defuncti orant pro populo. Apoc. 5. referuntur Sancti cum *phialis aureis, quæ sunt orationes Sanctorum.* Apoc. 6. Sancti vindictam clamant de interfectoribus suis. Ergo multo magis misericordiam pro nobis implorabunt. 2. Petri 1. *Dabo operam & frequenter habere vos*, scilicet commendatos, *post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Luc. 16. dives epulo orat in gehenna pro fratribus. His positis, certum argumentum procedit: Si Sancti orant pro nobis, ut concessum est, ergo invocari possunt, saltem ut in genere orent pro Ecclesia, & nobis: ita in genere invocari poterunt, quòd tamen negant Lutherani, cùm nulla sit ratio negandi, nisi illud Lutheri: *Sic volo, sic jubeo.* Nam si Sancti in cælo cognoscunt laborantis Ecclesiæ necessitatem in terris, ut pro ea orent, quod Onias, & Jeremias, & Angeli fecerunt;

ergo etiam possunt Ecclesiæ in terra orantis cognoscere preces, & suas preces cum illius precibus conjungere.

Sed ultra dicunt, effugij causâ: Sancti quidem in genere orant pro Ecclesia, non autem in specie, & particulari possunt orare pro nobis. At non minus absurda hæc responsio: nam Angeli in cælo orant in specie, & particulari, & curam nostri gerunt, ut constat Tobiæ 12. Zachariæ 1. Apocalypsis 8. Daniel.10. Psalm.90. Matth.18. Luc.15. *Gaudium est super uno peccatore pœnitentiam agente*, Ergo & spiritus Beatorum id facere possunt: *æquales* enim *Angelis sunt, & filij Dei sunt* Luc.20. Deinde aliquid habent præ Angelis, quod sint membra Ecclesiæ magis conjuncta, & sint experti miserias nostras. 3. *Dives epulo* in inferno orat speciatim pro quinque fratribus suis, ne ad ista tormentorum loca veniant. 4. Constat Ecclesiæ usu, quæ in particulari Sanctos invocat, ergo supponit, Sanctos cognoscere in particulari invocantes. Quid enim illud in præfatione Missæ de Apostolis? *Gregem tuum Pastor æterne non deseras, sed per beatos Apostolos tuos continuâ protectione custodias: ut iisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui Vicarios eidem contulisti præesse Pastores.* Quam orationem Pelagius II. Papa ante Gregorium Magnum docuit esse vetustissimam, Epist.4 Decret. His accedunt testimonia SS.Patrum apud Bellarminum lib.1. de SS.Beat. c.18. in particulari Sanctos invocantium. 5. Quo Scripturæ testimonio, aut quâ consequentia infallibili Lutherani contrarium evincent? ut non multo certiùs Ecclesia in possessione hujus dogmatis, quæ falli non potest, relinquenda sit? aut cui Sanctorum Concilio in cælis interfuerunt Lutherani, ut hoc tam asseveranter docere demum nos velint?

II. Hæc veritas asseritur ex ijs locis, quibus memoratur defunctos orasse pro vivis, Jerem.15. v.1. *Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Jam enim *Moyses* & *Samuel* defuncti erant: uti etiam *Onias*, & *Jeremias* defuncti orant pro populo 2.Machab. c.ult. Ita & Moyses orat Exod.32. *Recordare Domine Abraham, Isaac, & Israhel servorum tuorum.* Psalm.131. *Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui.* Quæ verba Salomonis sunt orantis Deum per merita Patris sui. Daniel. c.3. *Non auferas misericordiam tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israhel sanctum tuum.*

III. In

III. In utroque Testamento legimus viventes pro viventibus orasse. 1. Regum c.7. Hebræi ad Samuelem: *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum.* Job. ult. *Ite ad servum meum Job, ille orabit pro vobis.* Rom.15. Paulus ait: *Obsecro vos fratres, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum.* Eadem repetit Eph.6. 1.Thess.5. 2.Thess. 3. Col.4. Hebr.13. Ex his tale argumentum procedit: Viventes à viventibus sunt invocati, ergo licebit nunc eosdem Sanctos invocare cum Christo regnantes. Quo argumento S.Hieronymus Vigilantium hæreticum convicit: *Si Apostoli,* inquit, *& Martyres adhuc in corpore constituti, possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc solliciti esse debent: quanto magis post coronas, & victorias, & triumphos?* Quapropter Bellarminus & alij dicunt, hoc argumentum à nullo hæretico adhuc solutum esse. Nam quod dicant, Sanctos in cælis non cognoscere preces nostras, in quo Nifanius solutionem quærit, prorsus frivolum est. Nam ut Gregorius ait: *Quid non vident, qui videntem omnia vident?* Cætera quæ in hanc rem magno strepitu adferuntur, dissoluta sunt à Bellarmino lib.1. de SS. c.20. Suarez, Vasquez, Becano, Forero, alijsque innumeris. Ac tametsi modus, quo preces nostras cognoscant Sancti, nobis non ita explicatè constet, utrúmne Sancti omnia in Deo videant à principio beatitudinis, quæ ad ipsorum statum spectant, quòd D.Thomas 3.p. q.10. art 2. & cum eo alij verisimilius docent. An verò per novam revelationem à Deo factam, quando eos invocamus, parum hîc ad rem facit, quando hæc vera consequentia est: *Sancti rectè invocantur approbante Ecclesia: Ergo cognoscunt preces nostras.* Illa verò novatorum fallax est argumentatio: *Sancti non sciunt preces nostras, ergo non sunt invocandi.* Quin ipse Nifanius cum suis agnoscit in Baptismo puerorum excitari fidem eorum, quo autem modo id fiat, dicit sibi suísque incognitum esse: idem est de præsentia Christi in Eucharistia apud illos, utrúmne illa fiat per consecrationem, an sumptionem? quæ resolutio ad Kalendas Græcas apud illos remittitur. Unica hîc nobis D. Augustini regula satis esse debet, lib.2. de Bapt. c.7. *Quod Ecclesia universalis suo tempore observat, nec est per Concilia generalia institutum, credi debet esse ex Apostolicâ traditione* Rursum Epist.118. c.5. *Quæ in toto orbe servat Ecclesia, de quibus disputare, quin ita faciendum sit, insolentissima est insania. Ego quod ab Ecclesia accepi securus & teneo, & trado.*

His

His etsi satis responsum sit ad omnia Nisanij argumenta, alia tamen hujus Prædicantis insania prætermittenda non est.

Insania, et apertum Nisanij mendacium de initio, et tempore, quo cœpisse dicit invocationem Sanctorum.

Apologia Augustanæ confessionis ad XXI. Art. ita docet: *Veteres Scriptores ante Gregorium Magnum non fecerunt mentionem invocationis Sanctorum.* Nisanius verò sic scribit: *Fatemur jam sexto & septimo sæculo de invocatione Sanctorum semina fuisse jacta, accrevit inde Apostolorum & Martyrum existimatio.* Quasi octavo sæculo & post illud, invocatio Sanctorum primùm cœperit. Id verò, quàm impudens sit mendacium satis demonstrabitur, si ex quinque primis sæculis Conciliorum & Patrum testimonia adduxero.

Ex Concilio *Chalcedonensi*, quod Oecumenicum fuit, ex quatuor primis unum, anno Christi 454. celebrato, habemus primò Epistolam Episcoporum Europæ, qui ita scribunt ad Leonem Imperat. *Sanctissimum vero Proterium in choro, & ordine Sanctorum Martyrum ponimus, & ejus intercessione misericordem & propitium Deum habere postulamus.* Act.2. ejusdem Concilij Patres dicunt: *Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis oret.* In Concilio Ephesino lecta Cyrilli Alexandrini Homilia, quæ sic eloquitur de B. Virgine Maria: *Salve Sancta Deipara, eximium illud orbis decus & ornamentum.* Et quæ in laudem, cultum & invocationem Virginis attexit Epistola. In VI. Synodo generali, Constantinopolitana III. anno Christi 681. cap.7. *Solo Deo creatore adorato, invocet Christianus Sanctos, ut pro se intercedere apud majestatem divinam dignentur.* In VII. Synodo generali, quæ Nicæna II. fuit Act.6. in fine Patres profitentur: *Cum timore omnia agamus, postulantes intercessiones incontaminatæ Deiparæ, item Sanctorum Angelorum, omniumque Sanctorum.* An non hæc clara satis pro invocatione Sanctorum? Addamus Patres, præter eos qui suprà pro cultu SS. adducti sunt.

PATRES

PATRES GRAECI.

IRenaus lib.5. contra hæreses: *Sicut Eva illa seducta est, ut effugeret Deum, sic hac Maria suasa est obedire Deo, ut Virginis Eva Virgo Maria fieret advocata.*

Eusebius lib.13. Præparat. Evang. c.7. *Hac nos quotidie factitamus, qui vera pietatis milites, ut Dei amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaque ipsis facimus, tanquam viris Sanctis.*

S. Methodius ante Concilium Nicænum, Episcopus & Martyr, B. Virginem Mariam appellat: *Facem fidelium, vellus divini roris, propitiatorium, in quâ Deus humanâ carne indutus: Salve in aternum, ad te rursum recurrimus.*

Athanasius serm. de Annunt. B. Virginis: *Inclina aurem tuam Maria in preces nostras, & ne obliviscaris populi tui.* Et infrà: *Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima Virgo Maria, intercede Hera, & Domina, & Regina, & Mater Dei pro nobis.*

Basilius Oratione in 40. Martyres: *Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugiat; qui rursum latatur, hos oret; ille ut à malis liberetur, hic ut duret in rebus lætis.*

Gregorius Nazianz. Orat. in Cyprianum de Virgine ad stuprum sollicitata: *Virginem Mariam rogavit, ut periclitanti virgini opem ferret: vicit Virgo, vincitur dæmon.*

Gregorius Nyssenus Orat. in S.Theodorum: *Intercede ac deprecare pro patria apud communem Regem & Dominum: timemus afflictiones, exspectamus pericula, non longè absunt scelesti Scythæ, bellum adversum nos parturientes.* Pergit deinde Nyssenus: *Quod si majori etiam opus fuerit deprecatione, & advocatione, fratrum tuorum Martyrum coge chorum, & cum omnibus una deprecare, admone Petrum, excita Paulum, Joannem item Theologum ac discipulum dilectum.*

S. Ephrem de laudibus Martyrum: *Precamur beatissimi Martyres ut pro nobis miseris & peccatoribus, & de negligentiæ squalore sordentibus, Dominum interpellare dignemini.*

Cyrillus Catechesi 5. Mystagogica: *Cum hoc sacrificium offerimus, facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt: primum Pa-*

triarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum suscipiat preces nostras.

Chrysost. Hom.66. ad populum : *Nam & ipse qui indutus est purpuram, accedit illa complexurus sepulchra, & fastu deposito, stat Sanctis supplicaturus, ut pro se apud Deum intercedant, & scenarum fabrum,* Paulum videlicet, *& Piscatorem Petrum, ut protectores orat.* Orat.8. *Rogemus, ut dixi, sanctam gloriosam Virginem, & Dei Genitricem Mariam, rogemus sanctos & praeclaros Apostolos, rogemus sanctos Martyres.* Eadem habet Hom.5. & 8. in Matth. Hom.43. in Gen. Hom.1. in 1. ad Thess. Serm. in Juventium, & Maximum. Longum cæteros Græcorum Patres adscribere, quos inter *Dionysius Areopagita cap.7. Damascenus lib.4. de fide c 16. Theophyl. in c.11. ad Hebr. Theodoretus in hist. SS. Patrum. Theophanes ac Theoteristus apud Nicatam.* Suidas de Copronymo : *Vetuit ne quis mortalium Mariæ intercessionem imploraret.* At Nicætas intercessiones hasce Virginis vocat, *per quas mundus consistit.* Quid nunc censes Nisani ? qui non nisi *Vigilantium,* & *Copronymum* ex antiquis, habes auctores tuæ hujus doctrinæ ?

LATINI PATRES.

S. *Hilarius* in psalm.129. *Intercessione Angelorum non natura Dei indiget, sed infirmitas nostra: missi enim sunt propter eos, qui hæreditabunt salutem, infirmitate nostrâ ad rogandum, & promerendum, spiritualis intercessionis ministerio indigente.* Similia habet in psalm.124. de intercessione SS. Apostolorum & Prophetarum.

S. Ambrosius lib. de viduis : *Obsecrandi sunt Angeli, qui nobis ad præsidium sunt dati; Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quodam pignore patrocinium vendicare: isti enim sunt Dei Martyres, præsules nostri, speculatores vitæ, actuumque nostrorum : non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere.* Idem legas lib 10. in Lucam.

S. Cornelius Papa Epist. 1. de transl corporum Apostolorum : *Orantes,* inquit, *Deum & Dominum nostrum Jesum Christum, ut intercedentibus sanctis suis Apostolis, maculas peccatorum vestrorum purget.*

Cyprianus lib. de mortalitate ; *Magnus,* inquit, *in cælo nos carorum nume-*

numerus exspectat, de suâ salute securi, de nostrâ solliciti. Inde Epist. ad Cornelium: *Si quis hinc prior nostrum praecesserit, perseveret apud Deum, & non cesset oratio.* Inde ad Virgines: *Mementote tunc nostri, cùm incipiet in vobis virginitas honorari.*

Gaudentius in psalmum 85. *Dominus Jesus Christus adhuc interpellat pro nobis, omnes Martyres qui cum illo sunt interpellant pro nobis; non transeunt interpellationes, nisi cum transierit gemitus noster.*

S. Hieronymus contra Vigilantium, ut suprà relatum: *Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti, possunt orare pro caeteris, quanto magis post coronas & victorias?* Ad hoc testimonium totumque Hieronymi librum respondet Melanchthon in Apologia Augustanæ confessionis: *Citant Papistæ Hieronymum contra Vigilantium: nec vident isti asini, apud Hieronymum contra Vigilantium nullam extare syllabam de invocatione Sanctorum.* At *Melanchthon* ille *asinus* est, aut valde stupidus: nam etsi *Vigilantius* non dixerit Sanctos non esse invocandos, eo tamen ipso, quod docuit, eos non orare pro nobis, satis simul docuit non esse invocandos. Sicut idem ex hoc hæresis vestræ principio sequitur: Sancti in cælo non agnoscunt preces nostras, nec tam longas aures habent ut audiant, nec oculos ut videant.

Quæ scommata sunt, non principia. Cæterùm Hieronymus ex instituto non aliud tractat contra Vigilantium, quàm invocationem Sanctorum, quare & in Epist. ad Paulam de obitu Blæsillæ: *Pro te Dominum rogat, mihique veniam impetrat peccatorum.* Et in vitâ Hilarionis laudat Constantiam Virginem, quæ *solita erat pervigiles ad sepulchrum Hilarionis noctes ducere, & quasi cum præsente, ad adjuvandas orationes suas sermocinari.*

Augustinus tract. 1. super hæc verba S. Joannis: *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum: Sed dicet aliquis,* inquit Augustinus: *Ergo Sancti non petunt pro nobis, ergo Episcopi, vel Præpositi non petunt pro populo? sed attendite scripturas, & videte, quia & Præpositi commendant se populo: nam Apostolus dicit plebi, orantes simul & pro nobis; oramus pro vobis fratres. sed & vos orate pro nobis: invicem pro se omnia membra orent, caput pro omnibus interpellet.* Ubi Augustinus loquitur de orationibus in genere tam viventium, quàm Sanctorum in cælis, quos primo loco collocat. Idem serm. de Sanctis: *Tunc pro nobis absque ullâ*

dubitatione sancti Martyres intercedunt, quando in nobis aliquid de suis virtutibus recognoscunt. Serm. 17. de verb. Apost. *Injuria est pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari*, Lib. de cura pro mortuis, quærit Augustinus, cur Christiani magno provisu procurent sibi sepulchra ad memoriam Sanctorum? & respondet, id eo fieri: *Ut dum recolunt, ubi sint reposita eorum, quos diligunt, corpora, iisdem Sanctis illos tanquam patronis susceptos apud Dominum adjuvandos orando commendent*, Serm. de Sanctis 35. *Igitur fratres cum toto mentis affectu beatissimæ Virginis nos intercessionibus committamus, omnes ejus patrocinia omni nisu imploremus; ut dum nos supplices eam obsequio frequentamus, interim ipsa nos sedula prece commendare dignetur in cælis: neque enim dubium est, quæ meruit pro liberandis proferre precium, posse plus omnibus liberatis impendere suffragium.* Quis hoc Lutheranus credit, aut petit cum S. Augustino? Idem. Serm. 18. *O beata Maria, admitte nostras preces, intra sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis, sit per te excusabile quod per te ingerimus, fiat impetrabile quod fidâ mente poscimus, accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus; quia tu es spes unica peccatorum; per te speramus veniam peccatorum, & in te beatissima Virgo est exspectatio præmiorum.* Inde subjungit orationem, quam exinde tota frequentat Ecclesia: *Sancta Maria succurre miseris, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo sexu, sentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam commemorationem.*

Innumera hujusmodi D. Augustini sunt testimonia, quibus Sanctorum invocatio clarissimè exponitur ex praxi totius Ecclesiæ. Et quis, inquit Suarez, est scriptor SS. Patrum, qui dum de Sanctis scribit, non simul eis se commendet?

Post Augustinum ita Victor Uticensis lib. 3. de Persecut. Wandalica precatur: *Adeste Angeli Dei, deprecamini Patriarchæ, orate Sancti Prophetæ, estote Apostoli suffragatores, præcipue tu Petre beate, quare siles pro ovibus tuis? tu Sancte Paule gentium Magister, cognosce quid Wandali faciant Ariani; en filij tui gemunt captivi, universi ingemiscite simul pro nobis Apostoli.*

Vides nunc Nisani, quàm fallaciter Apologia vestra doceat, ante tempora Gregorij M. non fuisse in usu invocare Sanctos, & quàm impudenter tu scribas, sexto demum & septimo sæculo cœpisse invocationem

nem

nem Sanctorum. Concilia & Patres quos ſtiti, omnes ante S. Gregorium vixerunt, & ſcripſerunt. Hic ſi tuo judicio ſtandum ſit, omnes illi Patres, Græci & Latini, hagiolatriæ, & idololatriæ condemnandi ſunt. Imò verò, quare ex tanto numero Patrum tu nullum producis, niſi ut per impoſturam fallas populum, & lectorem tuorum librorum? tantùm obſcura quædam SS. Patrum teſtimonia adfers, in quibus Patres agunt de adoratione per latriam, quæ ſoli Deo debetur. Et quis Catholicorum id negat? Magdenburgenſes veſtri cum clariſſima hæc teſtimonia non ignorarent, ad aliam fraudem converſi, reſpondent: Patres erraſſe, & à maligno ſpiritu abductos miſcuiſſe hunc errorem ſcriptis ſuis. Sed illud haud minus impudens mendacium eſt: quando illi uno conſenſu id tradiderunt, quod in tota Eccleſia frequentabatur. Quare ut S. Auguſtinus dixit: *Inſolentiſſimæ eſt inſaniæ, diſputare an faciendum ſit, quod univerſa ſervat Eccleſia.* Secundum hanc regulam pronuntiat Concilium Tridentinum de *cultu & invocatione Sanctorum* ſeſſ. 25. *Mandat Sancta Synodus Epiſcopis, & cæteris docendi munus curamque ſuſtinentibus, ut juxta Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ uſum, à primævis Chriſtianæ religionis temporibus receptum, ſanctorumque Patrum conſenſionem, & ſacrorum Conciliorum decreta, imprimis de ſanctorum interceſſione, invocatione, Reliquiarum honore, & legitimo imaginum uſu fideles diligenter inſtruant: docentes eos, Sanctos unà cum Chriſto regnantes orationes ſuas pro hominibus Deo offerre. bonum atque utile eſſe ſuppliciter eos invocare.* Et quæ in hanc rem pluribus docet Concilium.

CAPVT X.

Carolus Magnus cultu religioſo, et invocatione Sanctos coluit.

CArolum Magnum ut nobis perſuadeat adverſarius, damnaſſe cultum, & invocationem Sanctorum, adducit duo teſtimonia ex libris de imaginibus, quorum primum ex lib. 2. ſic habet:

Angeli sive homines minimè adorandi sunt, salvâ adoratione, quæ caritatis & salutationis officio exhibetur. Alterum est ex lib. 4. c. 23. his verbis: *Adoratur Deus, sed non osculatur: Venerantur Sancti, qui è sæculo cum triumphis meritorum migraverunt, sed nec adorari debent cultu divino, nec osculari.* At nihil ex his testimonijs conficis, seu quòd pseudo-Carolini libri sint, & hæreticorum, ut suprà commonstratum est, à quibus hæreses vestras emendicare necessum habetis, relictis tot Conciliorum, & Patrum sententijs: seu quòd de cultu latriæ agant hæc citata loca, quem Sanctis abnegant, uti & Catholici faciunt. Sanè si Carolini libri essent, Carolus verbis & factis sibi contradiceret, ut nunc ostendam: nisi nos omnes historiarum scriptores, fasti Episcoporum, & monumenta antiquitatis fallant. Unum hîc interim prius quæro à te. Librorum horum auctor, citato à te testimonio dicit: *Sanctos venerandos esse, eosque qui è sæculo cum meritorum triumphis emigrarunt.* Agnoscisne hîc merita Sanctorum, & bonorum operum? id si facis, Lutheranus non es. Asinus aliquando, ut in apologo est, leonis exuvias induit, cæteris animalibus terrori futurus, sed longas illas aures tegere non potuit: ita tibi hîc evenit. Sed his omissis

Dicimus, Carolum Magnum omni cultu religioso, & invocatione, Sanctos per omnem vitam veneratum, & prosecutum esse, votis nimirum, oblationibus ad altare, bonorum donationibus, peregrinationibus, templis & altaribus erectis, festis diebus institutis, sacrificiorum commemoratione, ac demum invocatione. Inter Sanctos verò post Christum, coluit Carolus Magnus in primis *B. Virginem MARIAM, JESU CHRISTI Matrem*, inter Apostolos B. Petrum & Paulum, deinde Martyres, reliquosque Sanctos. Singula nunc probemus.

I. Coluit Sanctos votis, oblationibus, & peregrinationibus. Ita enim Eginardus: *Colebat præ cæteris sacris & venerabilibus locis, apud Romam Ecclesiam beati Petri Apostoli, in cujus donaria magna vis pecuniæ, tam auri quàm argenti nec non & gemmarum ab illo congesta est.* Rursum Eginardus: *Ecclesia Sancti Petri non solùm per illum tuta, ac defensa, sed etiam suis opibus præ omnibus Ecclesijs ornata & ditata est à Carolo.* Rursus: *Quam cum tanti penderet, quater Romam votorum solvendorum, ac supplicandi causâ profectus est.* Habes hîc ex fidelissimo Scriptore vota S. Petro facta, oblationes, devotionesque sacras, & peregrinationem ad limina

mina Apostolorum, qui actus sunt cultus religiosi. De hac quaternâ peregrinatione, votisque à Carolo persolutis, consentiunt Annales Francorum, ac cæteri Scriptores: uti hæc lib. 1. c. 2. à nobis ad suos annos relata sunt, & multis ab Anastasio in vita Hadriani, & Leonis Pontificum referuntur. De his votis ad limina Apostolorum, ita Hadrianus quoque Epistola 5. ad Carolum Magnum: intellexisse enim se ait, *quod Domino protegente, remeantes vos à Saxonia, mox & de præsenti Italia, vel ad limina protectoris vestri B. Apostolorum principis, ad implenda quæ polliciti estis, properare desideretis.* Haud dubium, quin de Saxonia, & Episcopatibus Saxoniæ offerendis hæc scribat Pontifex. Quibus accedit Luitprandus in Hadriano, (non ille Ticinensis, sed ex eâdem ætate vetus, & Germanus scriptor,) ejus testimonio habemus oblatam non modo Romæ, ex concepto voto, ad altare D. Petri Ecclesiam Osnabrugensem, sed & totam Saxoniam, quòd post Deum patrocinio D. Petri Saxones debellandos susceperat. Inde primi nobiles illi Episcopatus per Saxoniam fundati à Carolo, dotatique regali munificentiâ, quos hæresis primùm vestra profanavit, Carolumque voti irritum fecit. Ut verè dixerit Hieronymus lib. 7 in Isaiam: *Neminem esse tam impium, quem hæreticus impietate non vincat.*

II. Carolus Magnus Sanctos honoravit, coluitque templis, & altaribus in eorum honorem exstructis dedicatisque, tum etiam Sacrificii Missæ commemoratione: id cumprimis manifestum est ex magnificâ Basilicâ, quam Aquisgrani in honorem Beatissimæ Virginis exstruxit, uti hæc hodiedum spectatur, opus regium admirandumque. Ita enim Eginardus in vita Caroli: *Inter opera præcipua ferè non immeritò videri possunt basilica, sanctæ Dei Genitrici Aquisgrani opere mirabili constructa.* 2. Hunc in modum Carolus, omnes Basilicas per Saxoniam quas cum primis Episcopis introductis, & cum Episcopatibus fundatis construxit, in honorem simul Sanctorum consecrari voluit, ut sub eorum simul patrocinio Ecclesiam commendaret. Primam enim, quam condidit, Basilicam Osnabrugi, S. Petro & Crispino & Crispiniano Martyribus consecrari voluit. Ita enim ipse Carolus in diplomate Osnabrugensi, quod ex autographo Caroli Magni subscripto integrè dedit *Ferdinandus* Princeps & Episcopus noster: *Notum sit omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus nostrisque, præsentibus scilicet & futuris: qualiter nos ob nostra mercedis augmen-*

augmentum, *Wihoni Osnabrugensi Episcopo suæque Ecclesiæ, quam nos primam omnium in Saxonia in honore Sancti Petri principis Apostolorum, & Sanctorum Martyrum Crispini & Crispiniani construximus.* Idem repetit ijsdem propè verbis in altero diplomate. Utrumque leges in Monumentis Paderbornensibus: ex quo simul disces bonorum operum merita, quando *mercedis augmentum* legis. Quam deinde Bremæ construxit Ecclesiam primam, eam Christo & S. Petro consecravit, quod rursum ex diplomate Carolino constat, in quo Carolus: *Septentrionalem illius partem pro Christo & Apostolorum suorum Principi Petro, pro gratiarum actione devotè obtulimus, & in loco Bremon vocato super flumen* Wirraham, *Ecclesiam & Episcopalem statuimus Cathedram.* Quam præterea Verdæ construxit Ecclesiam B. Virgini consecravit. Ita enim diploma ejus Ecclesiæ: *Quandam Aquilonarem illius partem Domino nostro Jesu Christo, & Sanctissimæ ejus Genitrici devotissimè obtulimus, & in loco Fardùin vocato super Aleram fluvium, in pago qui dicitur Sturmi, Ecclesiam & Cathedram Episcopalem statuimus.* Paderbornæ quam primo erexit Ecclesiam, eam B. Virgini & *S. Kiliano* Martyri dedicavit, Monasterij *D. Paulo*, Mindæ *B. Virgini*, Halberstadij (quæ primò in Osterwick constitit) *D. Stephano* Martyri, Hildesij *B. Virgini*: aut certè id à Ludovico filio factum est, postquam Carolus eam Ecclesiam in Eltzen ad Lenam fluvium cœperat: Montem Martis & Ecclesiam istic cœptam *D. Petro* consecravit, quod Leonis Pontificis diploma testatur. Inde in hodiernum diem octo hæ Ecclesiæ uti à Carolo Magno conditæ sunt, hosce eosdem Sanctos, suos patronos retinent ac colunt: uti id ex fastis singulorum confirmatur. Nihil jam attinet de altaribus memorare: Nulla enim harum Ecclesiarum, quæ non complura altaria in honorem diversorum Sanctorum consecrata à Carolo Magno referat: quemadmodum Crypta Paderbornæ à Leone Pontifice, præsente Carolo, unà cum altari D. Stephano dicata est. Longum referre templa, sacella, & altaria, quæ vel Ultrajecti in honorem S. Thomæ ante Carolum Magnum à Francorum Regibus, vel alibi per Saxoniam, & Germaniam post à Leone Pontifice, & præsente Carolo Divis simul consecrata sunt. Quot exinde templa sub Ludovico Pio, & alijs Francorum Imperatoribus, ac Regibus, diversis Sanctis consecrata? ne quid memorem de Ecclesijs Episcopatuum, & Cœnobiorum, per totam Franciam ante Carolum Magnum à Franco-

Francorum Regibus Sanctis consecratis, ex quo D. Dionysius, Maternus, Eucharius, Martialis, & post illos D. Martinus, Remigius, alijque Martyrum, & sanctorum Episcoporum, vel ab ipso Apostolorum ævo, vel ab exordio Christianæ religionis per Franciam publicè coli cœperunt: ne hujus cultus initia (ut fallacissimè facis) ad sextum, vel septimum sæculum nobis referas. Quo in genere, aut te mentiri, aut omnes Franciæ annales, & historicos, monumentaque nos fallere necesse est.

III. Neque hic cultus (ut tu somnias) civilis fuit, sed religiosus, per *duliam* exhibitus: nec enim Regibus, & Principibus consecrantur à Christianis templa & altaria, sed Deo, ut *Auctori*, & supremo *Largitori* bonorum: Divis verò, ut *patronis* & *intercessoribus* apud Deum. Par hìc ratio est de sacrificijs: legis enim in Capitularibus Caroli Magni lib. 2. cap. 18. *Missam S. Martini*, lib. eodem cap. 20. *Missam S. Andreæ*, lib. Capitularium 3. c. 23. & lib. 5. *Missam S. Joannis.* De his præclarè S. Augustinus lib. 20. contra Faustum Manichæum cap. 21. *Populus Christianus memorias Martyrum religiosâ*, non civili, *solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consecretur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen, ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamvis in memorias Martyrum constituamus altaria. Quis enim Antistitum in locis Sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? sed quod offertur, Deo offertur, qui Martyres coronavit, apud memorias eorum, quos coronavit.* Et mox: *Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur Sancti Dei homines,* nempe propter excellentiam gratiæ & sanctitatis, qui cultus denuò civilis non est, sed religiosus duliæ. Inde rursum subdit Augustinus: *At illo cultu qui Græcè latria dicitur, Latinè uno verbo dici non potest, cùm sit quædam propriè divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum dicimus, nisi unum Deum. Cùm autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificij, unde idololatria dicitur, eorum etiam qui hæc idolis exhibent: nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam Martyri, vel cuiquam Sanctæ animæ, vel cuiquam Angelo.* Quid planiùs ad vestras hæreses, vel ad vestras cavillationes, vel somnia dici poterat? dum enim dicit Martyres, & Sanctos coli *religioso* cultu, & non latriâ, consequens est cultu à civili distincto coli: cùm *civilis* cultus à religioso formaliter distinctus sit. Eadem repetit exponitque

que planiùs S. Augustinus lib.8. de Civit. Dei c.27. *Quoniam*, inquit, *nec nos eisdem Martyribus templa, Sacerdotia, sacra, & sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum, nobis est Deus.* Explicat deinde, ut suprà, quo fine, ritu, cultuque hæc Martyribus, & Sanctis exhibeantur. Eadem tractat lib.22. de Civit. Dei c.10. Ut cæcus sit, qui hæc non videat. Sed tanta vestra est vel malitia, vel insania, ut aut videre non libeat, aut non liceat.

IV. Carolus Magnus Sanctos coluit festis diebus ab Ecclesia institutis. Capitularium lib. 2. c. 35. sic præscribitur: *Festos dies in anno celebrare sanximus: hoc est, Diem Dominicum Pascha: simili modo totam hebdomadam illam observare decrevimus. Diem Ascensionis pleniter celebrare, in Pentecoste similiter ut in Pascha: in Natali Apostolorum Petri & Pauli diem unum, Nativitatem S. Joannis Baptistæ, Assumptionem S. Mariæ, Dedicationem S. Michaëlis, Natalem S. Remigij, S. Martini, S. Andreæ, in Natali Domini dies IIII. Octavam Domini, Epiphaniam Domini, Purificationem S. Mariæ, & illas festivitates Martyrum, vel Confessorum observare decrevimus, quorum in unaquaque Parochia Sancta corpora requiescunt.* Eadem leges lib.1. Capitularium cap.164. & lib.6. c.186. *Diem Dominicum cum reverentia colite.* Et præter hunc præscribuntur festi dies, ut suprà diximus, etiam Assumptio B.Mariæ. Similiter in Additione I. Ludovici Pij ad lib.7. Capitularium tit.46. sanciuntur ijdem dies festi, unà cum Assumptione B.Mariæ, & festis Apostolorum, & S. Laurentij. Hos quoque festos dies præscribit Concilium Moguntinum can.36. additque *templi Dedicationem*, quæ sub patrocinio Sancti plerumque instituitur. Quare, ut ex his quoque festis Sanctorum diebus, cultus religiosus Sanctorum conficiatur, nemo non intelligit: nam etsi Natalitia Regum & Principum celebrentur, dum vivunt: cui tamen unquam is cultus sacer delatus, ut per eos patrocinia apud Deum quærantur? quibus ipsi non minùs, quàm cæteri mortales indigent. Alius hic ritus, alius fructus, alius finis. Quemadmodum Augustinus in psalm.88. con.2. *Natalitia Sanctorum cum sobrietate celebrate, ut imitemur eos, qui nos præcesserunt, & gaudeant de vobis, qui orant pro vobis.*

V. Carolus Magnus ipso cultu religioso invocavit Sanctos orando, precandoque eorum intercessionem apud Deum: quod cùm ex ijs quæ diximus clarum sit, tum ipse Carolus palàm profitetur Capitularium

rium lib. 7. cap. 188, quo dum sancit, ne bona Ecclesiæ auferantur vel permittantur laicis, *Satiùs*, inquit, *est nobis, regnum non habere terrenum, quàm æternum perdere: plus verò me credo Deum posse per Sanctorum suorum merita adjuvare, quàm per omnem militiam sæcularem.* Quid ex tanta fiducia Carolus non precatus per Sanctos? sed hic invocandi modus multo testatior ex Litanijs Sanctorum, in quibus post Christum invocantur Angeli, B. Virgo, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, omnesque Sancti, tanquam in Choros suos compositi: de quibus ita Carolus Capitularium lib. 5. cap. 85. *Placuit ut Litania major observanda sit à cunctis Christianis diebus tribus.* Lib. 6. cap. 74. *Litania major more Romano ab omnibus VII. Calendas Maij celebretur.* Eadem habes in Concilio Moguntino can. 33. additurque: *sicut legendo reperimus, & sicut sancti Patres nostri instituerunt.* Quam in rem citat Bellarminus Concilium Toletanum V. & VI. Gerundense, Braccarense II. Aurelianense, quibus adde Cloveshovense in Anglia, quod ad Gregorium Magnum, & Augustinum Angliæ Apostolum Litanias refert. Quin ipse Carolus Magnus obtentâ adversus Ungaros victoriâ, ad Fastradam Reginam scribit, se tribus diebus Litanias fecisse, Tom. 18. Concil. Regiorum. Ita Hadrianus Epistolâ 8. ad Carolum Magnum scribit, gratulaturque de Saxonibus subactis, atque ad Christi cultum & Baptismum perductis, triduanasque Litanias, ut Carolus Magnus optabat, eo nomine se indixisse significat. Nihil certiùs sub Gregorij Magni tempora, quàm hic orandi modus, ex quo Catholici religiosum cultum ostendunt diversum à latriæ cultu. Nam quando attribuitur Sanctis, quod Deo attribui non potest, non intervenit *idololatria*, ut hæretici calumniantur: id verò hîc agitur; ergo nulla hic *idololatria* intervenit. Nam ad Sanctos dirigitur invocatio, ut orent pro nobis, id verò Deo non attribuitur. Hinc mutato orandi modo dicimus: *Pater de cælis Deus, miserere nobis: Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis. Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis. Spiritus sancte Deus, miserere nobis. Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.* Mox ad B. Virginem, & cæteros Sanctos dicimus: *Ora pro nobis.* Quo constat, non aliter quam intercessores apud Deum invocari. Nam etsi Christus *advocatus sit pro nobis apud Patrem*, 1. Joan. 2. qui *pro nobis interpellet*, is tamen ut Mediator *advocatus est* per *substantiam.* De quo pluribus Theologi, & interpretes.

Objicit Nisanius: Litaniæ, quibus modò Sanctos invocant Catholici, prorsus non conveniunt cum antiquis Litanijs, nec eam *consonantiam* Pontifices probare possunt. Sed quomodo tu probas dissonantiam? Audio te hæc dicere, sed nihil adferre in medium quo id ostendas. Solet nobis passim objici Litania, quam *Goldastus Calvinista* Tom. 2. Antiquit. Alemannicarum primùm produxit, sive confinxit: sed quo sensu hujusmodi precationum formulæ, sicubi inveniantur, intelligendæ sint, eruditè docuit Bellarminus *lib. 1. cap. 17. de Sanctis.* Circumfertur etiam à vobis alia Litania, quam *Chemnitius* 3. parte examinis Concil. Trident. in cœnobio Corbejæ novæ ad Visurgim in vetusto codice à se inventam scribit, ex eoque *Meibomius* in notis ad Chronicon Corbejense repetit, monetque *de hac eàdem Litania Joannis Letzneri Chronicon de Vita Ludovici Pij Imp. ab exemplari Chemnitij nonnihil variare.* Immò Letznerus *eandem Litaniam* alibi à *Bavone primo*, alibi à *secundo* hujus nominis Abbate Corbejensi compositam, in Chronico Corbejensi cap. XII. & Vita Ludovici Pij cap. XXIII. aliter, atque aliter exhibet. Verùm *mentita est iniquitas sibi.* Nam retulit mihi Adolphus Overham Ordinis D. Benedicti Sacerdos, Corbejensium antiquitatum non indiligens investigator, nuspiam *Corbejæ* reperiri illam sive Letzneri, sive Chemnitij *supposititiam Litaniam:* aliam verò communicavit mecum, in antiquis membranis Corbejensibus à se repertam, longè vetustiorem: quam ad fraudem interpolatorum retegendam, Sanctorumque *invocationem* adstruendam, hîc integrè, sicut in hanc diem Corbejæ extat, descripsimus.

Exaudi Deus,	℟.	*Voces nostras.*
Exaudi Christe,		*Miserere nobis.*
Exaudi Deus,		*Voces nostras.*
Sancte Sanctorum Deus,		*Miserere nobis.*
Sancta Dei genitrix,		*Intercede pro nobis.*
Sancte Michahel,		*Intercede pro nobis.*
Sancte Gabrihel,		*Intercede pro nobis.*
Sancte Raphahel,		*Intercede pro nobis.*
Sancte Petre,		*Intercede pro nobis.*

Sancte

Sancte Paule,	*Intercede pro nobis.*
Sancte Andrea,	*Intercede pro nobis.*
Sancte Iohannes,	*Intercede pro nobis.*
Sancte Iacobe,	*Intercede pro nobis.*
Sancte Taddæe,	*Intercede pro nobis.*
Sancte Laurenti,	*Intercede pro nobis.*
Sancte Gervasi,	*Intercede pro nobis.*
Sancte Protasi,	*Intercede pro nobis.*
Sancte Nazari,	*Intercede pro nobis.*
Sancte Celse,	*Intercede pro nobis.*
Sancte Cosma,	*Intercede pro nobis.*
Sancte Damiane,	*Intercede pro nobis.*
Sancte Domnine,	*Intercede pro nobis.*
Sancte Pancrati,	*Intercede pro nobis.*
Sancte Valentine,	*Intercede pro nobis.*
Sancte Martine,	*Intercede pro nobis.*
Sancte Augustine,	*Intercede pro nobis.*
Sancte Columbane,	*Intercede pro nobis.*
Sancte Audoine,	*Intercede pro nobis.*
Sancte Aper,	*Intercede pro nobis.*
Sancte Severine,	*Intercede pro nobis.*
Sancte Chuniberte,	*Intercede pro nobis.*
Sancta Columba,	*Intercede pro nobis.*
Sancta Cæcilia,	*Intercede pro nobis.*
Sancta Anastasia,	*Intercede pro nobis.*
Sancta Petronilla,	*Intercede pro nobis.*
Sancta Afra,	*Intercede pro nobis.*
Sancta Paula,	*Intercede pro nobis.*
Omnes Sancti,	*Intercedite pro nobis.*
Exaudi Deus:	*Gregorio Papæ vita.*

Exaudi Christe: Hludouuico Imperatori vita.
Exaudi Deus: Proli Regali vita.
Exaudi Christe: Exercitui Francorum vita.
Exaudi Deus: Peccata nobis indulge.
Exaudi Christe: Orationem populi tui.
Kyrie eleison.
Christe eleison
Kyrie eleison.

COLLECTA.

FAc nos, quæsumus Domine, sanctæ Mariæ semper Virginis subsidijs attolli, & gloriosâ beatorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum, atque Virginum, omniumque simul Sanctorum protectione defendi: ut dum eorum pariter cotidie patrocinia imploramus, eorum pariter cotidie ab omnibus adversis protegamur auxilio. Per Dominum nostrum JESUM Christum filium tuum, qui tecum vivit & regnat, &c.

Qua nunc fronte audebunt *Hagiomastiges* deinceps Orbi Christiano illudere, & pro Catholicis Litanijs supponere adulteratas alias, & dolo malo interpolatas *Litanias*, sub Arnulpho demum Rege, circa an. DCCCXCIII. compositas? Cum hæ nostræ *Ludovicum* Pium Caroli Magni filium memorent, anno DCCCXL. defunctum: Audebuntne posthac solita fraude persuadere populo, *ex commemoratione*, & simplici *nominatione Sanctorum*, post Arnulphi Imp. ætatem *deventum tandem fuisse ad* eorum *invocationem?* & hoc commentum ex *Litania Corbejensi* adstruere? Ecce nos hic Litanias dedimus ex avthentico, & vetustissimo Corbejensi exemplari, quod tibi *Nisani*, omnibusque, quibus fides fortassis nostra suspecta erit, quandocumque libuerit, inspiciendum exhibebunt Religiosi Corbejenses. Disce igitur, & doce ex hac Litania veram & antiquam *Sanctorum invocationem* post ejuratum à Saxonibus *paganismum* frequentatam, *& non temnere Divos.*

Ut

Ut fallaciam malè memorum mendacium clarius deprehendat Lector, ecce ubi *Chemnitius*, & cum eo Meibomius legit in ficta sua Litania: *Sancta Dei Trinitas, exaudi Christe*, Letznerus legit: *Sancta Dei Trinitas, Christe ora pro nobis.* Et sic in cæteris.

Quis obsecro ante *Letznerum*, aut *Chemnitium* antiquus vel Orthodoxus scriptor consimili formâ Litaniam contexuit? In his verborum offucijs hæretis, & plebis ora suspenditis; rem verò de qua agitur non attingitis, nec quicquam solidè profertis, quemadmodum à te producuntur pseudo-Carolini libri: de his verò quibus invocatio Sanctorum SS. PP. & Caroli Magni testimonijs asseritur, altum apud vos silentium. Sed vos, ut à Sanctis Patribus, à Concilijs, & tota Ecclesia, ita & à Carolo Magno in cultu Sanctorum deflexistis ad hæreses veteres. Quanto consultiùs pro omnibus tuis dicterijs & calumnijs in Sanctos, orares cum S. Augustino lib. Meditationum cap. 40. ubi post orationem ad Deum ita precatur: *Exaudi me Trinitas sancta, & conserva me ab omni malo, & ab omnibus insidijs & infestationibus dæmonum, per orationes Patriarcharum, per merita Prophetarum, per suffragia Apostolorum, per constantiam Martyrum, per fidem Confessorum, per castitatem Virginum, & per intercessionem omnium Sanctorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi.* Deinde ad ipsos Sanctos hanc orationem subjungit: *Sancta & immaculata Virgo, Dei genitrix Maria, Mater Domini nostri Jesu Christi, intervenire pro me digneris apud illum, cujus meruisti effici templum. Sancte Michaël, Sancte Gabriël, Sancte Raphaël, Sancti Chori Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, atque Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, Sacerdotum, Levitarum, Monachorum, Virginum, omniumque justorum, per illum qui vos elegit, & de cujus contemplatione gaudetis, vos rogare præsumo, ut pro me culpabili ipsi Deo supplicare dignemini.* Quid ad hæc Nisani? Te judice, si hæc legas, quantus non *idololatra* erit *S. Augustinus?*

Cæteræ hæreticorum objectiones à Nisanio allatæ, adversus cultum SS.

PRimò objiciunt: Invocatio Sanctorum injuriam facit Christo, nam 1. ad Timoth. 2. *Unus est mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.*

Jesus. Ergo non licet adhibere alios sine injuria *Mediatoris Christi.* Respondetur: hinc etiam sequi, viventes non esse invocandos, ut orent pro nobis, quod tamen Lutherani concedunt, nam eadem ex his injuria proveniet. Igitur aliter Christus *Mediator* est, aliter Sancti, & vivi: Christus est *Mediator immediatus*, & per substantiam, mediatione personæ redemptionis, & supremæ interpellationis ad Deum pro nobis, in quâ nullo alio mediatore indiget, neque supplicis in modum petit, sed tanquam auctoritatem habens, meritis suis exhibitis postulat; Sancti verò suppliciter orando, & intercedendo apud Deum, *mediatores subalterni* sunt per Christum. Ita Moyses Deut. 5. *Ego sequester & medius fui inter Dominum & vos.* 1. ad Gal. c. 3. *Lex per Angelos in manus mediatoris*, id est Moysi, *ordinata* dicitur. Objectionem hanc novatorum jam dudum clarissimè dissolvit Cyrillus lib. 12. Thesauri c. 10: *Mediator Dei & hominum Jesus Christus est, non solùm, quia reconciliavit homines Deo; verùm etiam quia naturaliter, & substantialiter & Deus, & homo in unâ hypostasi est: hoc enim modo naturam nostram sibi Deus reconciliavit. Nam aliter, quomodo unum Mediatorem Christum Paulus dixisset? multi enim Sanctorum mediationis ministerio usi sunt, & ipse Paulus clamat: Rogamus pro Christo reconciliationem Dei. Moyses quoque Mediator fuit. Mediator etiam fuit Jeremias, præcipuè quando clamabat ad Deum: Recordare mei stantis coram te. Quid multa? singuli Prophetarum mediatores fuerunt, Apostolorum quoque singuli.*

Opponit hîc Nisanius Augustinum lib. 2. contra Parmen. cap. 8. *Homines*, inquit, *omnes Christiani invicem se commendant orationibus suis: pro quo autem nullus interpellat, sed pro omnibus, hic unus verusque Mediator est.* Rursum illud ex eodem capite 8. de S. Paulo loquens: *Nec mediatorem se facit Paulus inter populum & Deum, sed rogat, ut pro invicem orent omnia membra.* Respondit jam dudum Bellarminus, neque Christianum ullum, neque Sanctum, neque Apostolum, eo modo posse esse *mediatorem*, quo Christus est *Mediator*, qui pro omnibus interpellat, & ipse nullo indiget, qui pro se interpellet, aut per quem interpellet, aliàs & Angeli mediatores essent, qui pro omnibus orant & nemo pro illis; sed ideo non sunt *mediatores* ut Christus, quia ipsi egent Christo, per quem impetrent. Nec aliud hic dicit Augustinus. Et quoties hæc vobis Prædicantibus recoquenda sunt? Imò quare tot clara Augustini testimonia.

ſtimonia, quæ præter allata à me, innumera ſunt, hîc tranſilis, niſi ut te ac tuos fallas?

II. Objicis: Sancti in cælo non cognoſcunt preces noſtras, ergo fruſtra invocantur. Sed ex quo loco Scripturæ hoc aſſumptum probas? Hîc cerebrum Prædicantis loco Scripturæ eſt. At dicis: Deus eſt ſcrutator cordium. 3. Reg. 8. *Tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum.* Quid hinc infers? Ergo Deus non revelat cordium ſecreta beatis ſuis amicis, qui tot arcana cordium revelavit Prophetis, etiam dum in terris & in via eſſent? 1. Reg. 9. id de Samuele conſtat, 4. Regum cap. 5. de Eliſæo, 5. Act. de Petro. Quòd verò cognoſcant Sancti in cælo ea, quæ ad ſtatum ſuum pertinent, Catholicis extra controverſiam eſt. Ad quod ſatis eſt illud: *Sancti rectè invocantur, ergo cognoſcunt preces noſtras.* Antecedens liquet ex conſenſu Eccleſiæ, & SS. Patrum teſtimonijs ſuprà relatis: tantùm de modo quæſtio relinqui poteſt, de quo jam antea quoque dictum eſt. Et quid hæc ſcrutamur? cùm S. Gregorius lib. 2. Dialog. c. 35. dicat de cæleſti vita: *Qui illic communi caritate Deum conſpiciunt, quid eſt quod ibi neſciunt, ubi ſcientem omnia ſciunt?* At pergis, dicíſque: *Si Sancti cognoſcant preces noſtras, oportet omniſcios eſſe.* Quomodo hoc ſequitur, Sancti cognoſcunt omnia quæ ad ſtatum ſuum ſpectant, ergo debent eſſe omniſcij? Quis ſanæ mentis homo *omniſcientiam* quæ attributum eſt Dei, attribuit creaturæ? Imò ſi omniſcij, etiam Deum comprehendent. abſurdiſſimum hoc. Sciſne quid Theologi de comprehenſione Dei doceant? Imo inquit tuus *Joannes Gerhardi, Magiſter tuus*, ex quo hæc exſcribis: *Sancti etiam debent eſſe omnipræſentes.* Quare id? quia dicitis; Sancti non habent tam longas aures, ut clamantes ad ſe de terra audiant; nec oculos, ut è cælo in terram viſu penetrent. Quomodo ergo S. Stephanus in terris adhuc conſtitutus vidit in cælo Jeſum ſtantem à dexteris Dei? nam ait: *Ecce video cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei.* Act. 7. Nunquid idem hîc ſpatium utrimque manet? quemadmodum eadem via eſt, quæ Athenis Thebas, & Thebis Athenas ducit? At mox in aliam fabulæ ſcenam converſi, dicitis Sanctos in genere orare pro Eccleſia, ideoque in genere tantùm cognoſcere ſtatum Eccleſiæ. Hic rurſum impingitis in Scripturam, qui ad Scripturam provocatis. Nunquid Luc. 15. *Gaudium eſt in cælo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente?* Ubi gaudium de uno particulari homine eſt, ibi & co-

gnitio præcedat necesse est. Ne hîc repetam, quæ suprà dixi, aut quæ Theologi in hanc rem exponunt. Præstaret te cunas tuas versare, quàm in cælum ascendere, agitare cæli machinas, & ex concilio Divorum nobis velle referre, docereque quid de Sanctorum scientia, visione, patrocinio, & statu sentiendum sit. Veram priùs in terris Ecclesiam quære, quæ à Spiritu S. regitur, ne possit errare in cultu religionis suæ.

III. Objicis: Concilium Tridentinum non audet ex Scriptura nobis definire cultum, & invocationem Sanctorum. Quid inde? Sufficiebat ex *verbo Tradito*, Concilijs, & Patrum consensu id decernere. Quàm multa nobiscum creditis, quæ nullibi in Scriptura expressè reperias. Unde Canon sacrorum librorum, processio Spiritus sancti à Patre & Filio, Virginitas perpetua B. Mariæ, Baptismus infantum? Unde dies Dominica loco Sabbati præscripta? Festus dies Paschæ, Natalis Domini, Ascensionis, Pentecostes, Epiphaniæ, alijque quos cum Catholicis servatis? Mysteria hæc quidem *Scriptura* tradit, sed nihil de festis diebus servandis præscripsit. Unde ergo, nisi ex *verbo Tradito*, & Ecclesiæ ordinatione? Quanquam uti ex Scriptura hæc afferantur, suprà relatum sit.

IV. Objiciunt: Nullum mandatum exstat in Scriptura de invocandis Sanctis, ergo, inquiunt, Sancti invocandi non sunt. Quasi verò nullum opus fieri posset, nisi quod mandatum sit in Scriptura. Imò hoc argumentum si quid probat, concludit etiam, Sanctos in genere etiam non orare pro Ecclesia, quod tamen Apologia Augustanæ confessionis asserit. *Etsi*, ut addit, *nullum extet præceptum in Scriptura, præter illud somnium ex libro Machabæorum posteriori.* Sed quid, inquit Bellarminus, mandatum requirimus? quando ipsa necessitas impellit, eaque tam publica, quàm privata docuit implorare Sanctorum opem? Accessit deinde utilitas, tanto bono tantisque miraculis comperta, cumprimis ad sepulchra Martyrum; mandatum præterea, exemplum, & promissionem habemus Iob. ult. *Ite,* inquit Deus, *ad servum meum Iob, & orabit pro vobis; & ego suscipiam faciem ejus.*

Sed hîc obgannit Nifanius: Catholici, inquit, non pauci liberam faciunt invocationem Sanctorum, quam tamen Concilium Tridentinum mandat, multisque cavillatur Tridentinum. ℞. in Sanctorum cultu & invocatione duo sunt. I. *Veritas* rei, & doctrina, II. *Praxis* verita-

tis

tis & doctrinæ: poteſt veritas & bonitas rei definiri, & non præcipi omnibus praxis ejus. Veritas in eo conſiſtit, ut quis credat, *invocare Sanctos eſſe cultum religionis pium, utilem, Deo gratum:* & hoc eſt, quod Concilium Tridentinum inter cætera definit Seſſ. 25. hoc eſt quod mandat docere Epiſcopos & Paſtores; Secus qui credit, hæreticus eſt: qualis tu es, qui hanc doctrinam non modò contemnis, ſed & oppugnas ac damnas. Hæc *veritas* conſiſtit, etſi continuò non omnibus *exercitium, uſuſque* hujus doctrinæ præſcribatur. Ita ſacrificium & oratio pro defunctis definitur, quod pia & ſalutaris ſit, non proinde coguntur Catholici univerſali lege pro defunctis orare: libertati, & pietati hominum id relinquit Eccleſia. Status virginitatis & viduitatis, multaque alia Scripturæ teſtimonio ſunt ſancta, pia, & utilia ad ſalutem, non tamen ideo præcipiuntur. Imò verò, quid opus erat definire praxin invocationis Sanctorum, quæ jam ab ævo Apoſtolorum in uſu erat? tantùm hæc invocatio Sanctorum à veſtra hæreſi liberanda erat. Igitur ut receptum erat in Eccleſia, ita lege Eccleſiæ tenentur Chriſtiani certos dies feſtos Sanctorum ab antiqua Eccleſia, vel ab Epiſcopis præſcriptos ſervare, Sacerdotes Sacrificium Miſſæ offerre, horarum diurnarum preces de Sanctis recitare, & quod inde conſequitur, Sanctos colere & invocare. Et quia hunc antiquum cultum Sanctorum, (quem à Carolo Magno etiam præſcriptum oſtendi) veſtra primùm hæreſis damnavit in Germania, hinc Concilium Tridentinum veritatem ejus definivit. Nullum libri tui caput, nullum propè folium, in quo Concilium Tridentinum non carpas, corrigas, calumnieris, & damnes: quaſi Epiſcopi omnes, doctiſſimique ex orbe viri (qui Tridentum convenere) textores & opifices fuiſſent, à Bilfeldienſi tandem pſeudo-Epiſcopo docendi & in ordinem redigendi.

V. Objicit Niſanius ex Apoſtolo ad Rom. 10. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* At in Sanctos, quos Catholici colunt, credi non poteſt: tum quia multi inter eos ſunt incerti, de quibus ne conſtat quidem an fuerint in rerum natura, quales ſunt tres Reges, S. Georgius, S. Catharina, S. Urſula: Tum quia fundamentum hujus fidei collocatur à Catholicis in *Apotheoſi*, ſive canonizatione, à Romano Pontifice facta: quâ in re etiam quidam Catholici doceant Pontificem errare poſſe; tum quia conſtat à Pontifice multos eſſe relatos in numerum Sanctorum, quos conſtat fuiſſe vel latrones, vel ſicarios, vel perniciosiſſi-

ciosissimos hæreticos. (Qualis tu nebulo es, qui omnia scurrilium scriptorum vestrorum scommata & mendacia colligis, scriptisque tuis vulgas, ut Catholicam majorum tuorum religionem populo invisam & infamem facias.) Ad quæ paucis (ne mihi cum impudenti homine inutilis, & supervacaneus sermo sit) respondeo: *Canonizationem* esse publicum Ecclesiæ testimonium de verâ sanctitate, & gloria alicujus defuncti hominis, simulque esse judicium, quo decernuntur Sanctorum honores. Hæc autem *canonizatio Sancti* vel particularis est, ab Episcopo alicujus Diœcesis facta; & in hac error intervenire potest, quòd particulari Ecclesiæ, non ea, quæ universali Ecclesiæ Catholicæ infallibitas promissa sit: vel est universalis Ecclesiæ Catholicæ, non tam lege, quàm consuetudine introducta: vel est à Pontifice ut capite Ecclesiæ facta, & in neutra error intervenire potest, ut pro Sancto colatur, qui Sanctus non sit: cùm suavis Dei providentiæ sit non pati, ut tota Ecclesia in cultu religionis erret: ac tametsi *canonizatio* res facti appareat, in quo Pontifex errare possit, res tamen est, quæ ad mores Ecclesiæ spectat, in qua, ut in rebus fidei, Pontifex errare non potest: aliàs tota Ecclesia in cultu religionis erraret, colendo Sanctum, qui Sanctus non est; essetque non modò contra providentiam Dei, sed & promissiones Christi, quæ Ecclesiæ factæ sunt, uti hæc ex generalibus principijs de infallibilitate Ecclesiæ deducuntur. Cæterùm de S. Georgio, Catharina, cæterisque Sanctis, de quibus ab hæreticis dubitatio mota est, lege Serrarium, qui peculiari libro hæc discussit.

Quòd verò scribas, aliquos in numerum SS. à Pontifice relatos esse, qui vel latrones, vel sicarij, vel pestilentes hæretici fuerint, impudentissima hæreticorum vestrorum calumnia est. Hæc tu cum illis dicis, & non probas, sed promittis te probaturum; id quoad non feceris, *mendax* habeberis: nisi fortè hoc de Luthero tuo hæresiarcha intelligas, aut de Lutheranæ tuæ ecclesiæ sanctis dici velis: Nam passim in libro tuo reperio *Beatum Lutherum, Beatum Kemnitium, B. Joannem Gerhardi*. Hos tuomet judicio *Beatos* facis, & in numerum tuorum sanctorum refers, tantùmque desideratur, ut aliquis etiam *Beatum Nifanium* ob insignem calumniandi & mentiendi libidinem divorum fastis adscribat, aut Hecubam tuam ex raptu Proserpinæ inter *deas* attollat. Cætera quæ hîc ingeris, ex plebeis dicterijs in cultum B. Virginis, ac Divos etiam

etiam Paderbornensis Ecclesiæ, ad forum tuum scrutarium spectant, nec digna reputo, quæ calamo attingam. Quod enim de priscis hæreticis, & hæresiôn scriptoribus *Augustinus lib. 8. de civit. Dei c. 4.* id de te tuique similibus rabulis censeo: *Nam qui*, inquit, *vel non possunt intelligere quod dicitur; vel tam duri sunt adversitate mentis, ut etiamsi intellexerint, non obediant: respondent ut scriptum est, loquuntur iniquitatem, & infatigabiliter vani sunt.* Quare omnia tua somnia velle refutare, nihil erit aliud, quàm tecum velle delirare. Et quid obsecro te tuósque hîc fatigas? Estne *de necessitate salutis*, invocatio Sanctorum? Catechismus Canisij id te docere poterat, in quo quæstio, *Licetne Sanctos colere, & invocare?* satis hoc exponit. Quare & hæc Bellarmini propositio est: *Sancti piè & utiliter invocantur.* Id qui negat, & pertinaciter oppugnat, hæreticus est. Cæterùm invocatio SS. libera pietas est, quæ consulitur, non præcipitur; suadetur exemplis, praxi, consensuque Ecclesiæ, non imperatur, ut suprà dixi. Tantùm abest, ut hîc vobis causa esse possit recedendi ab Ecclesia Catholica. Hæc planius cognosces, si legas, quæ in Concilio Tridentino Sess. XXV. hac super re decernuntur. Et quid hîc aliud agitis? nisi ut ex cultu imaginum & Sanctorum *vulgus in odium nominis nostri cogatis, & nos odisse incipiat, antequam nosse.* Cyprian. de Vanit. idolorum.

CAPVT XI.

De cultu Reliquiarum.

HOc postremum caput attexit hîc Prædicans & *lipsanolatriam* inscribit, quò Catholicos ex cultu *Reliquiarum* idololatriæ perstringere conatur. Verùm nihil pro more, & hæresis suæ furore, præter sarcasmos, scommata, & calumnias hîc legas. Contrà nos pro instituto rem ipsam, ut cætera, primùm asseramus: si duo priùs ad monuerimus.

Primùm est, hanc hæresin ex antiquis esse unam, quam primò docuit *Eunomius* Arianæ factionis auctor, deinde *Vigilantius*: uti id ex scriptis D. Hieronymi constat, cultum Reliquiarum contra Vigilantium propugnantis: post Vigilantium, *Constantinus Copronymus* Imperator cum iconoclastis. Nam is ut Suidas scribit, omnes ubique Reliquias Sanctorum haud secus, quàm imagines Sanctorum aboleri atque abjici jussit: ob quæ hæc hæresis damnata simul in Nicæna Synodo. Horum vestigijs insistens *Claudius Taurinensis*, ut Jonas Aurelianensis Episcopus refert, cultum Reliquiarum improbavit. Ab his jam ante damnatis ab Ecclesia auctoribus, Lutherus & Calvinus hanc suam doctrinam acceperunt. Vide nunc Prædicans, hoc ipso, quòd vestra doctrina tantùm antiquorum hæreticorum convincitur, satis est refutasse Lutherum & Calvinum. Secuti sunt postea anabaptistæ, cæterique novatores hujus sæculi. Quo tamen in genere æquiores sunt Lutherani, quàm Calvinistæ & anabaptistæ, qui furore iconoclastarum corpora Sanctorum, & Reliquias exurunt, & cineres in flumina abjiciunt. Testis Hollandia & Gallia, testis Monasteriensis urbs ex anabaptistarum immanitate.

Alterum est ex nomine Reliquiarum, quo non modò comprehenduntur corpora sanctorum, ossa, & particulæ ex corpore, sed & vestes, vela, aliaque quibus Sancti usi sunt. Nunc ipsa *veritas* cultusque Reliquiarum asseratur.

I. Ex Scriptura: Exod. 13. Moyses discessurus ex Ægypto, noluit istic relinquere ossa Iosephi Patriarchæ, sed honorificè transtulit secum in Palæstinam, & terram promissionis. Deut. ult. Deus ipse corpus Moysi honoravit, illudque sepelivit: quo argumento usus Hieronymus contra Vigilantium. 4. Reg 13. Ossa *Elisæi Prophetæ* cùm tetigissent mortuum quendam hominem, continuò ad vitam revocatus est. Tam insigni miraculo Deus honoravit ossa Sancti. 4. Reg. 23. cùm Iosias Rex delubra idolorum everteret, ossa istic mortuorum effodit, & in cineres redegit: ossa tamen Prophetæ istic reperta, asservari jussit. Isaiæ 11. De sepulchro Christi: *In eum Gentes sperabunt, & erit sepulcrum ejus gloriosum.* Hæc de sepulcro Christi dici constat ex Rom. 15. nec de hujus sepulcri tantùm tempore, quo Christi corpus continebat, sed pro futuro etiam tempore, uti docet Hieronymus Epist. ad Marcellam, id quod omnium inde Christianorum cultus, & Regum Christianorum lampades in hodier-

hodiernum diem monſtrant. Hæc tamen ita ridet Lutherus lib. de abolenda Miſſa, ut ſcribat: Deo non majorem curam eſſe de *ſepulcro Chriſti*, quàm de bobus.

Matth. 9. Hæmorrhoïſſa fimbriam Chriſti tetigit & ſanata eſt. Act. 19. Chriſtiani Pauli ſudaria & ſemicinctia deferebant ad ægrotos, quorum contactu ſanitas reddita. Imò Act. 5. certatim umbram Petri attingere occurrebant. Quid verò inter Reliquias minutius eſſe poterat? Hæc ſi vidiſſent *Lutherus & Calvinus*, haud minus quàm ſi Chriſti togam aut ipſum Chriſtum oſcularemur, ſuperſtitionis nos damnaſſent, & cum his Niſanius. Hac autem veneratione, pluſquam civilem cultum Reliquijs exhibitum fuiſſe, cæcus eſt qui non videt. Aut quis negabit, eadem miracula quæ tum ad Reliquias Chriſti & Apoſtolorum facta ſunt, deinceps etiam fieri potuiſſe? Dicunt, nullum in citatis locis præceptum contineri: ſed nec ullibi à Scripturis Reliquiarum cultus improbatur damnaturve, ut ab hæreticis fit. Imo ideò hæc ſcribuntur & commendantur, ut exemplis provocent. Et quàm multa ſunt, hujuſmodi, ut ſuprà retuli, in ſacrâ Scriptura, quæ ſine præcepto laudabiliter fiunt, & facienda commendantur?

II. Probatur ex perpetuâ traditione Eccleſiæ, uti Bellarminus contra Centuriatores oſtendit, qui à ſæculo quinto hunc cultum cœpiſſe mentiuntur. Imo ſcribit Gregorius M. lib. 3. epiſt. 30. ſtatim ab eo tempore quo paſſi ſunt Apoſtoli, ex Oriente veniſſe fideles, qui eorum Reliquias, tanquam civium ſuorum peterent: idque conſtat ex Martyrio S. Polycarpi, cujus Reliquias certatim Chriſtiani petivere, ut refert Euſebius lib. 4. c. 15. Conſtatque præterea ex Martyrum ſepulcris, & oſſibus translatis, ut *S. Ignatij*, aliorumque. Qua ſuper re pluribus Vaſquez, & alij.

III. Aſſeritur ex Concilijs omnium propè nationum, ut ex tomis Conciliorum Regiorum Pariſienſium conſtare poteſt. Nicænum II. Concilium damnat Copronymum Reliquias deteſtantem. Unde Act. 3. Reliquias ſalutares fontes appellat, Act. 7 jubet deponi Clericum, & laicum excommunicari, quòd Reliquias Martyrum contemnerent. Gangrenſe Concilium ante annos MCCC. Can. ult. anathema ijs dicit, qui memorias Martyrum, & ſepulcra, locaque in quibus eorum ſunt Reliquiæ execrantur. Concilium Carthaginenſe V. can. 14. & Africanum cap. 50. jubet ut nulla altaria, vel memoriæ Martyrum dedicentur, niſi in

ijs

ijs aliquæ Martyrum Reliquiæ sint: utrique S. Augustinus interfuit. Braccarense Concilium III. in Hispania can.5. statuit, ut in supplicationibus Episcopi vel Sacerdotes gestent thecas Reliquiarum, populo præcedente, vel sequente. Epainense in Gallia can. 25. jubet Reliquias non poni in Ecclesia, ubi non sint Clerici, qui sacris cineribus psallendi frequentia famulentur. In Italia Concilium Lateranense sub Innocentio III. cap.62. jubet, ne ob fraudes commissas novæ Reliquiæ publicæ venerationi exponantur, sine auctoritate Pontificis, quod & aliæ leges Episcoporum commendant. Qua super re in jure Canonico, cap. *cum ex De Reliquijs.* & in lege Civili *C. de Episcopis & Clericis* decernitur. In Germania Concilium Moguntinum can.51. statuit, ne corpora Sanctorum transferantur de loco ad locum sine consilio Episcopi, & Sanctæ Synodi. Hæc autem Concilia, uti & Patres præter scripturam innixa sunt Traditione, quæ ex praxi & consensu omnium Ecclesiarum vim obtinet, uti id Vasquez, Suarez, cæterique docent.

IV. Probatur consensu Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum. Inter Græcos S. Basilius in psal.115. *Quando judaicè aliquis moriebatur, abominabilia erant morticina, cùm pro Christo mors contingit, pretiosa sunt reliquiæ Sanctorum.* Oratione in Quadraginta Martyres tradit Reliquias eorum per totam illam regionem dispersas fuisse, & à Christianis expetitas.

S. Justinus Martyr quæst. 28. uti & Ecclesiæ Smirnensis Epist. ad Ponti Ecclesias: *Nos Divi Polycarpi ossa potiora lapillis preciosis, & cineribus sublata eo loco reposuimus, qui erat decorus consentaneusq;.*

S. Gregorius Nyssenus Orat. de Theodoro Martyre: *Anima,* inquit, *ex quo sublimis abijt, in suo loco requiescit; corpus verò venerandum, & immaculatum instrumentum, cum multo honore, & cultu compositum, atque ornatum in augusto sacroq; loco situm est.* addit, *ipsas reliquias contingere summopere desiderandum, tanquam summarum precum donum.*

S. Gregorius Nazianzenus Orat.1. in Julianum Apostatam: *Non victimas,* inquit, *pro Christo cæsas reveritus es, quorum vel sola corpora id possunt, quod animæ sanctæ, sivè manibus contrectentur, sive honorentur, quorum vel solæ guttæ sanguinis vel exigua passionis signa idem possunt quod corpora. Hæc non colis, sed contemnis & aspernaris, qui Herculis rogum admiraris.*

S. Cyrill-

S. Cyrillus Episc. Hierosolym. Catech. 18. *Ut autem anima Sanctorum non solùm honoretur, credaturq́ʒ quòd etiam in corporibus mortuorum inest virtus seu potentia, jacens in sepulchro Elisæi mortuus, mortuumq́ʒ Prophetæ corpus attingens, vivificatus est.* Hoc eodem sacræ Scripturæ exemplo probat reliquiarum cultum *Clemens lib. 6. Constit. c. ult. Chrysost. orat. in laudem S. Ignatij Martyris*, alijque Patres.

S. Chrysostomus serm. de S. Juventio & Maximo; *Idcirco*, inquit, *sæpius eos invisamus, tumulos adoremus, magnaque fiducia reliquias eorum contingamus, ut inde benedictionem aliquam assequamur.* Et quæ non Hom. ult. in Epist. ad Rom. de corpore S. Petri & Pauli, Hom. 61. ad populum, quantum non extollit sepulcra, & reliquias Sanctorum supra sepulcra Regum & Imperatorum? ab eodem Constantinus Magnus *janitor S. Petri* appellatus, eò quòd ante fores Basilicæ sepultus, ubi S. Petri reliquiæ servabantur. Quin ipse Theodosius Imp. Arcadij filius, corpus D. Chrysostomi veneratus Constantinopolim deferri jussit, quod deinde Romam deportatum est, ut in vita ejus traditur. Accedit *Theodoretus* lib. 8. ad Græcos de Martyribus, *Damascenus* lib. 4. c. 16. *Athanasius* in vita B. Antonij, qui pallium ejus tanquam imaginem sanctitatis accepit, & veneratus est: quemadmodum S. Antonius Pauli Eremitæ tunicam solemnibus tantùm diebus induere solitus. Longum cæteros referre. Quapropter *Eusebius Emissenus* hom. de S. Blandina: *Ubi sunt, qui venerationem sacris Martyrum dicunt non esse deferendam corporibus?*

Inter Latinos Patres quantus est *Ambrosius* serm. 93. de SS. Nazario & Celso? *Quòd si dicas mihi*, inquit, *quid honoras in carne jam resoluta, atque consumpta? Honoro in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices, honoro viventis memoriam perennitate virtutis, honoro in cineribus semina æternitatis, honoro corpus, quod mihi Dominus ostendit diligere: cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reverentur & dæmones? quod & affixerunt in supplicio, sed honorificant in sepulcro? Honoro itaque corpus, quod Christum honoravit in gladio, quod cum Christo regnabit in cælo.* Epistolâ 58. ad fideles per omnem Italiam, (postquam corpora Gervasij & Protasij divinitus illi ostensa fuerunt, àb eoque reperta sunt,) refert præterea sibi revelatum esse, ut in eorum honorem Ecclesiam ædificaret, quod cùm faceret Ambrosius, sanè majorem illis, quàm civilem cultum detulit. Imò refert Ambrosius, dum corpora ho-

rum Martyrum elevaret humo, ejusmodi chartam simul repertam fuisse hac inscriptione: *Ego servus Christi Philippus, abstuli cum filio meo furtim nocte sancta corpora, & in domo mea Deo solo teste in ista arca saxea sepelivi, credens me orationibus eorum consequi misericordiam Domini nostri Jesu Christi.* Eadem habet Ambrosius Epist.55. de inventione Reliquiarum SS. Vitalis & Agricolæ.

Hieronymus quâ non contentione adversus Vigilantium propugnat reliquiarum cultum? *Dolet,* inquit, *Martyrum reliquias pretioso operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel projici in sterquilinium, ut solus Vigilantius ebrius & dormiens adoretur.* Hic in idea *Vigilantij* te conspicis *Nisani.* Et mox idem Hieronymus: *Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum Basilicas ingredimur? Omnes Episcopi non solùm sacrilegi, sed & fatui judicandi sunt, qui rem vilissimam & cineres dissolutos in serico, & vase aureo portaverunt?* Cujus nunc standum judicio, Hieronymi, an Vigilantij? tu Vigilantium, ego Hieronymum sequar, & cum eo antiquam ejus sæculi Ecclesiam. Audi quàm exprobret Vigilantio Epist.53. *Os fœtidum rursum aperire audes, & putorem spurcissimum contra SS. Martyrum proferre reliquias, & nos qui eas suscipimus, appellare cinerarios, & idololatras, qui mortuorum ossa veneramur?* Nunquid eadem vox tua Nisani? quasi venerando ossa mortuorum cultu *latriæ* adoremus. Sed quid Hieronymus respondet? *Honoramus autem reliquias Martyrum, ut eum, cujus sunt Martyres, adoremus. Quis unquam, ô insanum caput! aliquando Martyres adoravit? quis hominem putavit Deum?* Hinc verbo *venerandi* & *honorandi* utitur Hieronymus, ut cultum duliæ distinguat à latria: ac tametsi Patres aliquando Sanctos, eorumque corpora *adorari* dicant, ea vox tamen, cùm de Sanctis agunt, de duliæ & non latriæ cultu intelligenda est. S. Maximus serm. de Sanctis: *Cuncti,* inquit, *Martyres devotissimè percolendi sunt, sed ij præcipuè venerandi sunt à nobis, quorum reliquias possidemus.*

S. Gaudentius Brixiæ Episcopus tract. de dedicat. Basilicæ: *Ut venerandas Sanctorum reliquias haberemus, Deus noster tribuit, deinde ut hanc honori eorum Basilicam fundare valeremus, ipse largitus est.* Omitto *Leonem* Pontificem, *Paulinum, Prudentium, Ruffinum, Gregorium Magnum, Bedam, Gregorium Turonensem,* aliosque Patres, primis ante Carolum Magnum sæculis, quos longum commemorare. Unus Augustinus satis esse poterit: is Epist.42. *Videtis,* inquit, *nobilissimi eminentissimum*

culmen

culmen ad sepulcrum piscatoris submisso diademate supplicare. Epist.103. ad Quintianum: *Portant sanè Reliquias beatissimi & gloriosissimi Stephani Martyris, quod non ignorat sanctitas vestra, sicuti & nos fecimus, quàm convenienter honorare debeatis.* Lib. de dogmatibus Ecclesiæ tom.3. operum S. Augustini, Sanctorum corpora & præcipuè Sanctorum Martyrum, *ac si Christi membra sincerissimè honoranda, & Basilicas eorum nominibus appellatas, velut loca sancta divino cultui mancipata affectu pijssimo, & devotione fidelissima adeundas credimus: si quis contra hanc sententiam venerit, non Christianus, sed Eunomianus, & Vigilantianus creditur.* Et quid plura ab Augustino requirimus? apud quem libro XXII. de Civitate Dei, tot miracula leges, quæ Deus ad sepulcra & reliquias Sanctorum operatus est.

Ac ne de particulis *Reliquiarum*, ut facis, queri possis, eò quòd abruptæ à corporibus Sanctorum passim dispergantur per Ecclesias, colanturque, habes eosdem Patres. Nazianzenus: *Exiguus etiam pulvis, ut vel ossium particula veterum quapiam, aut paululum comæ, vestisve sparsi sanguinis quædam notæ, cultum parem habeant, atque corpus integrum.* Chrysostomus in orat. *Quod Christus sit Deus*, ait: Totum orbem contendere aliquid ex illo ligno Crucis habere, & qui habent viri & mulieres, auro includunt. Eadem scribit *Theodoretus* lib.8. *Ambrosius* serm. 4. de Nazario & Celso, & rationem addit: *Hæc est Martyrum SS. gloria, etsi per universum orbem seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo.*

Criminaris & vestes Sanctorum, aliaque servari inter Reliquias à nobis, colique. Sisto hîc Patres denuo: *Damascenus* lib.4. c.12. de ligno Crucis inquit: *Nam si eorum, quorum amore flagramus, & domus nobis cara est, & lectus & vestis, quanto magis ea, quæ Dei & Salvatoris sunt, per quæ nobis salus parta est?* Addit deinde: *Ut sunt clavi, lancea, præsepe, indumentum, & vivificum sepulcrum.* Ambrosius Epist.54. refert vestibus SS. *Gervasij* & *Protasij* attactis, Epist. verò 55. sudarijs *Vitalis* & *Agricolæ* sanatos ægros, quemadmodum *Cyrillus* Episc. Hierosolym. Catech. 18. Nazian. & August. hæc pluribus docent. Hunc in modum Cathedra S. Jacobi Apostoli, ut refert Eusebius lib.7. Hist. c.14. asservata fuit, de quâ hæc subjungit: *Unde declarat perspicuè, quemadmodum veteres Patres ad nostram usque ætatem Sanctis viris, ob eorum veram erga Deum pietatem, debitam venerationem tribuerint, & adhuc tribuere non cessant.*

Quam traditionem conservat Ecclesia in cathedra S. Petri, in catenis quibus vinctus fuit, alijsque Apostolorum & SS. Lipsanis.

V. Hic cultus Reliquiarum asseritur miraculis, quæ Deus ad eorum venerationem perpetravit, de his pleni sanctorum Patrum, & historicorum libri. VI. Ex inventione & revelatione sanctorum corporum divinitus facta. VII. Ex translatione corporum & reliquiarum, ex uno loco in alium, honoris cultusque causâ factâ. VIII. Ex usu cereorum & lampadum, quibus à Christianis honoratæ sepulcra SS. & reliquiæ: uti hæc omnia Bellarminus ex Patribus, historicis, & omni antiquitate multis ostendit. VIII. Ratione: Corpora enim Sanctorum fuerunt orgna animarum sanctarum, & instrumenta Dei ad miracula: sunt eadem pignora Patronorum, trophæa militantium & vincentium, eademque membra & membrorum partes, in quibus Sancti resurgent ad gloriam: *In carne mea,* inquit Jobus, *videbo Deum salvatorem meum.*

Horum omnium, quæ nos ex Scriptura, Concilijs, & Patribus hîc paucis attulimus in medium, nihil memorat Nifanius, tanquam ad se, & ad hanc, de qua agimus, causam nihil spectent. Vel hæc legisti? & impostor es, quod hæc supprimas apud populum: vel non legisti? & impudens falsusque scriptor es, qui cultum Reliquiarum tot plebeis dicterijs, tot sarcasmis, & calumnijs proscindis. Nisi fortè tibi *reliquiæ* magis placeant in *armillis remissis.* Certè has spurcitias verborum tuorum non à SS. Patribus, sed *Vigilantio* hæresiarcha didicisti, cujus impurum & spurcum os satis notavit Hieronymus. Nihil novi, sacra Christianorum rideri ab ethnicis, Judæis, & hæreticis. Hostis semper Sanctorum dæmon, ad quorum adeò reliquias toties ejectus è corporibus humanis, vel silere jussus. Quale illud quod *Ruffinus, Theodoretus, Sozomenus, Chrysostomus* de translatione S. Babylæ referunt. Ejus enim Martyris Reliquiæ cùm arca inclusæ haud procul ab idolo & Apollinis oraculo consisterent, dæmon ob vicinitatem Martyris responsa dare prohibitus est. Ob id Julianus apostata arcam cum Reliquijs alio transferri jussit, quod magna Christianorum celebritate factum est: quanquam vix arca Martyris inde transportata fuit, cùm ignis è cælo lapsus idolum comminuit, & dæmoni silentium imposuit. Hinc nunc ad alias artes conversus, eaque falsitatis responsa quæ per simulacra non licet, per ministros suos, errorumque magistros eloquitur, tanto nocentius, quanto speciosius, aut velamento Scripturæ, aut veritatis pollicitatione, aut rationum fascino integuntur.

CAPUT XII.

CAPVT XII.

Carolus Magnus Sanctorum Reliquias veneratus est.

CArolum Magnum (quæ non scribendi, fallendique audacia!) Nisanius nobis contemptorem Reliquiarum facit. Argumentum, quo id confici vult, sumit ex lib. 1. imaginum cap. 18. In eo enim refertur, primò quòd Ezechias æneum serpentem confregerit, ne idololatriæ invitamentum esset. Quasi Carolus Magnus simili modo voluerit corpora Sanctorum abjici, & Reliquias tolli è conspectu colentium. Deinde eo in libro Carolus Magnus superstitionis damnat mulierem, quæ fimbriam Christi tetigit, & sanata est; simulque D. Hieronymum ridet, qui hoc Evangelij testimonio cultum Reliquiarum asserere conatus sit, ideoque desipere Hieronymum cum mulierculis, quæ in ligno S. Crucis, & ejusmodi lipsanis sacris, zelum quidem, sed non secundùm scientiam affectent; *calicem liquantes, & deglutientes camelum.* Hæc Carolo M. adscribit Nisanius, cùm libri illi pseudo-Carolini sint, & ab hæreticis eorum temporum conscripti, ut suprà commonstratum est. Quin adeò hi libri de imaginibus, ut servirent Lutheri & Calvini hæresi, à nostris hæreticis corrupti creduntur, assutis, insertisque ijs, quæ hæresi eorum favere possent, quando nullum adhuc genuinum eorum librorum exemplar proferri potuit, quod non Goldasti mendacijs, & Calvinianis typis depravatum sit. Deinde, quis credat Carolum M. tam impiè & blasphemè loqui de Evangelio Christi, & muliere fimbriam tangente, quæ eo pietatis & fiduciæ contactu sanitatem consecuta est? quod factum Scriptura non minus commendat, quàm eorum, qui per sudaria & semicinctia Pauli contacta sanati sunt. Vel hoc ipso prudenti clarum est, hosce Caroli non esse libros: Non enim Carolus, non Hieronymus, non SS. Patres tam perversè Scripturam explicant, sed hæretici. Bene Au-

gustinus lib.7.de Genes.ad lit.c.9. *Omnes hæretici Catholicas scripturas legunt, nec ob aliud sunt hæretici, nisi quod eas non rectè intelligentes, suas falsas opiniones contra veritatem earum pertinaciter asserant, aut in suos, quos volunt sensus, detorqueant:* ut lib.2.de concupisc. c.31 scribit.

Jam verò, ut palàm planiusque constet, quàm hæc falsò Carolo M. adscribas, ostendam Carolum Magnum egregium & religiosum fuisse cultorem sacrarum reliquiarum. I. Ex historia Francica, Anno Christi DCCLVII. *Thassilo Dux Bavariæ tam Pipino Regi, quàm Carolo & Carolomanno super corpus S. Dionysij fidem juravit: sed non solùm ibi, verùm etiam super corpus S. Martini, & S. Germani simili sacramento fidem pollicitus est.* Ita Annales Francici: Ex quibus intelligis, corpora horum Sanctorum in honore cultúque fuisse, ad quæ *juramentum*, quod est actus religionis, est præstitum. Anno Christi DCCLXVIII. Pipinus Rex cum morbo urgeretur, qui fatalis ei hoc anno fuit, *priùs in ipsa in valetudine Turonas delatus, apud S. Martini memoriam oravit.* ita Annales Francici. Et quæ hujus cultûs causa? Nisi quod illic corpus S. Martini quiesceret, ad cujus S. sepulchrum, se per ejus preces Deo commendaret? Ne quid hoc loco de cultu Francorum Regum, & totius Franciæ, ad corpus & sepulcrum S. Martini referam; aut de ijs, quæ à Pipino ad sepulcrum & corpus D. Swiberti voti causa facta memorat D. Ludgerus in Epistola sua ad Rixfridum Episcopum. Et quæ non in ipsa D. Swiberti apotheosi & canonizatione tam celebri acta sunt, agente & præsente Carolo M? Quot non miraculis ipsa elevatio corporis D. Swiberti spectante Carolo M. illustrata? sanè is *civilis cultus* non fuit Reliquiarum, ut vos Prædicantes somniatis: nisi omne cerebrum vobis diffluxerit in calcaneum. Anno Christi DCCLXX. Bertrada Caroli M. mater in Italiam profecta est, *adoratis etiam Romæ sanctorum Apostolorum liminibus, ad filios in Galliam revertitur.* Matris pijssimæ exemplo Carolus quater Romam profectus ad limina Apostolorum voti causâ, ut suprà relatum est, non ob aliud magis, quàm ut vota precesque suas ad corpora Apostolorum, eorumque apud Deum patrocinia, offerret. Et hanc tu peregrinationem in Carolo M. etiam criminaris, eo quòd Gregorius Nyssenus, & quidam alij Patres peregrinationem reprehendant. Verùm hoc illi fecerunt propter abusum qui irrepserat, non quòd ob hæc ipsa peregrinatio per se ad loca Sanctorum mala damnandáque sit, aliàs & Carolus reprehenden-

hendendus esset, & omnia Sacramenta tollenda essent, quòd nulla res tam sacrosancta in ullo unquam religionis statu fuerit, quæ non abusu hominum vitiata sit. Anno Christi DCCXCIX. Missus à Patriarcha Hierosolymitano Monachus Legatus, *Benedictionem*, ut Annales perhibent, *& Reliquias de loco Resurrectionis Dominicæ, quæ Patriarcha Regi miserat, detulit Aquisgranum:* Quo dono nihil gratiùs fuit Carolo M. Anno Christi DCCC. Carolus Magnus: *Sequanâ amne transmisso, Turonas ad S. Martinum orationis causâ profectus est, moratus ibi aliquot dies propter adversam Luitgardæ conjugis valetudinem, quæ ibidem & defuncta, & humata est.* Tanta Caroli, tanta conjugis pietas, erga D. Martini sepulcrum & Reliquias, patris Pipini majorumque exemplo.

II. Ex Capitularium libris & Synodis Carolinis, quæ non passim testimonia cultus Reliquiarum? Lib. 16. cap. 69. de destructis Ecclesijs sancit: *ut Reliquiæ ejus loci ab Episcopo ab his auferantur, & in meliori loco ponantur.* In Capitulari Episcoporum can. 3. *Unusquisque Sacerdos Ecclesiam suam cum omni diligentia ædificet, & Reliquias Sanctorum cum summo studio conservet.* tom. 20. Conciliorum Regiorum. In Constitutionibus Caroli, uti & in Ecclesiasticis Capitulis decernitur: *Omne sacramentum in Ecclesia, aut super Reliquias juretur, sic illum Deus adjuvet, & Sancti, quorum istæ Reliquiæ sunt, ut veritatem dicat.* Idem habet Concilium Francofurtense can. 9

Concilium Aquisgranense can. 42. ex Africano ita statuit: *Altaria Martyrum non ponantur in agris, vel ad viam, ubi nec corpus, nec Reliquiæ Martyrum sunt.* Moguntinum Concilium can. 51. *Corpora Sanctorum de loco ad locum nullus præsumat transferre, sine consilio Principis, vel Episcoporum, & sanctæ Synodi licentiâ.* Præclarum, & omni posteritate dignum, scribit in præfatione ad legem Salicam vetustus, & æqualis eorum temporum auctor de Clodoveo post baptismum susceptum, ac de Childeberto, & Chlotario proximè succedentibus Francorum Regibus, & Francico populo; *Hi,* inquit, *Franci post Baptismi agnitionem, sanctorum Martyrum corpora, quæ Romani vel igne concremaverunt, vel ferro trucidaverunt, vel bestijs laceranda projecerunt reperta, auro & lapidibus pretiosis ornaverunt.* Ita verò Franci colendo mortua SS. corpora fortiores fuerunt, quàm Romani viva SS. corpora excruciando: nec dubium, quin hic cultus magna pars felicitatis Francorum, qui exinde ejectis

ctis Romanis totâ Galliâ potiti sunt. Quæ nobis eo gratiores esse debent, quòd vera Francorum origo ex Westfalia ducatur, quod in Monumentis *Ferdinandi* Episcopi nostri leges commonstratum. Ut jam nihil ad hanc, de qua agimus controversiam, ex majorum exemplo illustriùs desiderari possit. Tam antiquus igitur Francorum cultus erga Reliquias, in quo omnes Francorum Reges ad Carolum Magnum ferventissimè perstiterunt.

III. Cultus Reliquiarum in Carolo manifestus, ex Caroli Magni factis, usuque Reliquiarum. Transtulit enim Carolus Magnus corpora Crispini & Crispiniani Martyrum Osnabrugum, ad primam quam istic fundavit in Saxonia Ecclesiam. Testis ipse Carolus in diplomate Osnabrugensi: *Notum sit omnibus, qualiter donamus ad Basilicam S. Petri Principis Apostolorum, & SS. Martyrum Crispini & Crispiniani, quam nos construximus in loco Osnabrugki, & corpora illorum illuc transtulimus, ubi praest vir Venerabilis Wibo Episcopus.* Ita Paderbornensis, Mindensis, Bremensis, Monasteriensis, Halberstadiensis, cæteræque primæ per Saxoniam Ecclesiæ, primas suas quas habent Reliquias, ad Carolum Magnum fundatorem suum referunt. Neque hic cultus Reliquiarum, ut Nifanius somniat, ad cultum civilem referri potest. Quorsum enim corpora Crispini & Crispiniani, qui opifices fuerunt, eo honore exornasset Carolus? sed quia Martyres fuêre, Martyrum quoque & Patronorum apud Deum honore decorantur, & veneratione coluntur.

Inter cæteras quas Carolus Magnus Romæ donatione Pontificum accepit Reliquias, refertur corpus Candidi Martyris, (de quo extat Epistola Hadriani Pontificis ad Carolum Magnum tom. 18. Conciliorum Regiorum) Carolo Magno donatum, quod Paulus Papa concesserat Aciulfo Presbytero; *Unà*, inquiens, *vobiscum concedimus sanctum corpus.* Quanquam Hadrianus addit de se: *Jam dudum per revelationem territi, nullo modo audemus ex ipsis Sanctorum corporibus amplius quid exagitare.* Et quia Sancti sæpe inviti comperti, in transferendis suis corporibus, ideo & Pontifices inviti, ægrè Roma abstrahi passi sunt. Quo in genere quæsivit Carolus Magnus tantum in Sanctorum Reliquijs patrocinium, ut eas etiam per castra à Sacerdotibus circumferri, & pugnaturus in hostem sibi adesse voluerit; uti id inter munia Castrensium Sacerdotum fuit: *Episcopi duo, vel tres castra sequantur, & cum illis*

electi

electi Sacerdotes, qui sciant Missas celebrare, de infirmis curam habere, sacratique olei cum sacris precibus unctionem impendere. Hi verò nec arma ferant, nec ad pugnam pergant, sed tantùm Sanctorum pignora & sacra ministeria ferant. Ita Carolus lib.7. Capit. c.91. & cap.103. tom.20. Conciliorum Regiorum.

Demum quas Sanctorum Reliquias Carolus Magnus ex Palæstina & Oriente, quas Roma & ex Italia, quas ex Africa & Hispania collegerit in sacrum suum thesaurum, quantumque ex his Basilicam Aquisgranensem, primas per Saxoniam Ecclesias, & Cœnobia Monachorum & Monialium dotarit, exornaritque, nihil hîc attinet referre: testes fasti singulorum locorum & sacraria, testes Francorum Annales, & historiæ. Mira sanè in Carolo, & à Caroli ævo Christianorum per Saxoniam in hoc cultu pietas: ac postquam corpora Sanctorum ex Saxonia metu hæresis translata, aliò migrare cœperunt, ipsa etiam religio, & felicitas, & pax longa in longum bellum mutata, demigrare cœpit. Postquam *S.Viti* Martyris corpus ex Gallia ad *Corbejam Saxoniæ* transportatum perhibet *Widekindus* ejusdem Cœnobij Monachus, & observarunt alij, ex Gallia quoque in Saxoniam transmigrasse felicitatem, coronâ Imperij sensim ad Saxones devolutâ, nec priùs *Magdenburgum* in cineres & suum exitium incubuit, quàm corpus *S.Norberti* Archiepiscopi ejus loci migrarat. Et quibus non injurijs ex vestra primùm doctrina Reliquiæ, & corpora Sanctorum tractata? nec sine vindicta etiam Numinis in sacrilegos, quorum è numero Canonicus Mindensis Lutheranæ sectæ vestræ, qui cùm multas Reliquias Cathedralis Ecclesiæ suæ reperisset, conjecit in unum corbem, eumque rotando, girando, miscendoque inter se Reliquias, cum joco & sarcasmo dixit: *Vos nunc Sancti convenite inter vos, & quisque suas exuvias repetat.* Vix hæc dixerat sannio, cùm cerebrum ejus rotatum, ipse exinde in perpetua amentia & insania vixit. Multa sunt hujusmodi divinæ vindictæ exempla, quæ frustrà vobis, qui hæc everso mentis vestræ cerebro haud minus ridetis, donec cum morte serò vos pœna excipiat. Certò tibi persuadeas, quam vindictam animæ Martyrum clamant in cælo, *Apocalypsis c.16.* hanc cæteris Sanctorum injurijs non defuturam. Sed his missis, revoco te in præsens ad Carolum Magnum & quæro, quomodo Carolus Magnus videri potest in *libris Imaginum* damnasse cultum Reliquiarum, à quo tot legibus, dictis, factis

cultus Imaginum assertus est ? ut vel ex hoc libri imaginum pseudo-Carolini cognoscantur. Inscribis librum tuum *Ostensionem historicam*; quam hîc historiæ partem attingis ? aut quid ad hæc, quæ de Reliquiarum veneratione ex Carolo attulimus, respondebis ? nisi ut omnes historicos & Carolina Monumenta falsitatis damnes, aut tu omnium scriptorum fallacissimus appareas. Imò quid *Ostensionem historicam* inscribis librum hunc tuum de Carolo Magno ? qui primùm Eginardum tibi procurasti, postquam audivisti tua hic à nobis refutari ? Quid nunc de cæteris tuis judicabimus? nisi quòd omnia tua ex alijs scriptorum rabulis exscripseris, nec ipsos fontes historiarum inspexeris quidem, ad quos hactenus te remisimus, & ex quibus nostra asseruimus. Ita agitis cum populo, qui Episcopos & omnium scientiarum doctores vos fertis. Idem est de *theologicâ tuâ ostensione*. Tuum illud est : Populo imposuimus, & Historici, Theologique visi sumus. Nunc cætera, quæ ex eadem officina mendaciorum opponis, audiantur.

Objectiones Nisanij adversus cultum Reliquiarum, et S. Crucis.

I. OBjiciunt Deut. cap. ult. Deus abscondit corpus Moysi, non aliam ob causam, inquiunt, quàm ne Judæi illud adorarent cultu latriæ, sicut Catholici colunt corpora Sanctorum. Quocirca in Epistola Judæ diabolus contendit cum Michaële Archangelo de corpore Moysi, volebatque illud diabolus manifestare, ut Judæis occasionem adorandi præberet. Idem Nisanius infert ex serpente æneo, quem Ezechias 4. Reg. c.18. confringi jussit, ne ex illo occasio idololatriæ Judæis præberetur : quod argumentum ob id in libris de imaginibus Carolum adversus cultum Reliquiarum produxisse vult.

℞. Utrumque, & corpus Moysi, & serpentem æneum subtractum oculis Judæorum, ne cum proni essent ad idololatriam, adorarent cultu latriæ, ita Chrysostomus : ut sanè constat ex vitulis aureis, tanta populi levitate adoratis. Id verò periculum cum in Christianis cesset, hæc nihil ad rem faciunt. Imò post captivitatem Babylonicam, cùm populus instructior non ampliùs idola coleret, Deus illustravit sepulcra Isaiæ, Ezechielis,

chielis, Jeremiæ, Elisæi, Abdiæ aliorumque miraculis, & gratum habuit cultum qui sepulcris, & ossibus illorum delatus est: uti hæc *Epiphanius*, *Hieronymus*, & interpretes docent. Et ubi auditum, Christianos unquam Sanctis divinos honores detulisse, aut pro Deo coluisse? S. Vitum quidem lego in Rugia insula pro Deo cultum, sed hoc barbari illi homines fecerunt, postquam ejectis Corbejensibus illic Monachis ad idololatriam rediere.

II. Objicitur Matth. cap.23. Ubi Christus reprehendit Pharisæos: *Væ vobis*, inquiens, *qui ædificatis sepulcra Prophetarum, & ornatis monumenta justorum*: Ergo, inquiunt, multo minus hæc religioso aliquo cultu veneranda sunt. Hoc argumentum Joannis Wiclef erat, quo & Lutherani se munire volunt. ℞. Christus non reprehendit Judæos quod ædificarent, vel ornarent monumenta Prophetarum: sed quod non imitarentur eos, quorum monumenta ornabant, sed potius eos, qui Prophetas occiderunt, vel ob id Pharisæi hypocritæ appellantur à Christo: ita explicant hæc *Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus, Ambrosius, Beda*; uti apud *Maldonatum*, aliosque interpretes leges. Quanquam Hieronymus id ex fastu, & ambitione Judæorum factum velit; *Chrysostomus*, ut ostenderent majorum potentiam in occidendis Prophetis. Hoc nimirum illud Christi Luc.11. *Profecto testificamini, quia consentitis operibus Patrum vestrorum: quia illi Prophetas occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulcra.*

III. Objicitur: Apostolus Coloss.2. damnat omnem cultum arbitrarium ab hominibus institutum, quem Græci vocant ἐθελοθρησκείαν, in quo cultu agitando, & objiciendo nobis multus est Melanchthon in Apologia Augustanæ confessionis: talis autem voluntarius cultus est Reliquiarum, imaginum, aliarumque rerum, inquiunt, apud Catholicos. ℞. Hunc cultum non esse ab hominibus excogitatum, sed inspiratum à Deo, ut patet ex Scripturis citatis, ex Traditione, Concilijs, & Patribus; quippe qui ab exordio Ecclesiæ cœpit, & toto orbe Christiano frequentatus, inde ad nos usque perductus est. 2. Apostolus damnat cultum superstitiosum, sive falsam religionem, ut exponit D. Hieronymus ad Algasiam. Ostendant verò prius adversarij hunc cultum esse superstitiosum aut falsum, quod nunquam præstabunt Lutherani & Calviniani, qui hîc unum cornu inflant. Deinde, si omnis ejusmodi cultus & cærimoniæ,

quæ non habent expressum mandatum, sed ex Scriptura manifestè deducuntur, sunt abjiciendi & damnandi, quid facit totus ille cultus religionis vestræ? quid cærimoniæ in Lutherano vestro exercitio divino? quid ritus in Baptismo & cœna? hæc enim omnia, quæ cum Catholicis communia retinetis, erunt abjicienda, & nudè cum Calvinistis exercitium vestrum divinum, cæteraque Sacramenta peragenda erunt. Sed ad eos vos spiritus vestræ ecclesiæ quotidie magis magisque rapit, ut nulla secta tam impia & absurda hoc sæculo sit, cui non accedere potius quàm Catholicis, vobis buccinatoribus placeat.

IV. Objicit nobis Nifanius Concilium Tridentinum, quod id præscribat Reliquias esse honorandas & venerandas; sed id versutè fieri à Patribus illius Concilij, eò quòd alij Catholici Doctores nomen venerationis convertant in adorationis; passimque Reliquias non secus, quàm imagines Sanctorum adorandas scribant. Ita D. Thomam, Vasquez, Suarez, Valentiam, aliosque adorationis nomine uti dicis, cùm de cultu Reliquiarum agunt. ℞. ut suprà, nomen adorationis generale esse, quod modò pro cultu latriæ, modò pro cultu duliæ analogicè accipitur, tam à Scriptura, quàm Concilijs & Patribus. Ita hoc postremo modo citati à te Theologi faciunt, cùm de cultu Sanctorum, imaginum, & Reliquiarum agunt. Ad Grammaticos hîc ablegandus es, qui tantus theologus inter theologos esse vis. Obstrepis hîc nobis, tanquam anser inter olores, risui te exponis, quando ineptias istas scribis, ad quas pueri & qualibet anus tibi responderet, nos non adorare cultu latriæ Sanctos, eorumque imagines, aut Reliquias, sed cultu religioso longè inferiore, quàm sit latria.

Instas, & dicis alios Theologos docere Reliquias per se coli posse cultu ad ipsas terminato, ut ad imagines fit; alios verò, nonnisi respectivo simul coli, quæ communior sit sententia. Quid hæc demum ad rem, aut fidei articulum? cùm de modo agatur, inter scholasticos terminos relicto. Sufficit illud Tridentini: *Sanctorum Reliquias esse honorandas & venerandas.* De modo hoc nihil definit, sed Theologis relinquit. Nec tu ille es, qui vel D. Thomam censeas, vel aliorum Theologorum Aristarchus sis. Imò quid de his Lutherana plebs, & vulgus Prædicantum intelligit, quæ tu ipse non intelligis? ut inde cavillandi ansam quæras?

A te

A te potiùs quærendum est, quo cultu Sanctorum corpora & Reliquias honoretis? gloriaris corpora Sanctorum à vobis non abjici, nec indignè tractari, quemadmodum Calvinistæ & anabaptistæ faciunt: pari modo dicitis non confringi à vobis imagines, sed retineri. Scio, iconoclastæ non estis, interim iconomachi, hagiomachi, lipsanomachi estis. Quæro enim, quo cultu vos Lutherani corpora SS. colatis? non latriæ, quod nec nos facimus; non religioso cultu duliæ, quod hîc unicè impugnatis & damnatis: relinquitur ergo cultus civilis, quo à vobis colantur, atque ita non alius honor à vobis defertur, quàm qui à Gentilibus delatus est sepulchris Regum, aut corpori Æneæ, Achillis, Hectoris, aut Romanorum Cæsarum: quod quàm absurdum sit, nemo non Christianus intelligit. Ita quidem verbis speciosis cultores Sanctorum, re autem verâ hagiomachi & hæretici estis.

V. Objicis Crucis sacræ cultum, in quo manifesta *idololatria* committatur; nam Catholici (ut ironicè narras) die Parasceves Crucem de altari sumunt, ostensaque populo canunt: *Ecce lignum Crucis, in quo salus mundi pependit*; Inde in terram deponit Sacerdos, quam genu flexo osculantur alij ad loca sacrorum vulnerum signata, & post cæteros ipse Sacerdos hanc antiquissimam & pijssimam cærimoniam osculationemque flexo genu peragit. Rides hæc, & sine adoratione latriæ fieri non posse, contendis. Quasi verò qui ob memoriam passionis Christi, & vulnerum sacrorum publicè aut privatim oscularetur incurvato corpore aut togam Christi, aut clavos quibus confixus est, idololatra sit: nisi omnes simul Lutheranos idololatras facias, qui antequam Eucharistiam sumant, priùs procumbunt in genua & adorant, nec tamen nisi in ipsâ sumptione Christum præsentem agnoscunt. Igitur ut te expediam:

℞. Crux Christi partim inter Reliquias colitur, partim inter imagines. Crux illa, in qua Christus pependit, & quævis ex illo ligno particula, ob contactum corporis & sanguinis Christi, inter pretiosissimas Reliquias habenda est. Eadem Crux quatenus figuram Christi crucifixi repræsentat, perinde ut cæteræ Cruces illi similes, inter imagines sacras numeratur. Jam verò imaginibus per se non debetur propriè latria, nec hyperdulia, nec dulia, nec ullus alius cultus, qui tribuitur naturæ intelligenti, sed cultus quidam inferior, & varius pro varietate prototypi, quod imagines repræsentant. Igitur ut imaginibus Sanctorum convenit

cultus duliæ inferior, ita imaginibus Christi, & cruci Christi non latria vera, nec simpliciter, sed cultus latriæ longè inferior convenit, qui ad latriam, ut imperfectum ad longè perfectius reducitur. Ita Bellarminus lib.2. de Imag. c.25. quicquid hîc tandem alij Theologi de modo hujus cultus disceptent: quales hîc Nisanius denuo magnâ turbâ introducit, D.Thomam videlicet, Vasquez, Suarez, Valentiam, Gretzerum, Laymannum, aliosque: tanquam illi de substantia venerationis Crucis Christi diffiderent.

Communis enim jam sectariorum fraus & fallacia est, ut suprà toties monui, ex ijs quæ de circumstantijs & modo disceptantur inter Scholasticos, ipsam substantiam dogmatum velle evertere. Enimverò populo & fidelibus passim sufficit, si doceatur, quod piè & religiosè simul exemplar, simul ejus imaginem venerari possint, illud nempe *ut quod,* hoc verò *ut quo,* juxta vulgare illud:

Effigiem Christi cùm transis semper honora,
Non tamen effigiem, sed quem designat, adora.

Hoc modo Crucis effigiem à Catholicis coli, si roges, respondebunt tibi pueri & puellæ, cives & rustici; haud secus, quàm anus in Anglia, (apud Florimundum Remondum) supplex orans ante Crucis effigiem irrisa à Calvinistis, rogataque quid ante Crucis iconem supplex precaretur? respondit: non se ligno, sed qui in ligno pependit, supplicem sterni, secus quàm Calvinistæ inimici Crucis Christi faciunt. Et quid vos Prædicantes hîc aliud agitis? quàm ut per hujusmodi dolos, fallacias, & calumnias, Catholicos idololatriæ diffametis, invisamque Catholicam religionem faciatis, quo tanto securiùs vestram plebem intra hæresis vestræ laqueos retineatis?

Cæterùm, quàm antiqua inter Christianos sit Crucis veneratio, docebunt te Patres, quos inter *Tertullianus lib. de corona militis,* & *lib.2. ad Uxorem,* Crucis cultum refert ad Apostolicam traditionem, uti & *Basilius M.* alijque Patres faciunt. S.Hieronymus Epist.17. ad Marcellam: *Erit illa dies, quando nobis liceat speluncam Salvatoris intrare, Crucis deinde lambere lignum.* Ambrosius orat. in Theodosium: *Sapienter egit Helena, quæ Crucem, particulam videlicet Crucis, nimirum clavum unum in capite Regum levavit, ut Crux Christi in Regibus adoretur.* Quam ob causam

causam Chrysostomus *lib. quod sit Christus Deus*, inquit: Crucis figuram omnibus locis, in templis, urbibus, ædibus, cubiculis, in solitudine & montibus erigi depingique solitam, atque ipse Chrysostomus argenteas Cruces in supplicationibus, cum ardentibus facibus pro more tunc recepto præferri jussit, ut de eo Socrates lib. 6. c. 8. & Sozomenus lib. 8. c. 8. memorat. Augustinus in psalm. 36. *Cùm sub antiquis scelerati crucifigerentur, modo nullus crucifigitur: honorata, & finita est in pœna, manet in gloria. à locis suppliciorum fecit transitum ad frontes Imperatorum. Qui tantum honorem dedit pœnis, quid servat fidelibus suis?* Lib. 2. de visit. infir. c. 3. morituris Christi Crucem exhibendam suadet: *Adjicitur*, inquit, *super Crucem, quædam hominis ibi patientis imago, per quod salutifera nobis Jesu Christi renovatur passio, hanc complectere humiliter, venerare suppliciter.* Subjungit deinde præclaros & pios versus, quos ita finit:

Scilicet ipsius nota sunt Crux, & Crucifixus:
Hanc & ego veneror, Jesum quoque semper adoro.

Serm. 130. de tempore: *Domino descendente è cælis, præcedet exercitus Angelorum, qui signum, id est triumphale vexillum, sublimibus humeris præferentes, divinum Regis cælestis ingressum terrestrium mentibus nuntiabunt.*

Hoc nimirum illud Matthæi est cap. 24. *Tunc apparebit signum Filij hominis.* Ex quo veteres Patres docent, ipsum Crucis signum præferendum, ostendendumque in extremo judicij die, ut videant, in quem impij transfixerunt, quemadmodum non solùm Ecclesia canit: *Hoc signum erit in cælo, cùm Dominus ad judicandum venerit*, sed & Origenes, Chrysostomus, Hieronymus, Hilarius, Theophylactus, Cyrillus, Euthymius, Beda, alijque in caput 24. Matth. exponunt. Quin Sibylla lib. 6. carm.

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit:
Nec te terra capit, sed cæli tecta videbis,
Cùm renovata Dei facies ignita micabit.

Hoc illud signum Crucis, quod Constantino Magno oblatum est, in eóque promissa victoria, cum hac voce: *In hoc signo vinces*; Quod ille deinde pro labaro militari gessit, ut milites assuescerent venerari Crucem,

cem, de quo Euseb. lib.9. c.9. & lib.1. de vita Constantini, Sozomenus lib.1. c.4. scripsit, & Constantini tempore Lactantius, Crispi filij Magister, carmen de Crucis honore; interque cæteros versus, hunc legis:

Flecte genu, lignumque Crucis venerabile adora.

Quo cultu Theodosius Magnus Imperator, quo Arcadius filius, quo cæteri Imperatores, ac Reges Crucem venerati sint, longum referre. Quâ deinde veneratione Carolus Magnus Crucis effigiem Hadriano Papæ miserit, ab eoque vicissim acceperit, & quis tum cum origine Christianæ religionis per Saxoniam Crucis Christi cultus fuerit in templis, in altari, & in sacris locis, suprà relatum est.

Igitur sive Crux Christi accipiatur pro ligno in quo Christus pependit, & se ipsum Sacrificij causâ pro nobis obtulit, ut lib.4. c.12. Damascenus, alijque Patres loquuntur; sive pro effigie Crucis ad ejus similitudinem factâ, semper apud Christianos toto Orbe terrarum in veneratione fuit; sive etiam pro signo Crucis accipiatur, quo se Christiani signant in fronte, & quo Sacrificium Missæ, omniaque Sacramenta peraguntur, nihil hac cærimonia testatiùs apud omnes Patres & Concilia. *Horum omnium si legem expostules*, inquit Tertullianus, *Scripturam non invenies, traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo firmatrix, & fides observatrix.* Fatenturque non modò Protestantes in synodo Londinensi anno Christi MDCVII. absse congregata, sed & Wittakerus, Covellius, alijque complures Calviniani, ab ipsâ Apostolorum ætate apud Christianos in omnibus actionibus suis ac sacris Crucem Christi, & signum Crucis in honore, cultuque fuisse, admirantibus ethnicis & Judæis.

Nec sanè alij præter ethnicos & Judæos illusores, contemptoresque Crucis, quàm hæretici, quos inter Claudius Taurinensis imagines Crucis primùm execratus, teste *Jona Episcopo Aurelianensi lib.1:* Quam hæresin sub idem tempus professi Pauliciani, teste *Euthymio in Panoplia p.2. tit.21.* post illum *Petrus Bruis*, & *Henricus* quidam, unde *Petrobrusiani*, & *Henriciani* hæretici, teste Cluniacensi in Epistola contra eos prolixè scriptâ, sub idem tempus.

Eandem hæresin sparserunt, demum ante *Lutherum* & Lutheranos, *Joannes Wiclef* notus hæresiarcha, & magnus nostrorum sectariorum prodromus. Hos nunc auctores hujus tui dogmatis, contra omnem

antiqui-

antiquitatis traditionem, Concilia, Patres, consensumque orbis Christiani, tibi, ut in cæteris omnibus, sequi placet, & cum ijs egregius sannio, irrisorque esse, quàm Catholicæ per Orbem Ecclesiæ, majorumque doctrinæ, quam à Carolo Magno possidemus, inhærere. Universim de his ac similibus sapientissimè pronuntiavit D. Augustinus epist. 119. *Una in his saluberrima regula tenenda est, ut quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicunque institui vidimus, aut instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur.*

Habes nunc responsum ad Ostensionem tuam Historico-Theologicam, qua persuadere voluisti Carolum Magnum non ex integro Catholicum fuisse, sed magnam partem seu in quamplurimis, ut argumentum libri tui præfert, cum Lutheranis contra Catholicos sensisse. Excussi singula libri tui capita seu titulos, quibus hoc probare tentasti: sed nullum ego fidei dogma reperi, nec tu unquam produces, ex quo Carolum, vel in speciem Lutheranis contra Catholicos accessisse ostendes. Expendat nunc lector, conferatque nostra cum tuis falsis scriptis. Fecisti quod S. Augustinus dixit lib. 2. contra Manichæos, c. 25. *Omnes hæretici generaliter scientiæ pollicitatione decipiunt.* Scripsi prolixius, quàm res ipsa fortè postulabat, sed quia tu per omnes ferè controversias, & calumnias in Ecclesiam Catholicam grassatus es, sequi te & refellere oportebat. Quanquam in ijs nihil aliud feceris, quàm quod idem Augustinus lib. de utilit. credendi c. 1. de hæreticis sui temporis dixit: *Plus in refellendis alijs disertos, & copiosos esse, quàm in suis probandis firmos, & certos manere.* Quamobrem in contrarium obnixus Catholicorum doctrinam ex Scriptura, Concilijs, & Patribus, deinde ex Caroli Magni consentiente sententia exhibui, refutatis deinde ijs, quæ refutanda censui, quamvis non tam tua quàm aliorum sint, ex quibus exscripsisti. Nam tuum ingenium, & judicium non ad aliud sunt nata, quàm ut crambem, & ἰωλοκρασίαν nobis recoquas, & plebeis scurrilibusque dicterijs Pontifices, Episcopos, Clericos, Jesuitas, Monachos & laicos laceres, quocum nemo ingenuus & religiosus facilè componi vult. Si veritatem amas, intermitte hæc scommata, calumnias, & calumniandi libidinem: quære primò Ecclesiam quam lib. primo indicavi, cognitâ Ecclesiâ invenies verum Sacerdotium, & in eo veros Episcopos, Pastores, & Doctores,

PPPP quos

quos Christus constituit in Concilijs judices controversiarum, quos libro secundo monstravi, ut ab his verum Scripturæ sensum, & verbum Dei discas. Repertis Episcopis, & Sacerdotibus, quos Christus dedit dispensatores mysteriorum Dei, invenies verum sacrificium, & vera Sacramenta, veras ac Spirituales claves regni cælorum; de quibus tertio libro actum est. Ac demum ex his veram justificationem, quæ per Sacramenta mortuorum & vivorum obtinetur, justitiæ augmentum per bona opera, simulque verum cultum religionis, ac cætera quæ ad salutem vel necessaria vel salubria à Christo & Apostolis præscripta sunt. Extra Ecclesiam Catholicam nihil horum invenies. Augustinum hîc audias in psalmum 57. *In ventre Ecclesiæ veritas manet, quisquis ab hoc ventre Ecclesiæ separatus fuerit, necesse est, ut aut falsa loquatur, necesse est inquam, ut falsa loquatur, qui aut concipi noluit, aut quem conceptum mater excussit.* Rursum concione ad Catechum. c.20. *Apud Catholicam Ecclesiam dilectissimi noveritis esse veram fidem, germanam pacem, perpetuam salutem: nec enim in angulo est, sed ubique tota est: si quis ab eâ recesserit, atque hæreticorum errori se tradiderit, ut fugitivus servus judicabitur, non ut filius adoptivus; nec ad vitam æternam resurget, sed potius ad damnationem.* Verùm quia eo tempore Manichæi, Donatistæ, Ariani, cæterique hæretici veram apud se Ecclesiam reperiri populo persuadebant, uti modò Lutherani, Calvinistæ, Zwingliani, & omnes simul sectæ promittunt, monet fideles lib.15. contra Faustum Manichæum c.3. *Noli decipi nomine veritatis, hanc sola tu habes Catholica,* quam alloquitur, *Ecclesia, & in lacte tuo, & in pane tuo. In hac autem hæreticorum* videlicet ecclesia, *tantùm nomen ejus est, ipsa non est, quod grandibus verbis promittunt seductores ejus. Una enim Catholica Ecclesia est mater vera, pia mater & casta: non nos ab ista matre seducat nomen confictum, non nos Ecclesiæ species aliena decipiat.* Multa quidem communia habent acatholici cum Catholicis, præsertim Lutherani, qui antiquam Augustanæ confessionis formam sequuntur, non tamen ideo intra unam Ecclesiam sunt, in qua salus promissa est: quemadmodum de Donatistis, cum solùm schismatici adhuc censerentur, Augustinus scripsit sermone super gestis cum Emerito: *Salutem nemo potest habere, nisi in Ecclesia Catholica, extra Ecclesiam totum potest præter salutem. Potest habere honorem, potest habere Sacramentum, potest cantare Halleluja, potest respondere Amen; potest Evangelium*

tenere,

tenere, potest in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. fidem & habere & prædicare, sed nusquam nisi in Ecclesia Catholica salutem potest invenire. Lib. 4. de symb. cap. 10: *Si quis absque Ecclesia inventus fuerit, alienus erit à numero filiorum; nec habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem: nihilque ei valebit quod credidit, vel fecit tanta bona sine fine summi boni.* Eadem habet Epist. contra Parmenianum lib. 2. cap. 3. Hæc si Augustinus contra schismaticos pronuntiavit, quale judicium erit de ijs, qui non modò ab Ecclesia per hæresin desciscunt, sed & tot maledictis, calumnijs, mendacijs, & injurijs per famosa scripta, ex quibus liber tuus consutus est, Ecclesiam & Sponsam Christi lacerant? *Qui conturbat vos, judicium portabit, quicunque est ille,* monet Apostolus ad Gal. c. 5. Et quale judicium erit illis, qui tot populi animas per fallacias seducunt, & *veritatem Dei in injustitia detinent?* Si quid acerbius tibi responsum, tibi imputes. Tu provocator es, & perpetuus in Ecclesiam Catholicam, in Pontifices, Episcopos, Sacerdotes, Clericos & Monachos, omniaque Catholicorum sacra & ritus calumniator: liberè tu & licenter hæc facis, quia extra Ecclesiam Catholicam es, tametsi *de jure* ad Episcopi Paderbornensis spiritualem jurisdictionem locus spectet, in quo præconem, scriptorem, & irrisorem agis: non aliter quàm S. Augustinus de vobis scribit lib. 16. de Civitate Dei cap. 2. *Cham, qui interpretatur callidus, medius Noë filius, tanquam se ab utroque discernens, & inter utrumque remanens, nec in primitijs Israëlitarum, nec in plenitudine gentium, quid significat? nisi hæreticorum genus callidum, non spiritu sapientiæ, sed spiritu versipellis astutiæ, quo solent hæreticorum fervere præcordia, & pacem perturbare sanctorum.* Scribe tu imposterum quantum voles, donec omnem calumniandi libidinem expleveris, mihi tecum respondendi negotium non erit, nisi & à calumniandi libidine te contineas, & digna refutatione adferas: nam quæ ex alijs exscribis, etsi tibi fortè nova videantur, jam centies tamen explosa sunt. Et cui bono, aut quo lectoris fructu, gustuve crambem illam toties recoquimus? Neque hæc egò reposuissem, nisi Carolus Magnus nobis, cujus res gestas per Saxoniam tractamus, à tuis injurijs & mendacijs liberandus fuisset. Magno id Regi Francorum & Imperatori Carolo debebatur, quem Paderbornensis Ecclesia, & primi per Saxoniam Episcopatus suum conditorem, fundatoremque inter Divos venerantur; ex quo deinde omnes Impera-

tores & Francorum Reges cum omni gente suâ, non aliam quam Catholicam religionem coluere. Id cùm ex omnibus antiquitatum monumentis jam commonstratum sit, tum id auctor vetustus, & æqualis eorum temporum, quo Franci primùm Baptisma, & Christi religionem suscepêre, præfatione ad legem Salicam altiùs arcessit, *Gens*, inquit, *Francorum inclyta, auctore Deo condita, fortis in armis, profundaque in consilio, firma in pacis fœdere, corporea nobilis in columna, candore & forma egregia, audax, velox, & aspera, ad Catholicam fidem nuper conversa, immunis quidem ab omni hæresi: dum adhuc ritu teneretur barbarico, inspirante Deo inquirens scientiæ clavem, juxta morum suorum qualitatem desiderans justitiam, & custodiens pietatem, dictavit Salicam legem. At ubi Deo favente Rex Francorum Chlodoveus, florens & pulcher, & inclytus primus recepit Catholicum baptismum, & deinde Childebertus & Chlotarius in culmen regale Deo protegente pervenere, quidquid in pacto habebatur minus idoneum per illos fuit lucidiùs emendatum, & sanctiùs decretum.* VIVAT QUI FRANCOS DILIGIT, CHRISTUS EORUM REGNUM CUSTODIAT, RECTORES EORUNDEM LUMINE SUÆ GRATIÆ REPLEAT, EXERCITUM PROTEGAT, FIDEI MUNIMINA TRIBUAT, PACIS GAUDIA, ET FELICITATIS TEMPORA, DOMINANTIUM DOMINO JESU CHRISTO PROPITIANTE CONCEDAT. *Hæc est enim gens, quæ parva dum esset numero, fortis robore & valida, durissimum Romanorum jugum de suis cervicibus excussit pugnando, atque post agnitionem Baptismi Sanctorum Martyrum corpora, quæ Romani vel igne concremaverunt, vel ferro trucidarunt, vel bestijs laceranda projecerunt, Franci reperta auro & lapidibus pretiosis ornaverunt.*

Hæc nimirum illa Francorum gens est, quæ à prima sui origine ex his Westfaliæ regionibus orta, perrupto Rheni limite, ejectisque Romanis Galliam occupavit, cùm adhuc barbara esset. Uti id in Monumentis Paderbornensibus à *Ferdinando* Episcopo commonstratum est. Hæc illa gens, quæ cum Clodoveo Rege primùm Baptismum & Christianam religionem suscepit, atque exinde ferventissimè coluit, quorum Reges ob de-

ob defensionem Apostolicæ sedis Romanæ, & ingentia in Ecclesiam Catholicam merita Christianissimi titulo decorati sunt, ex hac nobilissima Francorum gente majores Caroli Magni, & ex horum Regum sanguine Carolus Magnus, ut suprà à nobis relatum est: nec aliam Carolus Magnus debellatis horum locorum barbaris religionem in Westfaliam, Saxoniamque per Episcopos, Sacerdotes, Monachos, cæterosque Apostolicos viros intulit, quam post Clodoveum cæteri Francorum Reges, & tota gens Francica à D. Remigio & sanctissimis Galliarum Episcopis & pastoribus edocti sunt, & illi ab Apostolorum ævo, & ab Apostolorum discipulis acceperunt, atque inde in Gallia, Franciaque per continuam ad Carolum Magnum successionem Episcoporum, & Sacerdotum coluerant: quâ deinde nunquam ruptâ successione, & incorruptâ doctrinâ, religio à Carolo Magno ad Lutherum usque per Saxoniam intaminata constitit, manetque etiamnum ijs in locis ubi per Episcopos & Principes imperij Catholicos, majorum religio in suis diœcesibus & provincijs conservatur. Et si à Carolo Magno prima Christianæ religionis exordia repetamus, omnia hæc vel inde nobis gratiora & illustriora esse debent, quòd à Carolo Magno ac Francis, quos à primâ origine Rhenum inter & Visurgim regionum incolas & indigenas fuisse constat, invecta fuerit.

Sanè verò, quemadmodum Angli & Saxones harum regionum olim barbari in Britanniam classe provecti regnum illud occuparunt, ac postquam ab Episcopis & Sacerdotibus ejus regni edocti, Christi sacra amplexi sunt, ex ijsdem populis jam Christianis rediere Apostolici viri, D. Willibrordus, Suibertus, Bonifacius, alijque innumeri Sacerdotes, à quibus Frisia, & vicinæ nobis provinciæ primùm ad Christi fidem adductæ sunt, unde majores eorum olim orti erant, ideóque per nativi sermonis commercia populares suos docere poterant: ita prorsus divinâ providentiâ Carolus Magnus ac Franci postliminiò in nativas gentis suæ sedes & provincias Christi religionem introduxerunt, atque ubi majores eorum vitalem spiritum olim hauserant, illò salutaris, veræque vitæ spiritum per fidei lumen retulerunt; miserati nimirum gentis suæ, ex qua orti erant, cæcitatem, quam inanium deorum cultu, & dæmonum ludibrijs miserè dementatam perire videbant. Quo divino munere, uti gentibus illis nihil felicius evenire poterat, ita nihil à Francis hoc bene-

ficio majus suis popularibus reddi potuit. Nunc cum ab avita majorum religione descitum sit, majorque pars Saxonum à Carolo Magno ad Lutherum & Calvinum transierit, haud aliud votum est nostrum, quàm ut corda Patrum convertantur ad filios, & filiorum ad Patres; & quas gentes Spiritus sanctus congregavit in unitatem fidei, has ad unam Christi Ecclesiam, uniusque religionis concordiam revocet; nec enim extra illam salus promissa est.

Hoc cùm Scripturæ & Concilia, tum Patres nos docent. Augustinus Epist.151. ad populum factionis Donatistarum: *Quisquis ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod à Christi unitate disjunctus est, non habet vitam, sed ira Dei manet super eum.* Quo judicio, Ambrosius in c.17. Lucæ, tria genera hominum à consortio magnæ illius cœnæ pronuntiat excludi, *Gentilium, Judæorum, & hæreticorum.* Formidabile illud quod S.Fulgentius scribit c.38 & 39. *Firmissimè tene, & nullatenus dubita, quemlibet hæreticum, & schismaticum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizatum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantascunque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari: omni enim homini, qui Ecclesiæ Catholicæ non tenet unitatem, neque Baptismus neque eleemosyna, quamlibet copiosa, neque mors pro Christi nomine suscepta, proficere poterit ad salutem, quamdiu in eo hæretica & schismatica pravitas perseverat, quæ ducit ad mortem.*

CAPVT XIII.

CENTO LVTHERANVS,

SEU

Lutherana Religio, in quantum Lutherana, ex antiquis et damnatis hæresibus est composita, et consarcinata.

ABsolvimus *Carolum M. Romano-Catholicum*, quem adversarius nobis per mixturam religionis Catholico-Lutheranum facere voluit. Primum nullam dicit compositionem diversæ religio-

religionis, quando Romana & Catholica religio una atque eadem prorsus est, ut suprà lib. 1. c. 8. commonstratum est. Alterum fœdam dicit mixturam veritatis cum falsitate; nec aliud est, quàm aurum cum luto commiscere, eundemque Carolum velle optimum Catholicum, & pessimum simul hæreticum facere. Quod sanè tanto calumniosius & injuriosius est asserere de *Orthodoxo Imperatore* (quo titulo sepulchrum ejus inscriptum est) quanto certiùs constat Lutheranam religionem, in quantum dissidet à Catholicis, nihil esse aliud (ut verbo Lessij utar) quàm *colluviem antiquarum, & damnatarum hæreseôn*. Id nunc, reflexo in te totius tuæ scriptionis argumento, quomodo se habeat, per inductionem, quod certissimum est probandi genus, demonstremus.

I. Docent Lutherani cum suo Luthero: *Solâ fide justificari homines, eamque sufficere ad salutem; nec proinde opera bona ad salutem necessaria esse.* At hæc fuit hæresis *Simonis magi*, teste Irenæo lib. 1. c. 20. Eadem deinde fuit hæresis *Eunomij*, & *Eunomianorum*, quæ secta *Arianorum* erat, circa annum Christi 360. uti hoc D. Augustinus scribit lib. de hæresibus, hæresi 54. & in alijs libris, quibus multum hanc hæresim oppugnat, ac detestatur.

II. Docet Lutherus: *Nullam esse homini libertatem arbitrij*, idque Lutherus assert. 36. affirmat esse præcipuum suæ religionis fundamentum. At illa fuit olim hæresis *Simonis magi* teste Clemente lib. 3. Recog. fuit deinde *Valentini* hæresiarchæ, & *Manichæorum*, teste Augustino hæresi 11. & hæresi 41. teste quoque Hieronymo in Prologo contra Pelagianos: *Manichæorum est damnare naturam, & liberum auferre arbitrium.* Eadem postea hæresis fuit *Wiclefi*, ut constat ex Concil. Constant. sess. 8.

III. Docet Lutherus: *Legem Dei esse impossibilem*. Nam lib. de libertate Christianâ inquit: *Æquè impossibilia nobis sunt omnia præcepta, atque illud unum, Non concupisces.* Idem Augustana confessio docet art. 6. Idem Apologia titulo de impletione legis: idem *Melanchthon* in locis, *Kemnitius*, & passim Lutherani, perinde ut *Calvinus* etiam *lib. 3. instit. c. 14.* Sed hæc olim fuit hæresis *Pelagianorum*, aliorumque hæreticorum, aut impiorum Christianorum: contra quos *Arausicanum* Concilium, Basilius, Chrysost. Hieronym. Augustinus, alijque Patres scripserunt. Imò S. Cyrillus lib. 3. contra Julianum asserit, præceptum *Non concupisces*, quod omnium difficillimum judicatur, per gratiam Dei servari posse.

IV. Do-

IV. Docet Lutherus lib. de captivitate Babylonica: *Habenti fidem, nihil obesse peccata, quantumlibet multa & gravia illa fuerint, quod horum omnium malitia non imputetur credenti.* Hoc illud Lutheri lib. citato cap. de Euchariſt. *Tam dives eſt Chriſtianus homo, ut non poſſit perire, etiamſi velit, quantumcumque malè vivat, niſi nolit credere.* Idem Lutherani docent ex juſtitia ſua imputativa. Verùm hæc ipſa fuit hæreſis *Eunomianorum, Baſilidis* & *Carpocratis* teſte Irenæo lib. 1. c. 23. & 24. Sanè de Eunomianis S. Auguſtinus lib. de hæreſibus c. 54. teſtatur eos docuiſſe: *Non poſſe ulla peccata homini nocere, modò fidem habeat.* Additque lib. de fide & operibus hanc hæreſin à tempore Apoſtolorum exortam eſſe, contra quam ob id cæteri Apoſtoli Epiſtolas ſuas intenderint.

V. Docet Calvinus, & Lutherus: *Deum eſſe cauſam peccatorum.* Calvinus *lib. 1. inſtit. c. 18.* Lutherus *lib. de ſervo arbitrio*, Melanchthon *Comment. in c. 8. ad Rom.* Uterque enim ſcribit, ita proditionem Judæ, uti converſionem Pauli fuiſſe opus Dei. Hæc verò fuit hæreſis *Florentini*, quam idcirco Irenæus apud Euſebium lib 5. c. 20. dicebat plus eſſe quàm hæreſin: idem Simoni mago attribuitur à Vincentio Lerinenſi.

VI. Docet Lutherus, Melanchthon, & paſſim Lutherani: *Peccatum originale eſſe ipſam corruptionem naturæ, ſive concupiſcentiam, qualis remanet in renatis; nec tolli per Baptiſmum.* Uti hæc multis à Bellarmino refutantur *lib. 5. de amiſſ. gratia, & ſtatu peccati c. 4. & 5. & lib. 4. de notis Eccleſiæ c. 9.* alijſque Catholicis Theologis: atque hæc ipſa fuit hæreſis *Procli* hæretici apud Epiphanium hæreſi 64. *Meſſalianorum* apud Theodoretum lib. 4. de fabulis hæreticorum.

VII. Docet Lutherus cum ſuis: *Inter Epiſcopum & Presbyterum nullum eſſe diſcrimen:* eâdemque poteſtate præditos eſſe Sacerdotes ſeu comminiſtros, quâ Epiſcopos. Lutherum ſecutus *Kemnitius* in Exam. Concilij Tridentini ad ſeſſ. 23. *Calvinus* lib. 4. c. 4. ac paſſim Calviniſtæ cum Lutheranis. Hæc vero antiqua eſt *Aërij* & *Aërianorum* hæreſis teſte Epiphanio *hæreſi 75.* & Auguſtino *lib. de hæreſibus c 53.*

VIII. Lutherus ultrò progreſſus docuit: *Omnes Chriſtianos naſci Sacerdotes*, nixus illo Petri dicto: *Vos genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta.* Proinde non aliud requiri ad Sacerdotium, quàm electionem populi, & deputationem Magiſtratus. Hinc aſſertione 13. (quæ una eſt ex ijs, quas Leo X. Pontifex damnavit) Lutherus profitetur æquè *mulie-*

mulierem posse absolvere à peccatis, atque *Episcopus*, aut ipse *Papa Romanus*. Et quid hæc hæresis aliud sapit, quàm *Peputianorum* hæresin? de quibus Augustinus lib. de hæresibus cap. 27. *Tantum dant mulieribus principatum, ut Sacerdotio quoque apud eos honorentur.*

IX. Lutherus, & Lutherani ex septem Ecclesiæ Sacramentis, duo reliquerunt Baptismum, & Eucharistiam, reliqua sustulerunt: sed duo illa Sacramenta non sine magno vulnere reliquerunt suis. Nam primò, Baptismo primarium effectum detraxerunt, remissionem videlicet peccati originalis: tum quòd peccatum, originale ponant in concupiscentia, quæ Baptismo nòn tollatur; tum quòd primarium hujus Sacramenti effectum attribuant fidei justificanti tam in pueris, quàm in adultis. Alterum cum *Messalianis* hæreticis, alterum cum *Eunomianis* commune habent, ut suprà relatum est. Deinde in Eucharistiæ Sacramento Lutherani docent Christum tantùm præsentem esse in sumptione, quæ *Nestorianorum* hæresis fuit, docentium: *in Eucharistia non manere corpus Christi, si servetur in alterum diem.* Quos ob id Cyrillus Epistola ad Calosirium insanire scribit. Ne quid hìc dicam de potestate Ordinis sublata à Lutheranis, cujus defectu nihil conficiunt in cœna sua: quo in genere plerosque antiquos hæreticos habent auctores.

X. Lutherus Sacramentum Confirmationis sustulit, lib. de Captivitate Babylonica. Lutherum secutus Melanchthon *in locis*, & in capite *de Confirmatione*, ac cæteri Lutherani; Calvinus lib. 4. instit. c. 19. & cum eo Calvinistæ. Hujus verò hæresis auctores habent primò *Novatianos* teste Theodoreto, lib. 3. de hæret. fabulis: additque ob id *Novatianos* in Ecclesiam receptos, solitos fuisse inungi à Patribus. Eadem *Donatistarum*, & *Arianorum* hæresis fuisse censetur: quos constat ex Optato Milevitano Chrismatis fuisse contemptores. Post illos, *Waldenses*, teste Æneâ Sylvio in hist. Bohemica c. 35. Demum *Wiclef*, & *Wiclefistas*, qui teste Thomâ Waldensi, unctionem Chrismatis abjecerunt.

XI Lutherus, & Lutherani Pœnitentiæ Sacramentum sustulerunt. Idem fecerunt *Novatiani*, de quibus Theodoretus lib. 3 de fab. hæreticorum: *Novatiani Pœnitentiam à suo conventu arcent penitus*. Docebant nimirum nullam esse in Ecclesia potestatem reconciliandi, præter Baptismum, quod Lutherani soli fidei suæ justificanti tribuunt, neque ipsi quidem Baptismo hanc potestatem relinquunt, tanto Novatianis

peiores. Quam hæresin idcirco acerrimè oppugnarunt SS Patres, Cyprianus, Pacianus, Ambrosius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, alijque eorum temporum scriptores.

XII. Lutherus sustulit ex Ecclesia sacræ Unctionis Sacramentum, *lib. de Captivitate Babylonica.* Ac tametsi *ritum* adhuc probaret, pòst tamen Lutherani cum *Sacramento ritum* etiam proscripsere, ridentque hunc *Kemnitius* in 2. parte Exam. *Melanchthon* in locis tit. de extrem. unct. *Brentius* in Confess. Wirtenb. *Magdenburgenses* & passim *Lutherani* omnes cum *Calvinistis.* At hujus suæ hæresis auctores habent primùm *Waldenses*, de quibus Æneas Sylvius de orig. Bohem. 2. *Albigenses* teste Antonino p.4. tit.11. c.7. *Wiclefum* hæresiarcham, teste Waldensi lib.4. Trialogi c.25.

XIII. Sustulit Lutherus Ordinationem ex numero Sacramentorum, & cum eâ omnem potestatem Ordinis & Jurisdictionis. Lutherum secuti Kemnitius cæterique Lutherani: in hac hæresi tot auctores habet Lutherus, quot hæresiarchas & hæreticos, nam extra Catholicam Ecclesiam nullum est verum Sacerdotium, nec potestas Ordinis præter eos, apud quos aliquamdiu permansit successio. Inde Cyprianus epist. 6. *Dicimus omnes omnino schismaticos, & hæreticos nihil habere juris ac potestatis in Ecclesia.* Ordinis quoque Sacramentum sustulerunt Messaliani, asserendo, in Clericorum ordinatione Spiritum S. non suscipi, teste Damasceno de hæret. Idem Tanchelinus hæreticus docuit, cujus nefariam hæresin S. Nortbertus damnavit, ita auctor vitæ S. Nortberti.

XIV. Lutherus postquam Matrimonium sustulit ex numero Sacramentorum, docuit Matrimonium non modò ob fornicationem, sed ob alias etiam multas causas quoad vinculum dissolvi posse, ita libro à se scripto in caput 7. 1. ad Corinth. item in alio libro de causis Matrimonij. Lutherum secutus Melanchthon in locis Theologicis, Kemnitius in 2. p. exam. de quibus Bellarm. lib.1. de Matrimonio c.15. Hujus erroris patronos habet Lutherus Græcos schismaticos, qui postquam à Romana Ecclesia desciverunt, idem docuerunt: Testis Guido *in summa de hæreticis.* Huic errori annectit Lutherus alium, docetque in c.7. ad Corinth. 1. statum Matrimonij Virginitate præstantiorem esse: *Oportet*, inquit, *admittamus mulierem conjugatam coram Deo præstare Virginibus:* additque statum conjugalem in comparatione cum statu religiosorum

rum

rum esse *aurum*, religiosorum verò *lutum*. Similia habet Augustana confessio art.23. Hinc exosus & proscriptus est apud Lutheranos *cœlibatus Cleri*. At hæc *Joviniani* est *hæresis*, jam diu damnata: quanquam is hosce duos status æquales tantùm inter se merito dicat, quâ falsâ doctrinâ aliquot Sanctimoniales ad nuptias seduxit: Testis hujus Hieronymus *lib.1. & 2. contra Jovinianum*, Augustinus *lib. de hæres. c.82.* Deinde hæc ipsa *Vigilantij* est *hæresis*, qui docuit omnes Ecclesiasticos debere esse uxoratos, teste Hieronymo *lib. adversus Vigilantium hæresiarcham*.

XV. Docet Lutherus Ecclesiam per mille annos defecisse à fide, ac solùm penès occultos quosdam, & justos remansisse, qui non consenserunt Pontificum, & Episcoporum doctrinæ: illam verò Ecclesiam visibilem quæ sub Papa, Episcopis, Clericis ac Monachis fuit, & totam illam Catholicorum multitudinem falsam fuisse Ecclesiam. ita Lutherus *lib de servo arbitrio ad Erasmum*, *lib. contra Catharin.* & *libro de abroganda Missa*. Ita *Magdenburgenses*, *Philippus Melanchthon*, *Brentius*, & omnes Lutherani cum Calvino & Calvinistis. Atqui hæc hæresis fuit *Donatistarum* asserentium, Ecclesiam ex solis justis constare, eamque ex toto orbe terrarum perijsse, & in sola Africa remansisse, teste Augustino *lib. de unitate Ecclesiæ cap.12.* Optato Milevitano, alijsque Patribus.

XVI. Nullum in Ecclesia Catholica Lutherus magis est insectatus & detestatus, quàm Romanum Pontificem: & quem Catholici *Vicarium Christi*, & *Petri successorem* colunt, ille inter cæteras & immanes calumnias *Antichristum* esse docuit, *lib. de tractatione temporum*, *in assert. art 28.36.* & passim in omnibus scriptis suis: quâ etiam maledicentiâ *Primatum Petri*, ac *Sedem Romanam & Apostolicam* tractat. Lutherum secuti Magdenburgenses *Centuria 1. lib. 2. c.4.* Illyricus *de Primatu Ecclesiæ*, Chytræus *in cap 9. & 13. Apocalypsis*, & passim Lutherani cum Calvino *lib.4. Instit. c.7.* & Calvinistis: atqui hæc ipsa fuit *Donatistarum* rabies & hæresis, qui Pontifices Romanos & Episcopos appellabant *Pharisæos*, ac sedem Romanam calumniabantur *esse cathedram pestilentiæ*, teste Augustino *lib. 2. contra Petilianum c.51. & 61. lib.3. cap. 40. Epistola 163.* & alibi passim; idem furor fuit *Berengarij hæresiarchæ*, qui Romanum Pontificem solitus appellare *Pompificem* & *Pulpificem*; idem *Waldensium*. qui Romanam sedem *purpuratam meretricem*; idem Wiclefi, & *Wiclefistarum*, qui *synagogam satanæ* vocabant. Oppone his *SS. Patres*

tam magnificè de Romano Pontifice scribentes, & videbis quo spiritu hæresis, & Lutherani agantur.

XVII. Lutherus institutum Monachorum, & vota Religiosorum ubique damnat, *lib. de votis Monasticis*, in obscæno Epithalamio suo, imo in cap. 7. ad Corinth. 1. scribit, qui cælibem vitam in Monasterijs ducunt, eos omnes *idolo Moloch* corpora sua cremare: Luthero inhærent Lutherani omnes, quod vel ex confessione Augustana *art. 6. de votis Monachorum*, & Apologiâ nulli obscurum esse potest. Quos verò hujus hæresis antesignanos habent? nisi *Circumcelliones* hæreticos, de quibus Augustinus, *in psalmum 132.* calumniantes hoc vitæ genus, dicentesque: *Quid sibi vult Monachorum nomen?* Deinde *Donatistas*, de quibus idem Augustinus *lib. 3. adversus Petilianum cap. 4. Perrexit ore maledico Donatista ille in vituperationem Monasteriorum & Monachorum, etiam me arguens, quòd hoc vitæ genus à me institutum fuerit.* Postea *Arianos*, qui teste Ruffino *lib. 11. historiæ c. 3.* in Monachos, & Anachoretas primam rabiem effudêre. Horum dux *Lucius Arianus* episcopus, *Arma furoris in monasteria convertit, vastat eremum, & bella quiescentibus indicit: ter mille simul, aut eo ampliùs viros per solitudinem dispersos oppugnat & mactat.* Solus ibi *Lutherus* deerat, *Lucij* satelles. Quid nisi *Valentem* Arianum Cæsarem, quid nisi *Copronymum* in sanctos Monachos debacchantem hæresis vestra desiderat? aut *Wiclefum* Lutheranorum tubam, qui Monachorum & religiosorum Ordines nonnisi à diabolo in Ecclesiam introductos docuit, qui Augustinum, Benedictum, Bernardum ad inferos usque damnatos scripsit, quòd aut Monachi, aut Monachorum Patres fuerint. Hi vestri Doctores & Patroni. Contrà, si Catholicos consulas, tot præcones hujus cælestis vitæ, quot sanctos Patres; tot antiquitatis testimonia, quot per orbem Catholicorum cænobia; tot sanctimoniæ exempla, quot Sanctorum sidera, & Ecclesiæ lumina aspicias.

XIIX. Lutherus Sacrificium Missæ abrogavit, non alio, (ut ipse fatetur) magistro & doctore, quàm diabolo, à quo in disputatione convictus fuit: inde *libro de abroganda Missa, lib. de Missa privata*, Missam vocat *commentum Papisticum, abominationem, sacrilegium, & idololatriam.* Lutherum in abroganda Missa secuti sunt omnes Lutherani, & Calvinistæ cum suo Calvino. Quos verò hujus hæresis auctores ante se habent,

habent,nisi primùm *Donatistas?* quos S. Augustinus *lib. 2. & 3. contra Petilianum, Epistola 163.* Optatus Milevitanus *lib. 2. & 6. contra Parmenionem,* & historici scribunt *fregisse altaria, spoliasse Ecclesias, sacros calices quibus sacrificatum, vendidisse, sacrum Chrisma projecisse.* Similiter sacrificium Missæ improbarunt *Pseudoapostolici, Bogomili,* Waldenses, *Lollardi,* Wiclef, teste Euthymio, Petro Cluniacensi, Trithemio in Chron. Hirsav. Demum magnum patronum habebunt in *Antichristo,* qui Dan. 8. & 12. *Juge* hoc *Sacrificium ablaturus* scribitur. Testantur id Patres, & interpretes.

XIX. Lutherus ex verbo Dei scripto, & Canone Scripturæ sustulit librum Tobiæ, Judith, Sapientiam, Esther, Ecclesiasticum, Libros Machabæorum: ex novo testamento Epistolam ad Hebræos, secundam Petri, duas Joannis postremas, Epistolam Judæ, & Jacobi, Apocalypsin. Quanta strages! Ex Evangelijs solùm S. Joannis probavit esse pulchrum, tanquam cætera facilè rejecturus. Luthero passim inhærent Lutherani. Quos hîc ex antiquis hæreticis habent duces? *Ebionitæ* solùm Evangelium S. Matthæi, *Cherintij* solùm Marci, *Marcionitæ* solùm Lucæ recipiebant: *Alogiani* Evangelium S. Joannis, *Ebionitæ* Epistolas S. Pauli abjiciebant: *Manichæi* teste Augustino *de bono Pers.* ita *Scripturas accipiebant, ut suo quodam privilegio, imò sacrilegio, sumerent quod vellent; abjicerent quod nollent.* Ijdem *Evangelia novi Testamenti* docebant scripta esse ab impostoribus, quos S. Augustinus ex perpetua Ecclesiæ traditione refutat, & Canonem nostrum *lib. 2. de doct. Christ. c. 8.* percenset.

XX. Lutherus verbum Traditum, omnesque Traditiones tollit, & solis Scripturis omnia vult contineri, quæ credantur aut serventur. Nam ita in cap. 1. ad Galatas: *Neque alia,* inquit, *doctrina in Ecclesia tradi, aut audiri debet, quàm purum verbum Dei, hoc est, sancta Scriptura; Doctores, vel auditores alij cum sua doctrina anathema sunto.* Lutherum sequuntur *Brentius, Kemnitius, Hammelmannus,* & passim omnes Lutherani, & Calvinistæ cum suo Calvino *lib. 4. Instit. c. 8.* Quibus accedit Augustana confessio cum Apologia. Verùm hæc eadem fuit hæresis *Arianorum,* ut constat ex D. Augustino *lib. 1. contra Maximum.* Eadem fuit *Nestorij, Dioscori,* & *Eutichetis,* ut habetur in septima Synodo *Actione 1.*

XXI. Docet Lutherus *non esse purgatorium, nec orandum pro mortuis.*

tuis. Ita Lutherus lib. de abroganda Missa, & lib. ad Waldenses: *Cùm*, inquit, *negatis purgatorium, damnatis Missas, Vigilias, cœnobia, monasteria, & quicquid per hanc imposturam erectum est: quæ per omnia etiam probo.* Lutherum sequuntur *Centuriatores*, *Philippus Melanchthon* de satisfactione, *Brentius* in Confess. Wirtenb. de Purgatorio, & passim omnes Lutherani cum Zwinglianis, Calvinistis, & anabaptistis. At hæc fuit hæresis *Aërij* teste Epiphanio *hæresi 75*. Augustino *hæres 53*. Docuit enim *Aërius* viventium Sacrificia, orationes, eleemosynas, & jejunia nihil prodesse defunctis. Hæc postea hæresis fuit Waldensium, teste Gvidone *in summa de hæret.* & B. Antonino *4. p. tit. 11. c. 7.* Eadem fuit *Apostolicorum* apud S. Bernardum *serm. 66. in Cant.* Eadem *Petro-Brusianorum* fuit, teste S. Bernardo Epist. 240. Petro Cluniacensi *Epist. ad Episcopos.* Eadem *Wiclefistarum* fuit teste Bernardo Lutzenburgensi.

XXII. Docet Lutherus: *Sanctos nec colendos nec invocandos esse.* Imò Lutherus *serm. de Natali B. Virginis* audacter scribit: *Se non pluris facere preces B. Virginis, quàm cujuslibet è populo, propterea quod omnes æquè sancti & justi sint, atque ipsa Virgo Maria, cæterique Divi, quantumvis magni.* Hanc præterea falsam doctrinam, tum alibi, tum *libro ad Waldenses* tradit Lutherus: quam sequitur Apologia Augustanæ Confessionis *art. 21.* Brentius, Magdenburgenses: quod commune omnium Lutheranorum est dogma, cum Calvino & Calvinistis, reliquisque sectarijs. Prima de cultu Sanctorum fuit hæresis *Eustathij* apud Socratem *lib. 2. c. 33. Eunomij*, & *Vigilantij* apud Hieronymum, *Claudij Taurinensis*, apud Ionam Episcopum Aurelianensem, *Wicleff* apud Thomam Waldensem *tom. 3. de Sacram. tit. 13.* Altera de invocatione Sanctorum fuit denuò hæresis *Vigilantij* hæresiarchæ asserentis, post mortem nullius pro alio orationem exaudiri, ideoque Sanctos mortuos non orare pro vivis; Testis est Hieronymus *lib. adversus Vigilantium.* Apertiùs hanc hæresin professi sunt *Henriciani, Petro-Brusiani, Apostolici, Wiclef*, & *Wiclefistæ, Taboritæ, Hussitæ*, de quibus S. Bernardus, B. Antoninus, Thomas Waldensis, Æneas Sylvius, alijque scriptores.

XXIII. Docuit Lutherus: *Reliquias Sanctorum non esse venerandas.* Nam in serm. de Cruce apertè profitetur Reliquias esse fidelium seductiones, altissimèque sub terram esse condendas. Quam doctrinam cæteri posteà Lutherani arripuerunt, & in hanc diem mordicùs retinent: sed

sed & illa antiqua *Eunomij*, & *Vigilantij* fuit hæresis, teste Hieronymo *lib. contra Vigilantium*, & post illos *Constantini Copronymi*, qui teste Suida in ejus vita, jussit omnes Sanctorum Reliquias aboleri. Eâdem hæresi laboravit *Claudius Taurinensis*, ut scribit Ionas Aurelianensis *lib. 1. de cult. imag.* Eandem & *Wiclef* resuscitavit.

XXIV. Damnant Lutherani cultum Imaginum, ex quo *Carolostadius* Lutheri discipulus hunc primùm improbavit, teste Cochlæo: accessit Lutherus, eundemque cultum improbavit, pòst cæteri ferè Lutherani omnes cum Melanchthone, & Magdenburgensibus. Atqui hæc *iconomachorum* fuit hæresis, sub *Leone Isauro* & *Copronymo*, teste Zonarâ, Cedreno, Nicephoro, & Synodo VII. Nicænâ. Post illos *Claudius Taurinensis* Ludovico Pio Imp. imagines, & Cruces omnes è templis sustulit; homo imperitus & superbus, ut Ionas Aurelianensis hæc scripsit. Inde sopita hæc hæresis jacuit ad tempora *Lutheri*.

XXV. Docet Lutherus nullâ lege Ecclesiasticâ obligari fideles ad certa quædam jejunia, nec ad ciborum abstinentiam: Docet id Lutherus de libertate Christiana, Melanchthon in Apologia Augustanæ confessionis art. 26. Brentius in Confessione Wirtenbergensi, ac Lutherani omnes cum Calvino & Calvinistis. Hinc abrogarunt Quadragesimam cæteraque Ecclesiæ jejunia. Et quos hîc alios habent auctores, quàm *Eustathianos*, & *Aërianos* hæreticos jejunia damnantes? teste Socrate *lib. 2. Hist. c. 33.* Epiphanio *hæresi 75.* cæterosque hæreticos?

XXVI. Lutherus post sublatam Clavium potestatem sustulit quoque confessionem peccatorum Sacerdoti faciendam: nam *libro de captivitate Babylonica* docet, non posse eam probari ex Scriptura. 2. Non esse necessarium omnia confiteri Sacerdotibus; *Serm. de Confess. & Euch.* docet eam à Papa esse institutam, ita Melanchthon in Apologia & Lutherani passim, sed hæc ipsa est hæresis *Montanistarum* & *Novatianorum*, de qua Hieronymus ad Marcellam, deinde *Wiclefi*, *Flagellantium*, & aliorum hæreticorum.

XXVII. Lutherus Christianos ab omni lege Ecclesiastica absolvit, nam ita lib. de Captivitate Babylonica: *Christianis nihil in ullâ re legum imponi potest, sive ab hominibus, sive ab Angelis, nisi quantum volunt: liberi enim sunt ab omnibus* Lib. de falso statu Ecclesiast. *Nulla*, inquit, *est potestas Ecclesiastica*. At hæc *Lampetianorum* fuit hæresis, teste Damasceno

mascenode hæresibus. Eadem *Begardorum* teste Clemente V. *de hæres.* Eadem *Joannis Hus, & Hussitarum* fuit *art.12.* damnata in Concil. Constantiensi.

XIIX. Lutherus judicium Ecclesiæ in controversijs fidei, Conciliorum, & Patrum auctoritatem rejicit: hinc libro ad Regem Angliæ scribit: *se non curare mille Augustinos, mille Cyprianos.* Et quàm contemptim de singulis censet? Hic omnium Lutheranorum & sectariorum est error & hæresis, dum suomet judicio subnixi Scripturas ad hæreses suas detorquent. Hæc *Arianorum* & omnium antiquorum perversitas fuit. Hoc seminarium omnium hæreseôn.

XXIX. Lutherus sustulit Hierarchiam Ecclesiæ, potestate regendi Ecclesiam à Pontifice & Episcopis ad sæculares Principes translatâ, id cùm plurimis in locis, tum lib. de Captivitate Babylonica docet: *Dico itáque: neque Papa, neque Episcopus, neque ullus hominum habet jus ullius syllabæ constituendæ. Papatus nihil aliud est, quàm regnum Babylonis, & veri Antichristi.* Quæ insania fuit omnium hæresiarcharum & hæreticorum: unde tot hæreses enatæ, quot hæreseôn capita; & tot hæreses, quotquot se ab Ecclesiæ Hierarchica potestate & judicio subtraxerunt.

XXX. Lutherus proscripsit ex Ecclesia Cœlibatum, jure Apostolico sacris Ordinibus annexum, & liberum fecit matrimonium Clericis non modò ante sacros Ordines, sed post eosdem etiam susceptos, tam Episcopis, quàm Sacerdotibus, & quod multo fœdius est, etiam Monachis & Monialibus post solemnem perpetuæ castitatis professionem, idque depravatissimo suo exemplo. Quod vel ipsi Saxoniæ Duci, & Lutheranis principiò displicuit: uti hæc risit Erasmus epistolâ ad Danielem Mauchium Ulmanum: *Montini lepidissimis literis nescio an vacet nunc respondere: Nuntiabis illi rem lætam: Lutherus, quod felix faustumq; sit, deposito Philosophico pallio duxit uxorem, ex clara familia Borna, puellam eleganti formâ, natam annos XXVI. sed indotatam, & quæ pridem desierat esse Vestalis. Atque ut scias auspicatas fuisse nuptias, pauculis diebus post decantatum Hymenæum, nova nupta peperit.* Paucis Justus Baronius in opere de Præscript. *Lutherus heri Monachus, hodie sponsus, cras maritus, perendie pater.* Sed quos hujus perversi dogmatis habuit auctores? nisi Vigilantium & Jovinianum, & ante hos, Nicolaitas, Gnosticos, cæterosque lascivos hæresiarchas? ut constat ex Irenæo, Hieronymo *lib.* *contra*

contra Vigilantium, Auguſtino lib. de hæreſibus, c. 82. Deinde ſchiſmaticos Græcos, poſtremoque Wicleſum, de quo Thomas Waldenſis tom. 22. de Sacram. cap. 67. *Quæ,* inquit Eraſmus, *eſt iſta ſalacitas? unde tanta carnis rebellio in ijs, qui ſe iactant agi Spiritu Chriſti?*

Habes hîc Niſani ſupra *triginta hæreſes antiquas*, ex quibus nova doctrina novi veſtri Evangelij conflata eſt: paucas nimirum ex multis. Et ſi cætera veſtræ religionis dogmata ad hunc modum expendere lubeat, centum facilè reperias, ex quibus *centonem* hunc conficere liceat: præſertim ſi quæ Bellarminus in librum *concordiæ* (ſeu *diſcordiæ*) veſtræ obſervavit, quæ Gualterius in Catalogo, quo Lutheri hæreſes percenſet, aut quæ *Iodocus Coccius Bilfeldienſis* veſter, tomis illis collectorum Patrum clariſſimis, *ac libro præſertim 8. de ſignis Eccleſiæ art. 3.* commonſtrat. Lege quæ in hanc rem adduxerit ille diligentiſſimus & longè eruditiſſimus ſcriptor, *civis & indigena Bilfeldiæ* ex avita Catholicorum religione, ubi tu *alienigena es,* & *alienæ falſæque religionis* magiſter; ubi tu nihil ad hunc virum, *Weſtfaliæ noſtræ lumen,* ac non niſi hæreſis tuæ umbras & larvas ex Dania & *Aquilone,* unde *omne malum* vaticinantur Prophetæ, deducis.

Unum interim tibi largiri poſſumus cum Becano in hac quæſtione: Tria videlicet eſſe dogmata veſtræ Lutheranæ religionis, quæ neque Catholicus, neque *ulla unquam hæreſis* ante Lutherum docuit. Quorum primum dogma veſtrum eſt: *Humanitatem Chriſti eſſe ubique.* Secundum eſt: *Infantes dum baptizantur, habere actualem fidem.* Tertium eſt: *In Euchariſtia manere ſubſtantiam panis & vini, unà cum ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti.* Hæ novæ veſtræ hæreſes, quas in antiquis non facilè reperies: quanquam tertium dogma etiam *Berengarij* fuerit, qui poſtquam retractavit primam hæreſin ſuam, *Corpus* videlicet *Chriſti non eſſe præſens in Euchariſtia,* invenit alteram & docuit, *Corpus Chriſti quidem eſſe præſens in Euchariſtia, ſed ſimul cum pane & vino;* quam etiam hæreſin retractavit in Concilio Romano ſub Gregorio VII. & transſubſtantiationem probavit. Igitur tota veſtra doctrina in quantum diſcrepat à Catholicis, aut ex *priſcis* hæreticorum, aut ex *novis* Lutheri, cæterorumque veſtrorum magiſtrorum recens inventis dogmatibus conflata eſt: ut viro prudenti & intelligenti non aliter ſe offerat, quàm obſoleta lacerna, aut mendici pallium, ex varijs lacinijs & ſegmentis conſutum. Et hanc religionem tu audes ex Carolo Magno prætendere, aut nobis Catholicis ex an-

tiquis & fœdis hæreticis velle persuadere? ut desertis fulgentissimis Ecclesiæ Doctoribus, Episcopis, & Sacerdotibus, vobis accedamus? & vobiscum ex hac colluvie hæresum credamus id, quod damnati *Ariani, Eunomiani, Novatiani, Montanistæ, Donatistæ, Pelagiani, Joviniani*, aut quod scabiosi post illos hæretici, ut *Berengariani, Bogomili, iconomachi, Albigenses, Begardi, Flagellantes, Lollardi, Waldenses*, ac *Pauperes de Lugduno, Petro-Brusiani, Wiclefistæ, Hussitæ*, & cæteræ *orcinæ pestes* docuerunt?

Hanc vestræ hæresis absurditatem cum inter vos viri prudentiores viderent, puderetque eos, profiteri religionem ex tot hæresum lacinijs consutam, aliam quandam viam ingressi, docuerunt satis esse homini Christiano, si modò ea credat, quæ in symbolo Apostolico continentur, in eo enim *substantialia fidei dogmata* nobis, quæ ad salutem consequendam necessaria sint, præscripta esse; cætera *adiaphora* esse, & disputantium ingenijs, & libertati cujusque relinqui.

Hæc inter cæteros Calixti vestri, viri apud vos celebris, & novi adeo hæresiarchæ sententia, quâ Lutheranos, Catholicos, & Calvinistas in unam religionem (ex quâ singuli salvi fieri possint) componit, eò quòd in uno symbolo Apostolico velit omnes convenire.

Verùm hæc responsio non evolvit vos, sed involvit emplastri instar, non sanando sed alia nova, multaque vulnera refricando. Nam etsi Catholici, Lutherani, & Calvinistæ in primis Symboli Apostolici articulis conveniant; si tamen procedas ad articulum: *Descendit ad inferos*, quantum hîc in ejus sensu Catholici à Lutheranis, & Lutherani rursum à Calvinistis dissident? Imò Lutherani nondum sciunt, quid de hoc articulo credere debeant, ut constabit ex Catechismo Dieterici vestri.
II Si articulum de *ascensu Christi ad cælos* exploremus, aliter hunc intelligunt Catholici, aliter *Lutherani ubiquistæ*, qui *corpus Christi* ponunt *ubique*, & omnibus locis præsens, sicuti ubique est præsens *divinitas*.
III. Si articulum, *Sanctam Ecclesiam Catholicam* consideremus, & in eo primò nomen Ecclesiæ; Lutherani, & Calvinistæ intelligunt de congregatione invisibili justorum, aut prædestinatorum, Catholici de congregatione visibili, in quâ multi sint justi & prædestinati, multi mali & reprobi. Deinde si nomen *Catholicum* examinemus, quod Lutheri catechismus vertit in *Christianum*: quàm dispari sensu id Lutherani & Calvinistæ

viniſtæ à Catholicis interpretantur? IV. Articulum de *Communione Sanctorum* ita extenuant Lutherani, & Calviniſtæ, ut omnem penè communionem Sanctorum, quæ à Catholicis ponitur, tollant. V. Articulum de *Remiſſione peccatorum*, explicant Lutherani de ſola juſtitiâ imputativâ, non agnoſcendo ullam juſtitiam inhærentem, nec infuſa dona. Deinde ita ſoli fidei juſtificanti attribuunt remiſſionem peccatorum, ut nihil in hoc relinquant Baptiſmo & Sacramento Pœnitentiæ, nihil poteſtati Clavium. Et quàm antiqua hæc fuerit hæreſis, cognoſces ex Cypriano, epiſt. 5. *Dicunt ſe idem ſymbolum habere, & eandem legem.* Quid verò Cyprianus? *Nam cum dicunt; Credis in remiſſionem peccatorum, & vitam æternam per ſanctam Eccleſiam? mentiuntur in interrogatione, cùm non habeant Eccleſiam.* Pergit Cyprianus: *Quod verò eundem quem & nos Deum Patrem, eundem Filium Chriſtum, eundem Spiritum ſanctum noſſe dicuntur, nec hoc adjuvare tales poteſt. Nam & Core, & Dathan, & Abiron, cum Sacerdote Aaron & Moyſe eundem Deum noverant, pari lege & religione viventes, tamen quia loci ſui miniſterium tranſgreſſi contra Aaron Sacerdotem* perijſſe dicit. Et quantum hæc exaggerat D. Cyprianus lib. de ſimplicitate Prælatorum adverſus Novatianum hæreſiarcham? Demum ſi id ſufficit ad ſalutem, credere quod in Symbolo fidei continetur, nihil oberit, ſi nulla credam eſſe Sacramenta, ſi negem infernum, & pœnarum æternitatem, ſi aſſeram dæmones aliquando ſalvandos, quia de his nulla explicita mentio in Symbolo. Imò quid opus eſt ipſa Scriptura ſacra, ſi omnes ad ſalutem neceſſarij articuli continentur in Symbolo? aut ſi cuilibet liberum ſit ſuo ſenſu explicare Symbolum, & credere quod privatus ſpiritus ſuggerit, aut quælibet ſecta docuerit? quâ ſuper re multis Leſſius in appendice conſultat. alijque Theologi & Doctores.

Igitur ut ad horum librorum ordinem, & connexam veritatem redeamus, quærenda eſt primùm ex ſuis *notis*, & *proprietatibus* in Symbolo Apoſtolico conſignatis *una*, *vera*, *Catholica*, & *Apoſtolica Eccleſia*: inventâ Eccleſiâ, invenitur verum Chriſtianæ religionis Sacerdotium, & in eo veri Epiſcopi, & veri Paſtores & Doctores, quos Chriſtus, & Spiritus ſanctus *poſuit regere* & docere *Eccleſiam*, quoſque deinde in Concilijs dedit controverſiarum judices: *Qui vos audit, me audit*, Luc. 10. Hoc principium ſi fallat, falletur tota Eccleſia, & nihil certi erit in tota religione Chriſtiana, niſi ut quilibet credat quod volet, aut quod quælibet

bet secta suis persuadere potest. Frustra extra hoc principium de vero & vivo judice Controversiarum omnis alia de fide disceptatio, librorum scriptio, & omnis ille in controversijs fidei labor. Invento verò Controversiarum fidei judice, invenitur verum religionis Sacrificium, vera Sacramenta, vera de justificatione, & bonis operibus doctrina, vera salutis præsidia, verus religionis cultus, & quicquid ordinatione divina Spiritus S. in Ecclesia disposuit. Scio, quæ hæreticorum est garrulitas, & hæc tua scribendi libido, ut quoquo tandem modo inclarescas, etiam cum illo, qui templum Dianæ incendit; verùm nisi præter obsoleta, protrita, turbida, & centies refutata aliquid dignius, & ordinatius proferas, scito me hujusmodi rapsodicis tuis scriptis, & calumnijs non responsurum: tanquam non aliæ nobis studiorum sint occupationes, quàm ut hisce tuis somnijs, & phantasmatis hæresum vacemus, quando & ex illo hominum genere te reputo, de quibus S. Augustinus lib.8. de civit. Dei c.4. *Nam qui vel non possunt intelligere quod dicitur, vel tam duri sunt adversitate mentis, ut etiamsi intellexerint, non obediant, atque infatigabiliter vani sunt; quorum dicta contraria si toties volumus refellere, quoties obnixâ fronte statuerunt non curare quid dicant, dummodò quocunque modo nostris disputationibus contradicant; quàm sit infinitum, & infructuosum vides.*

HIs, quæ pro Catholica religione, & defensione Caroli Magni hactenus diximus, addo Hadriani I. Pontificis epistolam ad Carolum Magnum, qua ei gratulatur de Saxonia è gentilium superstitione ad Christi fidem, & Catholicam Ecclesiam perducta. Hadriani I. Epistolæ subjungo quędam ex Hadriani VI. Pontificis Epistola ad Fridericum Saxoniæ Electorem, quâ Duci pro Apostolica auctoritate exprobrat, quod Christi religionem, quam Saxonia Hadriano I. Pontifice primùm susceperat, hanc ipse Hadriano VI. Pontifice per Lutheri hæresin cum Saxoniæ populo abjiciat. Ad Hadriani VI. Epistolam, qui Caroli V. moderator juventutis & Magister fuit, adjungo postremùm ipsius alumni, Caroli videlicet V. gloriosi Imperatoris decretum, ac diploma adversus Lutherum, & Lutheri hæreses. Similia, ac consatalia sunt ex utroque Pontifice Leone. Nam quæ Christi religio à Leone III. per Saxoniam est confirmata, maximè cùm Carolum Magnum Paderbornæ conveniret, & tot

templa,

templa, altariaque per Saxoniam & Germaniam consecraret; eadem Christi religio sub Leone X. Pontifice per Lutheri hæreses primùm abjici cœpit. Extant hac super re utriusque Pontificis præclara decreta, ac monumenta posteritatis. Ex horum ergo sapientissimorum Pontificum & Imperatorum judicio, ut cætera etiam prætermisissem, satis superque prudenti æstimare fas erit, quid de vera religione à Carolo Magno in Saxoniam introducta, & quid de ea, per Lutheri hæreses immutatâ, novoque, quod obtendunt, Lutheri Evangelio sentiendum sit. Sanè postquam ab avita Majorum religione primùm per Lutheri hæreses descitum est, intravit mox Calvini hæresis, haud minus modò potens, & post illas aliæ super alias; quantumque Lutheri hæresis primùm Catholicos, tantum Calvini hæresis exuit Lutheranos. Ut jam una hæresis alterius flagellum videri possit. Et quis hæreseôn se quotannis intermiscentium, malorumque finis, nisi ad unam Ecclesiam Catholicam, unde omnes hæreses exierunt, reditus fiat? quem diem utinam sperare citius, quàm optare liceat! eò quòd D. Augustinus vatis instar nos moneat tract. 25. in Joannem: *Quantum accedit finis mundi, crescunt errores, crebrescunt terrores; crescit iniquitas, crescit infidelitas.*

Unicum firmumque in hac re solatium, quod Catholica Ecclesia inter omnes omnium ætatum hæreses supra petram fundata oppugnari quidem possit, expugnari non possit; veritatemque religionis, & unitatem fidei juxta Christi promissiones ad finem mundi conservatura sit. *Forte ista civitas*, (Ecclesia videlicet Catholica,) quærit Augustinus in Psal. 47. *quæ tenuit mundum, aliquando evertetur? Absit, Deus fundavit eam in æternum.* Abscindunt quidem hæreses regna, & provincias, sed tantum alibi Deus rursum adjicit, transferendo lumen fidei ad alias gentes. Cùm Oriens deficeret, & per schismata & hæreses se avelleret à Romana, & Catholica Ecclesia, Deus per regum Francorum arma, & Apostolicos viros aperuit ostium fidei in Occidente; inde per Carolum Martellum & Pipinum regem, Caroli M. avum, & parentem Frisia, inde per Carolum M. Saxonia ad Christi fidem perducta, inde pòst Dania, Suecia, Sclavia, aliaque Septentrionis regna & provinciæ ad Ecclesiam Catholicam aggregatæ. Pòst ubi per Lutheri hæreses Saxonia rursum perversa avulsaque est, ac cæteræ dehinc regiones Aquilonares sese per hæreses ab Ecclesia Catholica disjunxerunt, translatum est ab his regnum

Dei, ad gentes remotas, & ad tot populos in altero orbe terrarum, juxta illud Christi Matth. 21. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.*

Cur autem Boreales populi nostri, qui seriùs ad Christi fidem accessere, citiùs ab ea recesserint, id ad *altitudinem sapientiæ divinæ, & incomprehensibilia Dei judicia,* quæ *abyssus multa sunt* referendum: quanquam & hominum istorum vitijs & peccatis, quibus semper aliquid barbarum adhæsit, non immeritò adscripseris. Quantum enim *crescit iniquitas,* tantùm & *crescit infidelitas.* Quare & S. Augustinus lib. de unit. Eccl. cap. 13. ad illud Christi Luc. 18. *Filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra?* censuit *ad iniquorum abundantiam, & paucitatem bonorum* referendum. Nunc propositas Epistolas, & decretum Caroli V. recitemus, quibus addi poterat præclara Caroli M. Epistola ad Elipandum hæreticum, de unitate cum Ecclesia Catholica servandâ, quam studio brevitatis omisimus.

EPISTOLA
HADRIANI PAPAE I.
AD CAROLUM MAGNUM.

Gratulatur Carolo de Saxonibus subactis, atque ad Christi cultum & Baptisma perductis; triduanasque Litanias, ut Carolus optabat, eo nomine indicit.

Domno excellentissimo filio, nostroque spiritali compatri, Carolo Regi Francorum & Longobardorum, atque Patricio Romanorum, Hadrianus Papa.

P*Ræstolatos, nimisque nobis optabiles regales vestros suscepimus affatus per fidelissimum vestrum latorem atque missum, videlicet Andream religiosum abbatem: quos reserantes, reperimus in eis de vestra præcelsæ regalis potentiæ, & comparis, subolisque vestræ, seu cunctorum præcipuorum vestrorum nostrorumque fidelium sospitate, & incolumi ac sincerissima prosperitate: in quibus Redemptori mundi consuetas retulimus grates.*

Magis

Magis autem inibi de vestris à Deo præsidiatis regalibus triumphis comperientes, qualiter sævas adversasque gentes, scilicet Saxonum, ad Dei cultum, & suæ sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ rectitudinem fidei perduxeritis, atque Domino auxiliante, & Petri Paulique apostolorum principum interventione suffragante, sub vestra eorum colla redacta sunt potestate ac ditione, eorumque optimates subjugantes, divinâ inspiratione, regali annisu, universam illam gentem Saxonum ad sacrum deduxistis baptismatis fontem. Unde nimis amplius divinæ clementiæ retulimus laudes, quia nostris vestrisque temporibus gentes paganorum in veram & magnam deductæ religionem, atque perfectam fidem, vestris regalibus substernuntur ditionibus. In hoc quippe freta vestra à Deo fundata existat potentia, quia si, ut pollicita est, fautori suo beato Petro apostolo, & nobis, puro corde atque libentissimo animo adimpleverit, maximas ac robustiores illarum gentium suis præcipuis suffragijs vestris substernet pedibus, ut nemine eos persequente, vestris regalibus subjiciantur potentijs, & maximum fructum in die judicij, ante tribunal Christi, de eorum animarum salute offerre mereamini dignissimum munus, & pro amore animarum lucra infinita mereamini adipisci in regno cælesti. Illud autem, quod vestra regalis intimavit excellentia, ut in uno mense, vel in unâ die, pro hujusmodi operibus, scilicet stabilitatis vestræ victoriæ, laudes Deo gerentes caneremus, & una vel duabus ferijs Litanias perageremus, valde hoc nobis delectabile existit. Quatenus Apostolica exarantes censura decrevimus, in omnibus nostris partibus, quæ sub ditione spiritalis matris vestræ sanctæ Romanæ Ecclesiæ existunt, illico celebrari easdem una nobiscum disponentes emisimus, Domino protegente; videlicet vicesima tertia die, & vicesima sexta, atque vicesima octava hujus advenientis Junij mensis, quæ sunt in primis vigiliæ beati Joannis Baptistæ, & natalis sanctorum Joannis & Pauli, nec non & vigiliæ beati Petri Apostoli. Similiter & vestra regalis potentia in suis dirigat universis finibus, seu transmarinis partibus, ubi Christiana moratur gens, similiter perficiendas triduanas Litanias. Et ideo tale protelatum emisimus spatium, propter tam longinquas Christianas nationes ultra vestrum regale morantes regnum. Nos quippe non solum unam vel duas, ut nobis insinuastis, celebrandas Litanias prævidimus; sed etiam pro vestra, ut soliti sumus, indesinenter orare excellentia cupientes. decrevimus perficere, & Redemptori mundi canere laudes, ut ipsæ gentes, quæ per vestrum regale certamen ad Christianam perductæ sunt fidem, usque in

ævum per vestrum maneant adminiculum, & nostris vestrisque finibus omnes repelli faciat ægritudinis morbos, & procul ejiciat pestilentiam, ut nostris vestrisque diebus populus nobis à Deo commissus in magnâ degentes ubertatis affluentia, simulque sincerissimæ sospitatis lætitia, longiori ævo unà cum domna regina, vestraque nobilissima prole, mereamini regni gubernaculo perfrui, & in æthereis arcibus sine fine regnare: ut per vestra laboriosa certamina, magis magisque spiritalis mater vestra sancta Romana Ecclesia maneat exaltata. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

HADRIANI VI. PONTIFICIS EPISTOLA,

Quâ hortatur Fridericum Saxoniæ Ducem, ut Martinum Lutherum hæresiarcham dimittat, ejusque relictis erroribus Catholicam fidem sequatur.

Hadrianus Episcopus, &c. Dilecte fili, salutem, & Apostolicam benedictionem.

SAtis, & plus quàm satis sustinuimus, dilecte in Christo, si fortè Dei pietas tuam animam dignetur invisere, ac dare pœnitentiam ad cognoscendum veritatem, ut resipisceres à diaboli laqueis, à quo captivus detineris. Novimus te paternè monitum à fel. recor. prædecessore nostro, ut à te separares perniciem illam Christianæ religionis Martinum Lutherum, & cùm jam toti Orbi manifestæ essent scel:stissimæ machinationes illius, speravimus & te ad cor penitùs reversurum.

Sed quoniam exspectavimus uvas, & ecce quia frustra conflavit conflator, malitiæ enim tuæ non sunt consumptæ, coëgit nos miseratio tui, coëgit paternus amor, quo te, & subditos Saxones in Domino semper fuimus prosequuti, salutaribus, & paternis monitis adhuc convenire, ut vel tandem resipiscatis, antequam planè in vos conveniat, quod mox subdit Propheta: Argentum reprobum vocate vos, quia Dominus projecit vos.

Et quid dicemus vobis, quàm quod Galatis suis Paulus? O insensati, quis vos fascinavit veritati non obedire? Currebatis bene. Interrogate patres vestros, ac dicent vobis: majores vestros, & annuntiabunt vobis. Quod ab ea

ab ea ætate, quâ uno eodemque tempore vixere, Hadrianus Rom. Pont. & Carolus ille Magnus Imperator, in Saxonia fidei plantatores, ad nostra usque, & carissimi in Christo filij nostri Caroli tempora: & avi & proavi vestri, atque adeo Saxones omnes, semper habiti estis veluti pacis amatores, fidei propugnatores, & per omnia obedientiæ pacifici filij; talesque, ut non immerito Gregorius V. natione Saxo, olim Romanus Pontifex, Saxoniæ Ducem in Rom. Imperatoris constituerit electorem. Quomodo ergo tam cito mutatus est color optimus? Cur tam facilè transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi in aliud Evangelium? quod non est aliud, nisi sunt quidam, qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Christi. Quis vineam Domini Sabaoth tam pulchrè plantatam est demolitus? Certè exterminavit eam aper de sylva, & singularis ferus depastus est eam.

Multa deinde, eundo ferè per omnes Lutheri hæreses, scribit Pontifex de perturbatione Ecclesiæ, & calamitatum malis, per Lutheri hæresin illatis, de sacrilega ejus doctrina & furore, adversus legem Christi, Sacramenta, jejunia Ecclesiæ, cultum Sanctorum, & imaginum, de plebe sub specie Evangelij seducta, de laxatis Monachorum cœnobijs ac votis, de profanatis Virginibus Deo consecratis, de injurijs in Concilia, SS. Patres, & Canones Ecclesiasticos, quorum volumina publicè exuri jusserat, de convitijs in summum Pontificem, & Vicarium Christi, quem Antichristum populo persuadere, se verò alterum Elisæum duplici Eliæ spiritu plenum, & Danielem in reformanda Ecclesia proponere ausus sit: de calumnijs in Episcopos, Sacerdotes, & religiosos homines, de convulsa potestate Ecclesiastica, & pulcherrimo ordine Ecclesiæ interverso, de parricidalibus, ut vocat, Lutheri armis adversus majorum religionem. Hæc inquam, quæ multis Pontifex in Apostolica illa Epistola, Apostolico prorsus spiritu deplorat, refellit, ac condemnat, hîc brevitatis studio omittimus. Demum ita concludit alloquendo Fridericum Saxoniæ Ducem:

Vivunt unà Pontifex Adrianus, & religiosissimus Imperator Carolus, meus carissimus in Christo filius, & alumnus: Cujus tu edictum verè Christianum adversus Lutheranam perfidiam, & quod talem decebat Imperatorem, non sine gravi offensa, ac vilipensione Cæsareæ Majestatis violare non timuisti. Non committemus, ut quos olim cum Magno Carolo Adrianus Pontifex in Christo genuerunt, nunc Hadrianus Pontifex, & Imperator

SSSS *Carolus,*

Carolus, sub schismatico ac hæretico tyranno, hæresum ac schismatum sinamus interire contagione. Quare revertimini ad cor, & resipiscite tu, tuique miserè seducti Saxones, nisi utrumque gladium, Apostolicum simul & Cæsaream velitis experiri. Scripta Romæ 1522.

CAROLI V. IMPERATORIS EDICTUM

Contra Lutherum ejusque hæreses.

CArolus V. divina favente clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex: Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ: Comes Habspurgi, Flandriæ, Tyrolis &c. Universis & singulis S. R. I. Electoribus, aliisque Principibus tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus; Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, Clientibus, Præfectis, Præsidibus, Judicibus, Scultetis, Burgimagistris, Consulibus, Scabinis, Civitatum, oppidorum, villarum, terrarum, & quorumvis aliorum locorum communitatibus; nec non Universitatum, Studiorum, sive Gymnasiorum Rectoribus, & locorum tenentibus, seu officialibus eorundem, ac cæteris quibuscunque Nobis tam jure Sacri Imperij, quàm hereditario, aut alio quocunque modo subjectis, & fidelibus dilectis cujuscunque status, gradus, aut conditionis sint &c. gratiam Cæsaream & omne bonum.

Ad veri Romanorum Imperatoris officium pertinet, non solum fines hujus Sacri Imperij, quod prædecessores nostri Germaniæ Principes ob defensionem sanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ suo, suorumque sæpius effuso sanguine per divinam gratiam sibi quæsierunt, ad orthodoxam viam adductis, vel expulsis infidelibus propagare, verùm etiam ne qua hæreseos labes, vel suspicio, in jam sibi subditis nationibus sacrosanctam nostram religionem commaculet summo studio providere; & si qua jam oriri cœperit, eam omni ope, omnique curâ juxta normam à S. Rom. Ecclesiâ hactenus observatam, delere penitus & exstinguere. Quod si quis alius è majoribus nostris, tanto nos magis præstare debemus, quanto Dei Opt. Max. immensa benigni-

benignitas nobis plura regna & dominia, pluresque & magis bellicosos populos, majoresque vires, quam jam multis sæculis alicui Principi, qui hisce titulis sit potitus, ad suæ sanctæ fidei tutelam & incrementum elargiri dignata est. Accedit, quod cum ex paterno genere è Christianissimis Imperatoribus, & Archiducibus Austriæ, Ducibusq; Burgundiæ; ex materno verò Catholicis Hispaniarum, Siciliæ & Hierusalem regibus simus orti, quorum omnium pro fide Catholicâ res præclarè gestas nulla unquam delebit oblivio, non sine gravi conscientiæ nostræ onere, & perpetuâ nominis notâ, quadamque veluti nebula ineuntis nostri Principatus fælicibus auspicijs offusa, factum crederetur, si quæ jam abhinc triennium pullulare in Germania cæperunt, novas quasdam hæreses, imò verius jam sæpe olim per Concilia, & summorum Pontificum decreta, approbante Ecclesia damnatas, & nunc denuo veluti ab inferis erutas, altiores jacere radices, ullâ nostrâ negligentiâ passi esse videamur.

Sanè vestrum neminem ignorare existimamus, quibus erroribus & hæresibus ab orthodoxa fide alienis, quidam frater Martinus Lutherus Ordinis S. Augustini, religionem Christianam in hac præsertim inclytâ natione Germanicâ, omnis infidelitatis & hæresum perpetuâ oppugnatrice, ita inficere conetur, ut nisi maturè occurratur, tota hæc natio, & deinde serpente contagione, universa Christiana respublica in abominandum schisma, & bonorum morum, pacisque, ac tandem detestandam sui perniciem prolapsura videatur. Quapropter non immeritò commotus sanctissimus in Christo Pater D. Leo X. sacrosanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ summus Pontifex (ad quem fidem Catholicam & Ecclesiæ Sacramenta curare spectat) prædictum Martinum à principio clementer & paternè monuit & hortatus est, ut à nefarijs hujusmodi inceptis desisteret, & jam sparsos errores revocaret. Quod cùm ille neglexisset, & pejora semper prioribus adderet idem Beatissimus Pater ad opportuna, neque tamen insueta remedia procedere statuit. Itaque convocatis sæpius Reverendissimis S. R. Ecclesiæ Cardinalibus, Episcopis & alijs Prælatis, nec non Regularium Ordinum Prioribus, seu Ministris Generalibus, accersitisque pluribus scientiâ & probitate præstantibus viris, & in omni doctrinarum & linguarum genere eruditis, & diversarum Christianarum nationum Doctoribus, & Magistris: prædicto tamen Martino prius vocato & citato, ac in contumacia persistente, ejus scripta tam Alemannico, quàm Latino sermone edita & edenda, ut perniciosa, & fidei

unitatique Ecclesiæ contraria auctoritate sua Apostolica, præfatorumque ad hoc Cardinalium consilio & assensu, ac Episcoporum & Prælatorum, Doctorum & Magistrorum matura deliberatione damnavit, & ubique locorum comburenda prorsusque abolenda censuit, & decrevit: Martinum verò ipsum nisi infra certum terminum expressum à publicatione decreti sanctitatis suæ, mutata sententia, se errores suos revocasse, & ad pœnitentiam rediisse docuisset, ut inobedientiæ & iniquitatis filium, ut schismaticum & hæreticum ab omnibus evitandum, & prout jura postulant, puniendum declaravit sub pœnis & censuris, quæ in Apostolicis literis Bullâ plumbea communitis, & super hac re editis latius continentur. Quas ad nos, utpote Christianæ fidei verum & supremum propugnatorem, & sedis Apostolicæ sanctæque Romanæ & universalis Ecclesiæ primarium filium, & advocatum, per suum, & dictæ sedis spiritualem nuntium & Oratorem, honorabilem virum nobis dilectum Hieronymum Alexandrum ejusdem sedis Protonotarium, & Apostolicæ Bibliothecæ præfectum, dedita ad hoc opera misit, petens atque requirens, ut pro officio & debito Imperialis dignitatis, in universo primùm Romanorum imperio, deinde (quod Catholicum regem, & Christianum principem decet) in cæteris etiam regnis, dominijs & provincijs nostris, & præsertim in Germania, præstito in auxilium fidei Catholicæ brachio sæculari, omnia & singula in dictis literis Apostolicis contenta, inviolabiliter observari, & executioni mandari juberemus. Post quas quidem prædicto Martino factas à summo Pontifice monitionem, vocationem, citationem, & ipsius tandem condemnationem, nec non præsentatas nobis ejusdem beatissimi patris literas, Bullamq; Apostolicam, per varia & diversa loca Germaniæ publicatam, & nostro jussu & mandato non solum Lovanij in inferioribus dominijs nostris: verùm & Coloniæ, Treviris, Moguntiæ, Leodij executioni demandatam, tantùm abfuit, ut idem Martinus resipisceret, errataque sua revocaret, & petitâ absolutionis veniâ, in gratiam cum summo Pontifice, & sancta Ecclesia redire procuraret, ut etiam detestabiliores perversi ingenij sui fructus indies ederet, & perinde, ac in manifestã Ecclesiæ perniciem furens rueret, complures acervatim libros non modo novarum, sed etiam à sacris Concilijs olim condemnatarum hæresum plenos, nec solum Latino, sed etiam, ut facilius vulgus perverteret, Alemannico sermone à se compositos, vel saltem suo nomine editos ferè quotidie divulgaret.

In qui-

In quibus (bone Deus!) observatum ab Ecclesiâ jam tot sæculis septem Sacramentorum numerum, ordinem, usum dissipat, confundit, deturpat: inviolatas matrimonij leges miris modis fœdissimè inficit: Extremam unctionem cum VViclefo fictionem dicit; communicandæ sacratissimæ Eucharistiæ ritum, addamnata Bohemorum revocat instituta: at, saluberrimam contaminatis peccato mentibus confessionem primò sic involuit, ut confusionem eam è confessione fecerit: mox etiam magnâ ex parte eam convellit, postremò adhuc pejora se de eâ scripturum minatur. Unde nonnulli jam ut accepimus, (quod vel auditu est intolerabile) sumptâ hinc occasione, de confessionis instituto, & modo cœperint subdubitare; alij mutilatam & truncam eam fecerint, alij verò (prô scelus) & confiteri ipsi destiterint, & nequaquam esse confitendum publicè asserere sint ausi. Porro sacerdotalem Ordinem, & per quod sacrosanctum Christi corpus sanguisque conficitur, divinum illud munus, Claviumque cælestium potestatem, non solùm vilissimi pendit Lutherus, & laicis, puerisque, atque adeo fæminis ipsis communia facit; sed & eosdem laicos ad lavandas sibi in Sacerdotum sanguine manus incitat. Ipsum verò summum nostræ religionis Sacerdotem, D. Petri successorem, & verum in terris Christi vicarium, nonnisi infamibus & probrosis nominat verbis, & frequentissimis, atque inauditis invectivis, contumelijs, & blasphemijs insectatur. Liberum arbitrium prorsus nullum esse, sed omnia certâ lege stare, ex Manichæi quidem & VViclefi penu depromit, & tanquam irrefragabili argumento, Ethnicorum Poëtarum carminibus confirmat. Missæ sacrificium, neque defunctis, neque vivis alijs, quàm soli celebranti suffragari scribit. Jejuniorum, & orationum institutionem, & consuetudinem ab Ecclesia observatam, invertit & corrumpit. De purgatorio, & animarum, quæ in eo expiantur, statu, deque divini sacrificij & veniarum suffragijs, quæ à nobis fideles defuncti exspectant, cum VValdensibus & VVicleffistis contra Ecclesiam sentit. De Ecclesiâ verò ipsâ militante, cum Pelagianis & Hussitis: SS. Patrum auctoritates & scripta ab Ecclesia recepta, pro nihilo habet. Est, ubi etiam sæpè deridet, debitumque eis cultum & devotionem deterit & diminuit. Obedientiam, & regimen omne prorsus tollit. Unde populi ad defectionem & rebellionem à suis, tam spiritualibus quam temporalibus Dominis faciendam, ad rapinas, cædes, incendia cum

magno & manifesto Christianæ reipublicæ discrimine provocentur. Imò cum vitam quandam solutam, licentiosam, atque ab omni lege explicitam, & verè ferinam inducere conetur, ita exlex homo leges omnes damnat, & contemnit, ut decreta SS. Patrum, & sacros Canones publicè igne comburere non formidaverit: facturus peiora Juri civili, si non magis sæculi gladium, quàm Pontificis excommunicationes & censuras metuisset.

Jam verò sacrosanctis Concilijs palàm contradicere, & pro suo arbitratu detrahere non erubescit. E quibus potissimum Constantiense illud, quod cum perpetuâ inclytæ nationis Germanicæ gloria pacem & tranquillitatem dissidenti Ecclesiæ dedit, ita ubique mordet, & impuro sceleratoque ore lacerat, ut in magnum universalis Ecclesiæ dedecus & offendiculum, sed Germanicæ præsertim nationis opprobrium & ignominiam, Concilium ipsum nunc pessimè omnium errasse scribat, nunc synagogam sathanæ, quique in eo convenerant, & Joannem Hussitam hæresiarcham comburi jusserant, Sigismundum utique felicis recordationis Imperatorem, & sacri Imperij Principes Antichristum, & suos Apostolos, homicidasque & Pharisæos vocet. Quid, quod damnata in eodem Concilio omnia Joannis Hussitæ errata, Evangelica & Christiana esse, & se recipere, probaturumque profitetur? approbatos verò ejusdem Hussitæ articulos nequaquam admittit; in tantamque prorupit mentis vesaniam, ut si semel Joannes Hussita fuerit hæreticus, se plus decies hæreticum Martinus glorietur, homo usque adeo novarum rerum, ac potius perditionis humanæ cupidus, ut nihil ferè scripserit, vel saltem nomine suo divulgaverit, cui non aliqua pestis, aliquis lethalis insit aculeus: præter illos libros, ne nominandos quidem ob execrandam eorum materiam, ipsius tamen titulo editos, & ab eo cum reliquis ut suos agnitos, quorum singula verba, singula venena merito quis dicat. Et ne omnia, quæ innumerabilia sunt, Lutheri errata singulatim percenseantur, tanquam si hic unus non homo, sed diabolus ipse sub humanâ specie ad perniciem humani generis assumptâ monachi cucullâ, quamplurimorum hæreticorum damnatissimas hæreses jam diu sepultas in unam sentinam congesserit, & aliquas etiam novissimè de suo excogitarit, sub simulatâ prædicatione fidei, quam ad prætexendos suos dolos tam sæpè tantoque opere objicit; fidem veram destruit, sub libertatis, quam promittit, specie, diaboli jugum inducit, & sub Evangelicæ professionis nomine, omnem Evangelicam

cam pacem & caritatem, omnemque rerum ordinem & pulcherrimam denique totius Ecclesiæ faciem invertere, labefactare, & penitus pessundare molitur.

Quibus omnibus per Nos, & consilia nostra omnium nationum nobis subditarum, sæpius & diligenter attentis & consideratis, & præsertim in hac parte ab eodem Beatissimo Patre requisiti, absque insigni maculâ nostra, atque orthodoxæ religionis injuria & detrimento, rem tanti ponderis negligere nequaquam potuimus, ut etiam non debuimus, neque volumus: sed potius prædecessorum nostrorum Romanorum Imperatorum vestigijs insistentes, eorumque pro libertate Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ perpetuò laudabilia facta, ac pias & sanctas super puniendis & exstirpandis hæreticis constitutiones observantes, convocatis sæpius ad præsentiam nostram propter hoc præcipuè Electoribus; nec non universis S. R. I. Ordinibus & Statibus in hoc Wormatiensi conventu congregatis, de eorum omnium & singulorum unanimi consilio, maturâ deliberatione, & consensu in hanc tandem devenimus sententiam & conclusionem, ut quamvis hominem ita à summo Pontifice & sede Apostolicâ condemnatum, & in suâ obstinatâ perversitate obduratum, atque ab usu Catholicæ Ecclesiæ alienum, & notorium hæreticum audire, omni jure exceptum esset: tamen ad tollendam omnem cavillandi ansam, (idque, quia nonnulli plerosque libros Martino adscriptos, ipsius esse apertissimè inficiabantur) complures audiendum à Nobis prius hominem, quam in eum ad executionem Pontificij decreti ulterius procederemus, asseverabant; Martinum sæpè dictum, misso ad ipsum deditâ operâ uno è caduceatoribus, seu præconibus, & Heraldis nostris sub libero huc veniendi, & hinc recedendi salvo conductu accersiri juberemus: quod & factum fuit. Non ut Nos de hoc negotio dijudicaremus aut cognosceremus, (cum id dubio procul ad Romanum Pontificem & sedem Apostolicam pertineat) neque ut res sacrosanctæ fidei nostræ nunc tandem post tot sæcula per novas altercationes cum magno fidelium scandalo & perturbatione, ac infidelium derisione in controversiam revocari pateremur: sed ut cum vulgi & plurimorum ita petentium satisfactione hominis animum percontantes, cum bonis monitionibus & suasionibus ad rectam semitam (si fieri posset) reduceremus. Itaque Lutherum in nostra & S. I. Electorum, Principum, Prælatorum, & Statuum præsentia constitutum, juxta formam Imperialis mandati super

hac

hac re nuper editi, interrogari jussimus. Primùm, nunquid ipse multos libros sibi ob oculos adductos, & titulatim nominatos, & alios item, qui sub suo nomine circumferuntur, composuisset? Deinde, an ea, quæ in ipsis libris contra sacra Concilia, Decreta Patrum, ritus, & consuetudines, à nostris majoribus ad hunc usque præsentem diem observatas, scripserit, revocare vellet, & ad sinum & unitatem universalis Ecclesiæ redire? adhibitis ad hoc nostro, & Imperij nomine admonitionibus, & adhortationibus, quæ obstinatissimum hominem, (etiam lapide duriorem) emollire & convertere potuissent. Qui sanè statim libros ipsos antedictos, ut suos agnovit, & confessus est, & id nunquam se negaturum protestatus: Imò & adhuc alios se composuisse dixit, quorum copia cum nobis non fuisset facta, idcirco in medium non fuerunt allati. Quantum verò ad revocationem attinet, terminum sibi ad respondendum dari petijt: qui quamvis meritò negari potuisset, tum quia novitates & errores in fide nulla sunt dilatione tractandi, sed penitus statim resecandi: tum quia ex mandato nostro sibi legitimè insinuato, nec non etiam literis, quas ad eum dederamus, optime admonitus quam ob causam vocaretur, non nisi statim respondere paratus ad tantum Imperialis conventus consessum venire debuisset. Tamen ex nostrâ clementia, & benignitate, unius adhuc diei terminum ad respondendum ei dedimus: quo elapso, rursum coram Nobis & prædictis Ordinibus Imperij comparens, & similibus adhortationibus sæpius, ut ad cor rediret, efflagitatus; pollicentibus etiam nobis, si resipisceret, erroresque suos agnosceret, & quæ in suis libris damnata & mala essent, revocaret, facile nos impetraturos, ut à Beatitudine Pontificis in gratiam benignè reciperetur, & adhibito fideli, æquo, & diligenti examine ex ipsius libris, quæ mala scripserat, secernerentur, quæ verò bona, auctoritate Apostolicâ approbarentur. Sed ne verbum quidem in suis libris mutaturum imprudentibus simul, & impudentibus verbis, orisque & corporis gestu, quodvis potius, quam religiosum aut sanum hominem præ se ferente, apertissimè negavit. Quin in nostram & S. Imp. faciem, summorum decreta Pontificum, & Concilia ipsa sacrosancta errasse sæpius, & sibi ipsis contradixisse, & tandem nullius apud se momenti fore, asseveravit; seque nihil ex his, quæ scripserat, revocaturum, nisi evidenti sibi ratione, & sacræ Scripturæ auctoritatibus, ad suæ conscientiæ animique satisfactionem, & assensum fuerit convictus: illud subinde

repetens

repetens & inculcans (quo fraudum suarum virus jam multis detegi cœptum occultaret) conscientia sibi illæsâ & integra, neque velle se, neque posse verbum Dei immutare. Mala mens malus animus. Quasi verò Nos id ab eo peteremus, ut verbum Dei immutaret, ac non potius, ut juxta verbum Dei verum, ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ, à quâ tam impiè, quàm turpiter defecerat, rediret: cujus auctoritatem, cum tantam voluerit esse Dominus, idemque Deus noster Jesus Christus, ut qui Ecclesiam non audierit, tanquam Ethnicus & publicanus sit habendus; idcirco vel eam solam omnibus inventionibus & vaframentis hæreticorum longè anteferendam, nemo unquam nisi perditissimus & verè hæreticus, ut Lutherus judicavit: qui tandem ut omnia hic acta sua egregia condigno fine clauderet, & quod pessimè incœperat, pejus terminaret, & quid animi habeat, & quàm fidelium clade exultet, vel in nostro, & sacri Imperij conspectu dissimulare non potuit: nam detorta (ut hæreticis mos est) à vero sensu ad suam impietatem Evangelica illa sententia: non veni mittere pacem, sed gladium; omnium sibi dixit jucundissimam faciem istam videri in rebus, ob verbum Dei studia & dissensiones fieri: id est, (quod utinam ne experientia videremus) ob dissidentes ab Ecclesiæ ritu Lutheri opiniones, quas verbi Dei falso titulo prætexit, verè studia contraria & dissensiones, & dissidia, & schismata, & bella, & cædes, & rapinas inter Christianos concitari.

Tali igitur & tam subdola, & hæreticis omnibus peculiari responsione, Nobis & sacro Imperio à Luthero data; etsi decreveramus ipso statim remisso ad ulteriora progredi, (id quod ex sententia manu nostrâ scripta, & posterâ die publicata constare nemini non potest) tamen ad preces omnium Imperij Ordinum inclinati, adhuc ipsi triduum ad resipiscendum concessimus. Quo tempore duo Electores, duo Episcopi, duo Principes sæculares, duoque civitatum nomine, universos Ordines & status S. R. Imperij repræsentantes, ad hoc communi omnium jussu & nomine deputati, vocato ad se Martino prædicto, nullum non admonendi & adhortandi eum, ut tandem resipisceret, & nisi id faceret, quæ ipsum a nobis & à sacro Imperio legumque constitutionibus pœna maneret, declarandi officium frustra insumpserunt. Unus etiam S. I. Elector, adhibitis secum duobus Doctoribus, pietate & scientia præclaris, non solum adhortationibus, sed etiam multorum errorum evidentibus redargutionibus ad ipsius usque obmutescentiam factis, mox ipsum seorsim prudenter & humanè commonefecit, ut ad summi Pontificis, & se-

dis Apostolicæ, Nostrumque, & sacri Imperij Statuum, & cæterarum fidelium nationum sanam sententiam, juxta continuatum tot sæculis Ecclesiæ ritum potius, quam ad suam unius opinionem respiceret; à quâ si recedens in ordinem redire vellet, id se primum nonnullorum sanctorum Patrum, qui & ipsi aliquando errarunt, laudabili exemplo, deinde salvis, anima, corpore & honore facturum cognosceret. Ad quæ Martinus antedictus etsi varia pleraque & diversa, cumque eis, quæ scripserat, pugnantia, nihilo tamen meliora aut saniora privatim respondit, quam publicè coram Nobis & sacro Imperio fecerat. Atque adeo se non omnes modo supra memoratos, sed & Concilium ipsum generale (si quod fieret) suspectum habere protestatus est. Et (ut certissimo & omni exceptione majori testimonio nobis constat) pollutissimo & sceleratissimo ore proferre non est veritus, res Evangelij & Catholicæ fidei nunquam fuisse in Concilijs generalibus bene tractatas. Unde non injuria nobis plurimum mirari subiret, curnam à summi Pontificis sententia ad generale Concilium nuper provocarit, cum tam impiè de Concilijs ipsis loquatur & scribat; nisi manifestè sciremus, ut nihil hæreticis est æque formidabile atque œcumenicum Concilium, ita nihil illis ijsdem magis proprium esse, quam ut dictis, factisque, & scriptis secum ipsi diffideant. Quod si usquam alibi, præcipue in Lutheri libris, (divina providentia sic operante, quo ipsius varia ædificia per se ruant) passim legere & videre est.

His omnibus & singulis sic omnino, ut præmittitur, sic habentibus, cum prædictus Martinus tam perversè & obstinatè in suis adeo manifestè hæreticis opinionibus persisteret, ut ab omnibus ijs, qui sapiunt partim demens, partim etiam malo aliquo obsessus spiritu judicaretur. Nos juxta tenorem salvi conductus ipsum statim à conspectu nostro missum fecimus, datoque sibi in comitatu uno ex Heroldis nostris, & præscripto termino à die 25. Aprilis mensis, qua Wormatia decessit ad 20 deinde proximè futuros dies, quibus peractis una salvus conductus peractus & extinctus censeretur: Nunc tandem ad reliquas opportunas medelas huic pestilentissimo morbo necessarias, in hunc qui sequitur modum procedere decrevimus.

Primum omnium ad honorem Dei omnipotentis, Romanique Pontificis, & S. sedis Apostolicæ debitam reverentiam, pro Imperialis dignitatis officio ac debito, nec non zelo & studio, quo nostrorum majorum more & ingenita etiam Nobis vi ad defensionem Catholicæ fidei sanctæque Romanæ, & universalis Ecclesiæ honorem, tutelam & protectionem omnes nostras vires & facul-

& facultates, Imperium, regna, dominia, amicos, vitam denique & animam ipsam nostram exponere sumus parati. Ex Imperiali & Regiâ auctoritate, nec non consilio & assensu Electorum, & omnium S.R.I. Principum, Ordinum, & Statuum in hac celeberrimâ & frequentissimâ Imperiali Dieta Wormatiæ congregatorum, ad perpetuam rei memoriam, exequendo sanctissimi D.N. Papæ, veri in hac parte judicis sententiam, decretum, & condemnationem in literis Apostolicis (ut supra dictum est) ad Nos directis contentam, Martinum Lutherum, ut membrum ab Ecclesia Dei alienatum, ut obstinatum schismaticum, & notorium hæreticum, à Nobis haberi declaramus, & ut talem à vobis omnibus & singulis habendum decernimus & edicimus: Mandantes de eorundem Statuum consilio & consensu, sub crimine læsæ Majestatis, Nostraque & S. Imp. gravissimæ indignationis, ac etiam amissionis feudorum, Dominiorum, bonorum omnium, gratiarum quoque & privilegiorum omnium, à Nobis, & S.R.I. dependentium, quæ obtinuistis hactenus, aut prædecessores vestri quomodolibet obtinuerunt: nec non proscriptionis, ac Banni & interdicti Imperialis pœnis, ne quis vestrum præfatum Martinum Lutherum receptare, defendere, sustentare, fovere, dicto, facto, aut scripto præsumat. Quin imò post elapsum supradictum 20. dierum terminum contra eum, ubicunque deprehensus fuerit, & in manu vel facultate vestrâ erit, juxta formam Imperialis Banni procedatis, vel saltem personaliter captum tamdiu custodiatis, donec Nos à vobis de hac re certiores facti, de legitimâ in eum prosecutione faciendâ vobis significemus, & vos tam sancti operis & laboris debita præmia, & mercedem etiam uberem, cum impensis ob hanc causam factis reportetis.

Et nihilominus ejusdem Martini complices, adhærentes, receptatores, & quomodolibet fautores & sectatores (nisi se semitam iniquitatis deseruisse, & auctoritate Apostolica absolutionis remedium consecutos esse fidem condignam fecerint) nec non eorum omnia & singula bona, mobilia & immobilia, juxta sacras constitutiones, ac interdicti, & Banni Imperialis legem, & ordinem, liberè & absque ulla contradictione prosequamini, illosque & illa capiatis, & in usus vestros, optimo & pleno jure convertatis. Mandamus insuper vobis omnibus & singulis præfatis, sub iisdem prænominatis pœnis, ne quis Martini Lutheri scripta à summo Pontifice auctoritate sua Apostolica, ut præmittitur damnata, aut alia quæcunque, tam latino, quàm Alemannico, seu alio quovis idiomate ab eo hactenus composita, vel in posterum com-

ponenda, utpote mala suspecta. & à notorio & pervicacissimo hæretico provenientia, emere, vendere, tenere, legere, describere, imprimere, aut describi vel imprimi facere, adserere, sustentare, prædicare, defendere præsumat. Non obstante, quod in illis aliqua bona (ad fallendas simplicium mentes) ammixta essent. In quo præter justam sedis Apostolicæ sententiam, etiam laudatissimam veterum Patrum institutionem, & consuetudinem omnino exequendam duximus, qui Arianorum, Priscillianistarum, Nestorianorum, Euthychianorum, & aliorum hæreticorum libros, & in illis contenta omnia, tam bona, quàm mala promiscuè exusserunt, & adnihilarunt. Neque id immerito: nam si optimi quique cibi, unius tantum guttæ veneni (quo humanum corpus læderetur) infusione suspecti, penitus sunt abjiciendi, quanto magis ea scripta, quibus tanta, & tam noxia animabus venena passim inserta sunt, non solum cavenda sunt, sed etiam (ne alijs noceant) prorsus destruenda & corrumpenda, atque ab omni hominum memoriâ veniunt obliteranda. Accedit ad id, quod quidquid boni in Martini libris reperitur, id antea à SS. Patribus, quos Ecclesia recepit & approbavit, sæpe dictum, & sæpius repetitum, absque ullius periculi aut mali suspicione legi & haberi possit.

Eapropter sub iisdem pœnis omnibus & singulis supradictis, vos omnes & quilibet vestrum tam Principes, quam alij, ad quos justitiam quomodolibet pertinet ministrare, & alij quicunque in universo Imperio, regnis, & dominijs nostris constituti, hujusmodi pestiferos Martini Lutheri libros, tam Alemannicos, quam Latinos, impressos & imprimendos, aut etiam manu scriptos, ubicunque reperiantur, (utpote magnæ seditionis, schismatis, hæreseos in Ecclesia Dei fomites) diripiendos, & publico igne consumendos penitusque abolendos cum effectu curetis, Apostolicisque Nuntijs, seu eorum commissarijs, si operam vestram ad hanc rem requisierint, diligenter adsistatis. Et nihilominus in illorum absentia, per vos ipsos hæc sic fieri, nostro nomine & jussu omnino & reipsâ faciatis. In quo omnibus fidelibus dilectis subditis nostris, ut vobis ac Nobis ipsis adsistant & pareant, tenore præsentium sub iisdem pœnis injungimus & mandamus. Verùm quia maximè cavendum est, ne Martini libri, aut ex illis excerpta mala suppresso aut etiam mutato auctoris nomine publicentur: Quia etiam non sine magna animi nostri offensa multos quotidie videmus & audimus cum alibi, tum maximè in Germania componi & imprimi libros, pluribus malis traditionibus & exemplis refertos, & ne non omni astu & dolo humanæ naturæ hostis, Christianis laqueos

tendat

tendat multos, passim divulgari picturas & imagines, non in opprobrium modo privatarum personarum, sed & ipsius summi Pontificis, & sedis Apostolicæ contumeliam excogitatas. Ex quibus omnibus libris & picturis Christi fideles in maximos tam in fide, quam in vita & moribus prolabuntur errores, & non solum privata odia, scandala & simultates (prout experientia docet) multis in locis orta fuerunt, verum etiam seditiones, tumultus, rebelliones, schismata in regnis, provincijs & populis, atque universa Dei Ecclesia (nisi provideatur) jam jam excitanda formidantur. Idcirco ad hanc perniciosissimam pestem extinguendam ex supradictorum Electorum & Statuum concordi animo, & sententia, omnibus & singulis supradictis tam Imperiali, quàm hæreditario jure nobis subditis, sub jam sæpe dictis omnibus pœnis præcipimus & mandamus, ne quis hujusmodi famosos & pestilentes libros, seu quascunque alias schedas, scripturas, imagines, picturas, contra Orthodoxam fidem, bonos mores, & id, quod S.R. Ecclesia hactenus observavit ; atque etiam invectivas, criminationes, & ignominias contra summum Pontificem, sedem Apostolicam, Prælatos, Principes, Universitates studiorum, & eorum facultates, honestasque personas componere, scribere, imprimere, depingere, vendere, emere, tenere, habere, aut imprimi, describi, depingi, vel vendi facere, quavis arte aut dolo audeat, aut attentet. Quinimo sub ijsdem pœnis jubemus omnibus & singulis supradictis, & imprimis ijs, qui justitiæ ministerio præsunt, ut ejusmodi libros quoscunque ante hac impressos, vel posthac imprimendos, nec non manuscriptos, cujuscunque sint auctoris, aut ubicunque locorum per sacrum Imperium, aut etiam nostra hæreditaria regna & dominia inveniantur, similiter etiam picturas hujusmodi, & imagines Nostro jussu & nomine occupent, diripiant, & publicè igne comburant. Et nihilominus hujusmodi detestabilium librorum, codicum, schedarum, scripturarum, & picturarum auctores, & inventores, ac etiam post præsentis mandati publicationem impressores, emptores, venditoresque, qui contra nostra jussa facere præsumpserint, (si modo id legitimè constiterit) nec non eorum jura, bona omnia & singula capiant, apprehendant, & detineant, ac jure bono quidquid sibi libitum fuerit de illis disponant. ita quod de hoc nulli hominum tam in judicio, quàm extra, respondere sint obligati.

Atque ut omnis ejuscemodi & aliorum errorum occasio tollatur, & ne talia scribentium venena longè latéque diffundantur, sed præclarum imprimendi libros artificium in bonos tantum & laudabiles usus exerceatur, ex

certa nostra scientia, animoque deliberato, ac Imperiali Regiâque auctoritate, de maturo supradictorum Electorum, & aliorum S.R.I. Statuum consilio deliberatione, & unanimi consensu volumus, & sub Banni & Interdicti Imperialis, & alijs antedictis pœnis præcipimus, & jubemus tenore præsentis edicti, quod vim inviolabilis legis habere decernimus: Ne quis de cætero chalcographus, & librorum impressor, aut alius quivis, ubilibet per sacrum Imperium, atque nostra prædicta regna, & dominia constitutus, libros ullos, seu aliam quamcunque scripturam, in quibus de sacris literis, aut fide Catholica aliquid, vel minimum tractatur, non habito prius consensu & voluntate Ordinarij loci, aut ejus ad hoc substituti & deputati, cum auctoritate etiam facultatis Theologicæ alicujus propinquæ universitatis pro primâ videlicet impressione; alios verò cujuscunque rei & facultatis libros, schedas, picturasque, de consensu saltem Ordinarij, aut ejus ad hoc substituti, ullo pacto imprimere, vel vendere, aut imprimi, vel vendi facere, directè vel indirectè quoquo modo præsumat aut attentet. Quod si quis cujuscunque sit dignitatis, gradus, aut conditionis, hanc nostram mentem, decretum, statutum, legem & ordinationem in omnibus & singulis supradictis, tam Lutheranam, quam impressoriam materiam concernentibus, inviolabiliter observandam ullo pacto, aut quovis quæsito colore vel ingenio contrafacere aut venire ausu temerario præsumpserit, præterquam quod illud irritum decernimus & inane, etiam in læsæ Majestatis crimen, ac nostram & S. Imperij gravissimam indignationem, proscriptionisque & Banni, ac Interdicti Imperialis, nec non alias sæpe dictas pœnas se ipso facto incurrisse cognoscat, harum testimonio literarum, sigilli nostri munimine roboratarum. Datum in civitate nostrâ Imperiali Wormatia, die octava Mensis Maij A.D. M D XXI. Regnorum nostrorum Romani II. cæterorum verò omnium sexto.

F I N I S.

LABYRINTHUS PRÆDICANTUM,

IN DEMONSTRANDA VERITATE LUTHERANÆ ECCLESIÆ,

Ex Responsis Nisanij, & doctrinâ Lutheranorum propositus.

In circuitu impij ambulant. Psalm.11. v 9.

ADhuc postrema nostra pro Carolo Magno Romano-Catholico sub prælo erant, cùm novus Nifanij libellus *de Veritate Lutheranæ Ecclesiæ* nobis offertur adversus duos Jesuitas, *P. Jodocum Keddium,* & *P Vitum Erbermannum* inscriptus. Causam hujus sui scripti profitetur Nifanius sibi datam à *P. Keddio*, quòd is Lutheranis *XII. Propositiones* obtulerit, quas Catholicorum nomine poscat sibi probari & demonstrari : inter quas una hæc est, quâ postulat P. Keddius: *Ut Lutherani ministri ratione, & peculiari argumento probent, penès se solos esse unicam, veram Ecclesiam Catholicam, quam sanctam profitemur in symbolo. Argumentum porrò tale sit oportet, quo non æquè suam Ecclesiam veram esse probare possint Reformati, Anabaptistæ, Sociniani, alijque novatores : nisi enim tale sit, quemadmodum postulatur, actum agent, nec se meliores alijs, quos reprobant, demonstrabunt.*

Hanc Propositionem, quia basin & fundamentum cæterarum statuit *Nifanius*, hinc post *Musæum*, *Melchiorem Nicolai*, *Gerhardi Titium*, aliosque Prædicantes probandam suscepit, ex eaque promittit demonstratu-

ſtraturum ſe, *Lutheranam Eccleſiam eſſe veram, & Apoſtolicam* [illegible] *ſiam, quæ eximiâ etiam puritate*, ut loquitur, *præ omnibus alijs partic*[illegible]*bus eccleſijs, & cœtibus, qui Christi nomen profitentur emineat.* H[illegible] dum contra Jeſuitas id ſcriptum tuum producis, quid tibi Jeſui[illegible] runt? quis hactenus te aut ſcripto, aut verbo læſit? At dum P.K[illegible] provocas, cum larvis agis, quando is jam dudum ad aliam vitam [illegible] Erbermannus clarus per Germaniam Theologus, & polemici[illegible] ſcriptis tibi notus, ſi quid dignum reperiet, tibi reſpondebit: [illegible] hactenus ſcripſiſti, nemo Jeſuitarum dignatus eſt calamo ſuo, qu[illegible] mune Jeſuitarum judicium ſit, omnia tua ſcripta eſſe è trivio Pr[illegible] tium, & officinâ textorum, aut exſcripta ex alijs, quæ jam centi[illegible] tata ſint, ac veluti in mortario piſtillis contuſa. Ego interim, qu[illegible] theranus epiſcopus haberis, hoc te honore, dignatus ſum, ut [illegible] hoc ſcriptum tuum expenderem, & tanquam appendicem roga[illegible] rum adjungerem ijs, quæ pro Carolo Magno ſcripſimus. Quan[illegible] totum illud tumultuarium reſponſum ad poſtulata Keddij cùm leg[illegible] non aliter mihi occurrit, quàm *Labyrinthus*, in quo *Niſanius* cum [illegible]*ſæo, Melchiore Nicolai, Gerhardi Titio*, cæteriſque Prædicantibus [illegible]ret, neque exitum invenire poſſit.

Expendamus nunc, quomodo Niſanius *Propoſitionem Keddij* reſolvat? Primò quidem reſpondet tergiverſando, dicendoque, neque Jeſuitas, neque Epiſcopos, neque Pontificem Romanum ſuos eſſe judices, ad quos provocari velit. Sed neque nos tanquam Judices pro tribunal[illegible] id poſcimus, ſed ut privati, & invitati à vobis ad veſtram eccleſiam tran[illegible]ſeundi, quam dicitis eſſe veriſſimam, puriſſimam, & ſecuriſſimam ſalutis viam. Igitur cùm nullus cœco modo debeat ſuam religionem, & Eccleſiam deſerere, & tranſire ad aliam: *Signatum enim eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*, Pſal. 4 jure id ipſum non modò Catholici, ſed & Reformati, Zwingliani, Anabaptiſtæ, cæteríque ex adverſa religione poſtulant, & Catholici cumprimis, quibus arduum eſt credere, à Luthero apoſtata, qui cum moniali in ſacrilego toro ad extremum ſpiritum vixit, puriſſimam eccleſiam eſſe formatam. Rident nos Itali, Hiſpani, Galli, exteræque nationes: Itáne, inquiunt, ab impuriſſimo monacho, puriſſima tandem Eccleſia? Quapropter hoc effugium nullum eſt.

II. Reſpondes: poſtulatum hoc Catholicorum eſſe ἄγραφον, quod

quod in nulla Scriptura reperiatur, imo ἀντίγραφον esse dicis, & contra Scripturam. At quomodo hoc obtendere potes? nam etsi *Propositio* postulati in terminis non sit in Scriptura, res tamen, quæ postulatur, est in Scriptura: tum quia tu promittis te ex Scriptura demonstraturum, quod postulatur; tum quia vera Christi Ecclesia habet in Scriptura suas notas ac proprietates, ut libro 1. satis ostensum est, ex quibus SS. Patres Ecclesiam demonstrant. Ex his petitur ergo, ut nobis demonstres Lutheranam Ecclesiam solam esse veram Christi Ecclesiam. Notæ autem ejusmodi esse debent, ex quibus hoc demonstres, ne *Calvinistæ, Zwingliani, Anabaptistæ, Puritani, Sociniani, Labbadæani*, alijque sectarij ex ijsdem simul suam ecclesiam convincant esse veram Christi Ecclesiam. Quare neque hoc responso te expedis.

III. Respondes: *Fundamentum fidei nostræ Lutheranæ & salutis Hypostaticum*, est solus Christus. Isa. 28. 1. Cor. 3. *Organicum verò, seu instrumentale sunt sola Prophetica, & Apostolica scripta*, excluso Verbo tradito, exclusis quoque Conciliorum, & Pontificum Romanorum decretis. Accipimus hæc tantisper, quæ dicis. Petimus ergo, ut ex *organicis* illis Prophetarum & Apostolorum scriptis argumentum nobis proferas, quo probes, *apud Lutheranos esse solam, & veram Christi Ecclesiam*; eamque, quæ puritate præ cæteris ecclesijs præstet: id verò tale sit necesse, quo non Reformati, Zwingliani, Puritani, Confessionistæ in Anglia, Anabaptistæ, cæterique sectarij suam etiam ecclesiam probent. Hîc denuò hæres, imò dicere coactus es: *Nuspiam Scripturam nos in theologicis fidei controversijs definiendis ad peculiare aliquot fundamentum obligare, quo non alij etiam hæretici, & sectarij utantur.* Ergo adhuc eadem causa illorum, quæ vestra, & cum illis in labyrintho oberras.

IV. Respondes: *Scripturam sacram, in qua hoc fundamentum Hypostaticum, & Organicum continetur, esse claram:* idque D. Augustini, Chrysostomi, & aliorum Patrum testimonijs obtendis. Contrà, si tam clara est Scriptura, oportet te adferre ex illa claritate Scripturæ argumentum, quo probes, & inferas: *Ergo apud Lutheranos est sola, vera, Catholica, & Apostolica Ecclesia:* Sed memor sis, ut tale argumentum proferas, quo non & Anabaptistæ, aut Reformati, ceu quicunque alij sectarij suam sibi ecclesiam asserant: nam hi omnes pari claritate Scripturæ

nixi, apud se veram ecclesiam esse contendunt. *Adhuc serra*, inquit Tertullianus, *per idem lignum reciproca.*

V. Respondes: *Hæreticos quidem, aliosque sectarios, ad idem fundamentum provocare: Sed aliud esse prætendere idem fundamentum in theoriâ, aliud in praxi illud rectè applicare: sicut diabolus*, inquis, *Matth. IV. disputavit, quidem cum Christo ex Scriptura, sed eam non bene applicavit.* Sed hic mera verba nobis reddis. Applica ergo Ephod, applica Scripturam, atque ex illa in praxi proferas argumentum, quo ostendas, *apud vos Lutheranos esse solam, veram, Catholicam, Apostolicam Ecclesiam.* II. Hoc, quod tu dicis, idem Reformati, Puritani, Confessionistæ in Anglia, Anabaptistæ, & centum in Europa sectæ dicunt, queruntúrque, Lutheranos *non benè applicare Scripturam in praxi*, Calvinistæ cumprimis, & Puritani, qui ob id *Reformati* Θεοδίδακτοι, *à Deo illuminati*, & *Orthodoxi* appellari volunt.

Demum respondes: *nolle te Jesuitas in hac causa esse tuos Judices.* Quasi soli Jesuitæ id exigant, & non omnes Catholici, unà cum Reformatis, Zwinglianis, Anabaptistis, Socinianis, Labbadæanis, id à vobis pari jure exigant, & exspectent. Deinde vellem scire, in quo illa peculiaris in praxi applicatio posita sit, utrúmne in donis naturalibus, an supernaturalibus Lutheranorum? an in peculiari S. Spiritus assistentia, an in alio aliquo præsidio? Quidquid hîc dices, idem Catholici, idem Reformati, idem omnes alij obtendent, & contendent. Quare nondum ex labyrintho te explicas. Quia *impij in circuitu ambulant.* Psal. 11.

VI. Respondes: *Nos Lutherani ecclesiam nostram particularem agnoscimus, neutiquam autem universalem*, hoc est Catholicam, *facimus.* Bona hæresis tuæ confessio! Ergo jam expungamus ex symbolo Apostolico, *Credo sanctam Catholicam Ecclesiam*, & dicamus: *Credo particularem ecclesiam Lutheranam.* Eò jam deducti estis, ut confiteri necesse sit, de facto non superesse *Catholicam*, & *universalem Ecclesiam* ampliùs in mundo. Imò hanc à mille annis extinctam dicitis sub Papatu: ergo falsò Apostoli posuêre in Symbolo suo, *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam*: quando *Catholicum* est, *quod semper, quod ubique, & apud omnes est.* Ut lib. 1. exposuimus. Fallunt præterea nos omnia Prophetarum, Christi, & Apostolorum oracula de perpetuitate *Catholicæ Ecclesiæ.* Hæc nimirum ipsa *Donatistarum* hæresis, asserentium Ecclesiam toto orbe perijsse,

perijsse, & in sola Africa apud Donatistas mansisse: quemadmodum id Nisanius de sua Lutherana Ecclesia docet. Ecce, quàm invisum est vobis in Symbolo illud *Catholicæ Ecclesiæ* nomen, quia jugulum est vestræ hæresis: ut propterea malit Nisanius suam Ecclesiam particularem dici, ne à se suisque hæc evidens nota & proprietas exigi possit.

Sed reprimis te, & dicis: *Quòd si per Ecclesiam Catholicam intelligas eam, quæ est exstructa super fundamentum Prophetarum, & Apostolorum, quæque adeò pars est homogenea Ecclesiæ Catholicæ, qualis ante mille annos, & ante defectionem fuit, ita admittere te*, inquis, *Ecclesiam vestram esse Catholicam.* Sed quàm absurda hæc sit responsio, constat ex eo, quòd omnis *ecclesia particularis*, præterquam quod sit constructa super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, de facto semper debeat esse conjuncta cum *universali*, & *Catholica Ecclesia*, quæ sub uno capite, & legitimis Pastoribus, in una fidei professione, Sacramentorum participatione, sacrificio religionis, semper *aspectabilis* fuit. Ita Ecclesiæ in Germania, Hispania, Gallia, Illyrico, ac cæteræ, (de quibus Irenæus & Patres) semper conjunctæ fuere cum universali, & Catholica Ecclesia ad hanc usque diem; & toto quidem Orbe, & in altero etiam Orbe, ex quibus una universalis Ecclesia integratur. Ita Ecclesia particularis in Saxonia, Dania, Suecia, ad Lutherum conjunctæ fuerunt, donec per hæresin vestram abscinderentur.

Saltem, inquis, Lutherana ecclesia est homogenea, sive ejusdem prorsus rationis, & indolis cum Ecclesia Catholica, quæ quinque primis sæculis incorrupta floruit. Id tu dicis, & non probas, neque unquam probabis: non enim homogenea est ecclesia vestra cum antiqua primorum sæculorum Ecclesia, sed heterogenea, quia hæretica est ecclesia, ut quatuor etiam hisce libris ostensum est. II. Hac responsione tu redis ad *labyrinthum*, de quo hic agimus: nam Reformati, Zwingliani, Puritani, Confessionistæ in Anglia, Anabaptistæ, Sociniani, & omnes horum temporum sectæ idem dicunt, idemque sibi vendicant. Hinc omnes *Apostolicam Ecclesiam* apud se inveniri prædicant, qualis primis sæculis incorrupta fuit, & à se ad Apostolicam formam reparata sit. Hoc omnes clamant, & quantum hoc clamant, tantum omnes secum pugnare necesse est, cùm *una* tantùm sit *Ecclesia Catholica* in una fidei professione. Ita Catholici quia toto Orbe in una fidei professione conveniunt, ex hac

pugna vestra veritatem Catholicæ Ecclesiæ monstrant. Quarè hæc pugna sectarum, est victoria Catholicorum; quemadmodum Hilarius dixit lib. 1. de Trinit. *Lis hæreticorum nostra fides.*

Dicis tu quidem, omnes sectarios vendicare sibi veram Ecclesiam, sed suâ opinione tantùm, quæ veritatem rei in se non excludat, nec Lutheranis hujus assertionis veritatem detrahat. Ita quidem est, sicuti *Reformati* non minùs, quàm *Lutherani* dici volunt Catholici, quamvis veritas *Catholici nominis* apud solos *Catholicos* remaneat: sed hinc oportet te aliquod argumentum proferre, quo ostendas *solam, veram, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam apud vos Lutheranos esse*, ut ex illo *labyrintho* opinionum liberes te, & alios. Veritas enim in indivisibili posita est: sicut Ecclesia est pupilla oculi, quæ ne festucas quidem, multo minus istas trabes errorum intra se ferre potest.

VII. Tandem prodit Nisanius cum argumento in forma hujus syllogismi: *Ecclesia, quæ fidei articulos, quos Christus & Apostoli promulgarunt omnes amplectitur, nullum detrahit, nullum superaddit; quæ sanctimoniæ, & observationi mandatorum divinorum, (quantum divinæ gratiæ auxilio potest) operam impendit, quæ denique Sacramenta quæ Christus instituit, & quemadmodum instituit, secundum actus essentiales integrè administrat; illa est sine dubio sincera, & Apostolica Ecclesia: Jam verò Lutheranorum protestantium est talis; quod per inductionem patet, si doctrinam quam profitetur, contuleris cum apertis Scripturis Propheticis, & Apostolicis: Ergo.*

Prolixus syllogismus, in quo viatico opus antequam decurras. Dicis hunc syllogismum dari ex definitione Ecclesiæ, in quo tamen nec genus, nec differentia, nec proprietates quidem ac notæ Ecclesiæ redduntur, quales lib. 1. tibi ostendimus. II. Minor propositio secundum omnes sui partes falsissima est, nec enim Lutherani omnia fidei dogmata à Christo, & Apostolis promulgata credunt, ut disces ex centone Lutherano suprà relato, & toto hoc libro tibi opposito; nec sanctimoniæ, & mandatorum observationi student, cùm doceant *mandata Dei impossibilia*, prætereaque bona opera, quibus justitia conservatur & augetur, rejiciant; nec Sacramenta, quæ Christus instituit, servent, qui præter baptismum nullum Sacramentum integrum retinent; & cùm veros Sacerdotes non habeant, cætera præstare non possunt. Igitur tota propo-

sitio

ſitio ex *falſa hypotheſi* procedit. Sedes tu Bilfeldiæ, tanquam Patriarcha textorum, & nihil aliud facis, quàm ut ſomnia, & deliria texas & intexas, quæ ſi quis tibi retexat, apparet illico, quibus dolis rudem populum circumducas.

Sed permittamus tibi totum hoc argumentum ſecundùm phantaſma tuum, quid evincis, niſi ut novo *labyrintho* te includas, & involvas? Nam quidquid hoc ſyllogiſmo confici vis, id totum ſibi Reformati, Zwingliani, Puritani, Picarditæ, Anabaptiſtæ, Labbadæani, & centum in Anglia, & Germania ſectæ vendicant, eodemque argumento tam certam ſibi reddunt ſuam Eccleſiam, etiam inductione factâ, quàm tu nobis Lutheranam exhibere deſudas. Ecce quale tormentum vobis eſt unica Keddij propoſitio!

VIII. Prorumpis cum novo ſyllogiſmo, tanquam prior tuo etiam judicio infirmior eſſet. hic nempe talis eſt: *In quocunque cœtu hominum docetur verbum Dei, quantum ad piam vitam, & ſalutem conſequendam creditu eſt neceſſarium, & miniſtrantur Sacramenta legitimè, quoad ſubſtantiam, juxta Chriſti inſtitutionem, ibi in veritate eſt Chriſti Eccleſia; Hoc fit in Lutherano cœtu: Ergo Lutherana eccleſia eſt vera Chriſti Eccleſia.* Hoc totum argumentum denuò ex eadem lyra & chorda Prædicantum eſt. Nihil enim in *Majore*, nihil in *Minore* propoſitione reperias, quod non idem Reformati, Puritani, Zwingliani, Anabaptiſtæ, Sociniani, & cæteri novatores religionum de ſuis congregationibus, & eccleſijs aſſerant: ut cum hoc ſyllogiſmo eundem *labyrinthum* ingrediaris.

Ut autem videas, quàm malam hîc cauſam rurſus agas, repeto totum hoc argumentum tuum falſum eſſe. Nam diſſimulata tantiſper *Majore, Minor* falſiſſima eſt: Neque enim apud Lutheranos docetur verbum Dei, quantum ad piam vitam requiritur, neque dogmata omnia ad ſalutem neceſſaria creduntur, neque Sacramenta legitimè adminiſtrantur, ut tibi præter innumeros Scriptores, ſuperioribus etiam libris commonſtratum eſt. Quare, quod tibi probandum erat, hîc ex *falſa hypotheſi* denuo aſſumis: præterquam, quod hæc omnia tibi adverſus Reformatos, Anabaptiſtas, Puritanos, & cæteros ſectarios probanda ſint. *Errare fecit eos in invio, & non in via.* Pſalm. 106.

Dixi, diſſimulatâ tantiſper *Majore*, quæ eâdem fallacia laborat:

Nam verbum Dei, seu sincera prædicatio, & receptio verbi Dei, (ex quo procedit propositio hæc tanquam ex nota veræ Ecclesiæ,) non est nota Ecclesiæ: ratio, quia nota debet esse notior re, quam notat; at ubi fiat illa sincera prædicatio, & receptio verbi Dei, non est notius ipsa Ecclesia, eò quòd ab Ecclesia primùm discendum sit, quæ sit vera prædicatio verbi Dei, cùm Ecclesiæ sit de vero sensu Scripturæ judicare, ut multis ostendit Bellarm. *lib. 4. de Ecclesia c. 2. ex sententia SS. Patrum*, præterea Valentia, Tannerus, Erbermannus, & alij innumeri Theologi. Sed hac super re actum lib. 1. de Ecclesia. Eadem quoque hîc ratio est, de legitima Sacramentorum administratione. Doceas tu primùm, apud Lutheranos esse *veros Episcopos*, *Pastores*, & *Sacerdotes*, & tum primùm constabit, utrúmne apud vos sit *legitima Sacramentorum administratio*, *ex potestate Ordinis & jurisdictionis*. Nam ut notior primum esse debet custos thesauri, quàm thesaurus; doctor quàm doctrina: ita Sacerdos & minister Sacramentorum notior esse debet, quàm Sacramenta, cùm à doctore petatur doctrina, & à Sacerdote, ac vero ministro Sacramenta, non contrà. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Rom. 10. *Ipse dedit Pastores & doctores*. Eph. 4. *Qui vos audit me audit*. Luc. 10. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, Eph. c. 1.

Interim tu appellas identidem ad verbum Dei. Scio, ita olim etiam omnes pseudoprophetæ appellabant clamando: *Verbum Domini, Verbum Domini*; & tamen *spiritus mendax erat in ore omnium Prophetarum*. 3. Reg. c. 22. Paralip. 2. c. 18. Ita omnes priscæ, & horum temporum hæreses appellant ad verbum Dei, & ex eo Ecclesiam suam nobis demonstrare volunt. Verùm cæteris hîc prætermissis, quæramus, in quo consistat *verbum Dei?* In sola, inquis, sacra Scriptura, & scriptis Prophetarum, & Apostolorum, excluso verbo Tradito. Quæramus ultrà: In quo sacra illa Scriptura consistat? Utique in canone, versione, & vero Scripturæ sensu. At quomodo hæc tria probatis reperiri apud solos Lutheranos, quin idem Reformati in Gallia & Hollandia, Puritani & Confessionistæ in Anglia, Zwingliani in Helvetia, Anabaptistæ in Frisia, & centum in Europa novatores religionum, eadem contentione, eodemque quo tu, jure id sibi vendicent? Hîc tu non modò Creticum, sed Ægyptiacum ingrede-

ingrederis *labyrinthum.* Hic tu *concurrere facies Ægyptios contra Ægyptios, & pugnabit vir contra fratrem suum,* Isa.19.

IX. Redis, & provocas ad *Scripturam claram.* Hæc enim tua professio est: *Scriptura sacra tam perspicuè nobis dogmata ad salutem necessaria tradit, ut ex ea collectivè sumptâ, homo ritè dispositus sensum genuinum haurire possit, sine lumine aliunde allato.* Hic tu totus deliras, qui seposito verbo Tradito, seposito judicio universalis Ecclesiæ, sepositis Concilijs, & Patribus; ad privatum cujusque judicium, & spiritum nos remittis. Hic ille enthusiasmus est omnium hæreticorum toties explosus, quocum totus redis in *labyrinthum Prædicantum.* Nam ad hunc privatum, & fanaticum spiritum tam pertinaciter provocant *Calvinistæ, Gomoristæ, Arminiani, Zwingliani, Puritani, Independentes, Confessionistæ in Anglia, Anabaptistæ, Sociniani,* quàm Lutherani provocare non possunt.

Ab hoc enthusiasmo ut se expediat Nisanius, dicit, aliud esse judicium ἐξηγητικὸν & προφητικὸν, quod est judicium explicationis, & prolocutionis de Scriptura, atque id Doctoribus suis convenire dicit. Aliud verò est judicium δοκιμαστικὸν, sive approbationis, quod populi est, dum approbat ea, quæ à Pastoribus, & Prædicantibus audiunt. Sed hîc Nisani agitur de judicio decisivo Scripturæ, eoque publico veræ Ecclesiæ, & infallibili, de controverso fidei dogmate, in quo aliquis quiescere possit, ac debeat, quale judicium Catholici exhibent ex Concilijs Oecumenicis. Hîc valet illud ex Apostolorum Concilio Act.15. *Visum est Spiritui sancto, & nobis.* Lutherani verò, cùm Ecclesiam Catholicam non habeant, nec Concilium Oecumenicum, nec assistentiam illam Spiritus sancti, nec infallibile etiam decisionis, & declarationis judicium, de controverso fidei dogmate habere possunt.

II. Hoc judicium enuntiationis, & explanationis in Pastoribus, & approbationis in populo tam varium, & multiplex est, quàm variæ, & multiplices sunt sectæ, in quibus singulæ sibi ex suis doctoribus, & auditoribus id asserunt: & tamen tantum inter se, & à vobis dissident, quantum secta à secta differat necesse est. Itaque ista Græca verba distinctionis, hîc λόγοι λόγοι sunt, & inania verba, quibus novis te laqueis induis. Avis semel capta, postquam pedem visco impressit, quo magis alas commovet, eo tenacius sese involvit.

III. Si

III. Si Scriptura est tam perspicua, ut quilibet è populo ritè dispositus possit dogmata fidei ex ea dijudicare, tum sanè mirum est ullum adhuc Lutheranum in tota Saxonia reperiri: Nam si Evangelium Christi, & Apostolorum scripta conferamus cum novo Lutheri evangelio & doctrina, tam clarè hæc in Scriptura opponuntur, quàm tenebræ luci. Docet enim Lutherus homini non esse liberum arbitrium, mandata Dei servatu impossibilia esse, opera bona non conducere, neque esse necessaria ad salutem, sola fide justificari homines, nullum peccatum, quantumvis enorme obesse homini, quo minus salvus fieri possit, modo fidem servet, nullam pœnitentiam peccatori esse necessariam, & quæ præterea evangelium Lutheri contra perfectionem Evangelicam, & mortificationem carnis, & Evangelium Christi docet, de quibus Lessius in consultatione Consil. I. & II. SS. Patres, & Interpretes. In his tam clara est oppositio Evangelij Lutheri, & Christi, ut cæcus sit, qui legendo non videat. Verbo. Cyprianus de dup. Mart. *Cur semper in ore habent Evangelium, Evangelium, cum tota vita eorum discrepet ab Evangelij præceptis?*

X. Ex hac propositione superioris syllogismi, duas alias propositiones hæreticas procudit Nisanius: quarum prima est, *omnia, quæ ad fidem, & mores spectant, clarè in Scripturis sunt.* Quam in rem multa adfert Scripturæ, & SS. Patrum testimonia: sed hæc omnia à Bellarmino lib. 3. de verbo Dei, Becano lib. 1. Man. de Script. q. 4. & 5. Erbermanno lib. 1. de verbo Dei c. 4. Valentia, Tannero, Forero, alijsque ad amussim sunt expensa, & diluta. Etiam talpa multos egerit terræ cumulos, qui facili pede proculcantur, qualia hæc tua sunt, vel obscura vel contorta, vel ad rem non pertinentia ex Gerhardino Augiæ stabulo, cui purgando ne ipse Hercules quidem sufficeret. Et quid attinet hæc toties repetere & proterere? Rem tamen paucis expendamus.

Ac I. licet in multis Scriptura sit clara, quæ ad fidem, & mores spectant, ideo in multis Lutherani etiam cum Catholicis conveniunt; in multis tamen est obscura, quod omnium Patrum, Theologorum, & Interpretum est judicium, idque divina ordinatione factum docent SS. Patres: Tum ut altiora mysteria occultè traderentur. Ita Dionys. lib. de Eccl. Hierarch. Irenæus lib. 3. c. 4. & lib. 4. c. 36. Tum ad exercenda fidelium ingenia, & fidem. Ita Augustinus de Doct. Christ. c. 6. lib. 11. de civit. Dei c. 14. Hieron. epist. 12. Gregorius M. hom. 12. in Ezech.

Tum

Tum ut Scripturæ intelligentia postuletur à Deo. Ita Origenes hom.7. in Ezech. Hieron. in Isa. c.18. Theophylact. in Matth.c.13. Ex quibus simul constat falsum esse, quod tu dicis, Scripturam à SS. Patribus claram asseri. Qua super re Suarez tract. de fide disput.5. Addit, in hoc fraudes omnium hæreticorum versari ad plebem decipiendam, eo quòd Scripturam suis claram persuadeant. Tum ut Ecclesiam audiamus, *Quæ est columna, & firmamentum veritatis*, 1. ad Timoth.3. *Qui vos audit, me audit.* Luc.10. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* Matth.18. Et tamen Nisanius falsissimè scribere audet: *Nuspiam nos Spiritus sanctus remisit ad Ecclesiam, vel Ecclesiæ Concilia, sed ad Scripturam, unicam illam regulam fidei, & controversiarum.* Quid insanius dici poterat à Lutherano Episcopo, ad omnia Concilia Episcoporum proscribenda, & damnanda? Imo verò, cum Antiochiæ orta esset quæstio, & controversia de legalibus, nunquid res ad Concilium Apostolorum est remissa? Act.15. ex quo illa vox & decisio relata: *Visum est Spiritui sancto, & nobis.* Lege, quæ in hanc rem Patres, & Theologi ex V. & N. testamento proferunt.

II. Hanc obscuritatem ipsa Scriptura profitetur. S. Petrus epist. 2. cap. ult. de Epistolis Pauli: *In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perniciem.* Ita Matth. 13. & 16. ita Actor. 8. leges. Hinc Luc. 24. *Tunc aperuit illis sensum* Scripturæ; & Matth. 24. *Qui legit intelligat.* Et ratio hujus redditur ex rebus quæ traduntur in Scriptura. Nam etsi historiæ & præcepta moralia de virtutibus, & vitijs sint planiora, quo sensu Chrysostomus, Irenæus, alijque Patres à te adducti subinde Scripturam claram asserunt, Prophetiæ tamen, & mysteria fidei de Trinitate, Incarnatione, prædestinatione, justificatione, præsentia in Eucharistia, alijsque, quantum non superant humana ingenia? II. Obscuritas est ex modo, quo tractantur Scripturæ, ob figuratas locutiones, tropos, metaphoras, allegorias, parabolas, ac cætera involucra. Adhæc quàm brevibus verbis, quàm alta mysteria comprehendit Scriptura? Qua super re lege Suarez Bellarm. Becan. & Interpretes. In his Nisanius nos remittit ad judicium plebis. Aliter sanè Ambrosius epist. 44. ad Constantium Imperatorem scribit: *Mare est Scriptura divina, sensus habens profundos.* Aliter Irenæus: *Altissima mysteria non omnes capiunt, quia non omnes cerebrum habent.*

III. Si Scriptura est tam clara, ut à quovis dogmata fidei, & morum ad salutem necessaria ex ea intelligi, & dijudicari possint: quid faciunt tot Concilia œcumenica adversus tot hæreses? tot Episcoporum synodi? tot sanctorum Patrum explanationes? Quid ipsius Lutheri, & Lutheranorum commentarij? frustra hæc acta: poterant enim homines remitti ad Scripturam claram, in his omnibus controversijs fidei.

IV. Si tam clara est Scriptura, ut hic obtendis, quare vos Lutherani ex singulari dono applicandi Scripturam, quo dicitis vos valere in praxi, tot sæculi hujus hæreses non componitis in unam concordiam, & Ecclesiam? Imo cum omnes horum temporum sectæ clament Scripturam esse claram, quare non ultro in unam aliquam Patriarchalem Ecclesiam, aut sub Luthero, aut sub Calvino Patriarcha convenitis? Maximè cum videatis Catholicos toto orbe terrarum per tot gentes, & tam diversas nationes in unam Religionem, & Ecclesiam, tam admirabili concordia doctrinæ convenire? Quæ enim *fidei & perfidiæ societas esse potest?* inquit S. Cyprianus M. epist. 3. Quid facit tanta sectarum per Germaniam multitudo, post Lutherum & Calvinum primùm introducta? *Quando non tam dolor, quam pudor apud nos loqui debet:* quemadmodum idem Cyprianus in hac causa dicit.

V. Si tam clara est Scriptura, quare à vestra Ecclesia non facitis initium, quæ in tot particulares sectas sub Lutherano nomine est divisa, ut in unam religionis concordiam redigatis? Sunt apud vos Saxonici Lutherani, qui Brentianam Ecclesiam 17. errorum damnant; sunt Melanchthoniani, qui Saxonicam Ecclesiam impugnant; sunt Flacciani, sunt Anhaldini, sunt Osiandrini, sunt qui Musculum sequuntur, sunt Calixtini, sunt viginti aliæ sectæ, quas apud Prateolum, & Gvalterium leges: omnes illæ sub Augustanæ confessionis professione se ferunt, & tamen in capitalibus fidei dogmatibus diffident. si inquam tam clara est Scriptura, quid faciunt illa diffidia in domo vestra? ut non prius in concordiam veniatis, antequam reformationem Catholicæ Ecclesiæ vobis sumatis? Ante Lutherum tota Germania in una majorum Religione se possidebat, imo verò à Carolo Magno, ad annum Christi 1440. ex quo typographia primùm inventa est, quàm rara erant biblia in ædibus & manibus civium? & tamen quàm multi pij, justi, & sancti homines per Saxoniam? & plures profectò, quam à Lutheri evangelio. Postquam vero Lutherus popu-

[illegible] ia remisit, & novatores religionum persuaserunt po-[illegible] m esse tam claram, ut quilibet ex ea se judicem in doctri-[illegible] osset; illico tota Germania per inauditam metamorpho-[illegible] resibus est repleta. & unde hoc malum? *nisi quia Scri-*[illegible] ugustinus dixit, *non bene intelliguntur?*

[illegible] ius: Scripturam etiam in ijs, in quibus clara erat, hæresis obsc[illegible] ntroversam fecit, & per hæreses divisit Ecclesiam. Quid clar[illegible] *in unum Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæ-li* [illegible] n Simoniani, Marcionistæ, Manichæi, & tota Gnosti-cor[illegible] m Deum creatorem negavit. Quid clarius illo? *Ver-bum* [illegible] *est*: & quid non turbavit Arius? Quid clarius illo? *Spi-ritus* [illegible] Joan.4. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Pa-tris,* [illegible] *Spiritus sancti* Matth.28. & quid non Macedonius ausus, nega[illegible] tem Spiritus sancti? Quid clarius illo symboli? *Natus ex* [illegible] *gine*, & quid non Nestorius introduxit negando Θεοτόκον Virg[illegible] clarius illo? *Hoc est corpus meum*, & quot non sectæ su-per h[illegible] claris verbis? aut quantum non Catholici, Lutherani, Calvini-stæ, & Sacramentarij dissident? Quid clarius illo? *Credo unam sanctam Ecclesiam Catholicam*, & tamen, quot sectæ horum temporum eam di-vid[illegible] unt? etiam illi, qui non nisi particulares ecclesias de facto apud se esse fatentur?

Et vero, cum Catholici Ecclesiam Catholicam ex symbolo Apo-stolico evincant, Nisanius ipsum symbolum Apostolicum in dubium vo-cat, ita enim scribit: *Symbolum hoc ab Apostolis ijsdem verbis, quibus ab-solutum, minimè traditum est, neque αὐτολεξεὶ est conscriptum: ideo hanc traditionem, quia lubrico fundamento nititur, meritò rejicimus.* Quò aliò hæc obsecro spectant, quàm ut ipsum Catholicum nomen, & clarissimam illam notam ex symbolo expungant? Nam quæ ad hanc rem Patres adfe-runt, ea cum Vossio dicit se rejicere. Quo non hæresis abit? aut quid hîc aliud agis? quàm ut alius etiam ex eodem falso tuo principio, omnem et-iam Scripturam sacram rejiciat? cùm Scriptura sacra non aliunde certius, quàm ex verbo Tradito probetur, (de quo lib.1. actum est,) uti id ratio convincit: *Priori enim non datur prius.* & cùm primum, & unicum funda-mentum credendi apud vos sit Scriptura, & Scriptura ex alia Scriptura

ſacra demonſtrari non poſſit, ne detur progreſſus in infinitum; reliquum eſt, ut ex verbo Tradito probetur, quod & Kemnitius, aliįque Lutherani agnoſcunt. Ita verè hic denuo labyrinthum ingrederis, ex quo ſe nemo Prædicantum expedijt, qui verbum Traditum à Scripto diſtinctum tecum rejecit.

Altera hîc propoſitio Niſanij eſt de articulis fidei ad ſalutem neceſſarijs. Nam cum dixiſſet Lutheranam eccleſiam ex omnibus horum temporum eccleſijs eſſe veram, & Apoſtolicam Eccleſiam, eo quod credat omnia dogmata ad ſalutem neceſſaria, intelligebat ſimul à ſe quæri, quænam illa ſint dogmata, & unde iſta dogmata petenda ſint? At mirum, quantum hîc ſe torqueat, eundo per omnes Lutheranorum, & Calviniſtarum officinas, & ſcriptorum judicia; & cùm nihil certi inveniret, in quo pedem figeret, neque ex novo hoc labyrintho elabi poſſet, invehitur in Catholicos calumniando, dicendoque, quod inter ipſos etiam non conveniat de dogmatibus ad ſalutem neceſſarijs. Verùm ſi Niſanius Catholicos audiret, facilè ſe ex hoc labyrintho expediret, nec hæreticus eſſet.

Catholici igitur neceſſitatem credendi duplicem ſtatuunt, quarum alia eſt neceſſitas *Medij*, alia *Præcepti*. De *neceſſitate medij* eſt illud, ſine quo in re, vel in voto, juxta præſentem rerum ſtatum obtineri beatitudo non poteſt: tametſi eo quis ſine culpa careat, ex quocunque demum capite id contingat. Quemadmodum id exemplo Baptiſmi clarè oſtendunt Theologi.

Neceſſarium *neceſſitate præcepti* illud dicitur: quod ex lege aliqua vel mandato, eſt ſub gravi peccato faciendum; differt hæc neceſſitas à priori, quod quis ſalvari poſſit, ſi omittat ex divino præcepto facienda, eo quod vel facultas ei faciendi non ſit, vel quod invincibiliter ignoret præceptum; quod in priori neceſſitate locum non habet. Hoc modo inter Lutheranos, Reformatos, alioſque heterodoxos multi ſunt, qui præcepta, & præſcripta fidei dogmata inculpabiliter, & invincibiliter ignorant, ideoque materiales hæretici ſunt, non formales, & ſalvari poſſunt, modò per baptiſmum in Eccleſiam ſint ingreſſi, & præcepta decalogi ſervent: & ſi lapſi ſint in peccatum mortale, per contritionem, & pœnitentiam peccata expient, ac Deo ſe reconcilient. Quinam vero illi ſint, & quàm multi, paucive, Dei eſt, non hominis judicare. Sanè verò ſi Gentiles,

tiles, qui lumine naturali aut verum Deum cognoſcebant, aut cognoſcere debebant, nam quod *notum eſt* Dei, Τὸ γνωςὸν τȣ̃ Θεȣ̃, *manifeſtum eſt illis, Deus enim illis manifeſtavit; inviſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Ut multis hæc contendit Apoſt. Rom.1. Si inquam illi, ut Apoſtolus dicit, *inexcuſabiles* ſint, quale Chriſtianis judicium manet, maximè inter Catholicos verſantibus, qui Eccleſiam non cognoſcunt, aut ut cognoſcant, non inquirunt? quam SS. Patres ſole clariorem, & in tabernaculo ſolis poſitam docent. Deinde, ſi ijdem Gentiles, *qui ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt*, teſte eodem Apoſt. Rom. 2. v.12. & damnabuntur, non tanquam tranſgreſſores legis Moſaicæ, vel ſcriptæ, nam talem ignorabant, ſed tanquam prævaricatores legis naturalis, in quam peccaverunt, & quam ignorare non poterant; Quid Chriſtianis futurum, & qui legem Dei impoſſibilem ſtatuunt? aut quale judicium erit horum errorum magiſtris, qui *veritatem Dei in injuſtitia detinent?* Rom.1. verſ.18. *& ſola fide*, quæ vel ex hoc ipſo falſa eſt, ſalutem ſuis promittunt?

Igitur, ut ad primam quæſtionem de neceſſitate medij, in qua tu Catholicos diſſentire incuſas, redeamus. ℞. paucis: De *neceſſitate medij* primò eſt ipſa fides ſupernaturalis in adultis, ad gratiam juſtificationis, & æternam ſalutem neceſſaria: *Sine fide enim impoſſibile eſt placere Deo*, Heb. 11. *Qui non crediderit condemnabitur*, Marc. ult. ita S. Thom. 2.2. q.2. art.3. quæ communis eſt Theologorum doctrina: de quo Suarez diſp.12. de Neceſſitate fidei ſect.1. alijque innumeri. Hinc Trident. Seſſ 6. c.7. Baptiſmum docet eſſe *Sacramentum fidei, ſine qua nulli unquam contigit juſtificatio.*

II. Inter ipſas res credendas primum eſt ipſe *Deus*, ſive *Dei exiſtentia*, quæ omni tempore, & in omni legis ſtatu, fide explicitâ fuit creditu neceſſaria: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Hebr.11. v.6. Hæc rurſus communis omnium Catholicorum ſententia eſt, de qua Suarez diſp.12. ſect.3. Valentia q.2. p.3. Tannerus diſp.1. q.7. dub.2. cæterique Theologi. Ex hoc Apoſtoli axiomate rurſus alterum deducitur: Fides nimirum Dei Remuneratoris *neceſſitate medij* ad ſalutem neceſſaria. Quæ itidem eſt communis Theologorum ſententia. Quæ vero alij hic contra movent,

Utrumne hæc fides in omni casu explicita esse debeat? deinde, an supernaturalis? leges apud eosdem Theologos. Sed hoc denuo hîc ad rem non facit, cum inter Scholasticos terminos disceptetur. Sufficit hic dicere, esse de necessitate medij, credere Deum remuneratorem bonorum, & vindicem malorum. Id si tu cum Lutheranis tuis rectè crederes, ut oportet, non doceres, nullum bonorum operum esse meritum, nec mercedem; Non doceres, mandata Dei non posse servari, neque ex eorum observatione esse remunerationem; Non doceres, sola fide ita justificari homines, ut nulla homini Christiano peccata, qualiacunque illa sint, & quantumvis enormia, obesse possint ad salutem: *Si non sunt merita, quomodo judicabit Deus hunc mundum?* inquit S. Augustinus Epist. 46. ad Valentinum. Hoc præterea dogma ita lumine naturæ notum est, ut nulla prope gens tam barbara reperta sit uspiam, aut tam impia, quin Deum, aut deos suos coluerit remuneratores bonorum, & vindices malorum: quod tamen insitum naturæ lumen hæresis vestra extinxit in suis, qui nec merita bonorum operum, nec remuneratorem agnoscunt, nec aliam damnationis causam, quàm ex neglectu, contemptuve Lutheranæ fidei, statuunt. *Tam enim dives est Christianus homo,* Luthero judice, *ut perire non possit, modò fidem solam retineat.*

III. Post promulgationem Evangelij, de lege ordinaria, ac per se loquendo, semper necessaria fuit necessitate medij, fides explicita Incarnationis, quâ credas, *Christum esse verum Deum, & hominem, natum, mortuum, & resuscitatum.* Idem est de mysterio SS. Trinitatis. Utrumne verò etiam fides implicita horum mysteriorum ad salutem satis esse possit, sicut in lege naturæ, & veteri Testamento satis erat, maximè in casu, quem ex Catholicis moves; si quis nimirum puer ad usum rationis deductus, & lumine supernaturali adjutus convertat se ad Deum, eliciendo actum fidei, & amoris Dei, quo justificetur, & per consequens ad salutem perveniat, etsi nihil explicitè de Christo adhuc cognoverit, audiveritvè? disceptant Theologi, neque huc denuò spectat. imo sufficit in genere vobis respondere, hæc mysteria esse de *necessitate medij,* in quo omnes Catholici conveniunt, quidquid sit de modo, aut casu aliquo extraordinario. Semper tu ea inter controversa fidei dogmata falsò obtrudis, quæ salva fide inter Theologos disputantur, sive id fraude facias, sive ignoran-

ignorantia, tuam conſcientiam appello. An tu putas, D.Thomam, & magnos poſt eum Theologos neſciſſe, quid hac in re docendum ſit; ut illud prius à te, tuiſque diſcendum ſit?

His nunc accedit Baptiſmus, in re vel in voto, neceſſitate medij neceſſarius, extra martyrij caſum. Quam *neceſſitatem medij*, ſi agnoſceres, non doceres, infantes ſine baptiſmo, vel in re, vel in voto, ſalvari.

His poſtremum addunt Pœnitentiam *neceſſitate medij, & præcepti* neceſſariam adultis in peccatum mortale prolapſis, quibus ea vel formalis, vel virtualis neceſſaria eſt: ſed ab hac neceſſitate vos rurſum abſolvitis omnes peccatores, quibus ſola fide juſtitiam, & vitam æternam promittitis: *Tam enim dives eſt homo Chriſtianus*, inquit Lutherus, *ut perire non poſſit, modo ſolam fidem retineat.* Igitur cum Apoſtolus ſcribit ad Corinth. Epiſt.1. c. 6. *Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei poſſidebunt*; aut cum ad Galat. c.5. dicit: *Manifeſta ſunt opera carnis: quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria,* & quæ multis ibi percenſet peccata, concludendo, *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur*, nihil ad veſtram pœnitentiam ſpectant, quæ ſola fide juſtificante abſolvitur; nihil quoque ad vos, quando ad Hebr. c.13. ſcribit: *Fornicatores, & adulteros judicabit Deus*; quando Lutherus, qui in ſacrilego concubinatu vixit, cum ſacrata moniali ad ultimum vitæ, à Niſanio *Beatus* ubique *Lutherus* appellatur, interque choros Prophetarum, & Apoſtolorum collocatur. Nihil hîc referam de gratia habituali, quæ adultis neceſſitate medij neceſſaria ſtatuitur à Catholicis, cùm & hanc ſola fide juſtificante ſuppleant. Cætera quid attinet referre, quæ hic Prædicans cum omnibus alijs dogmatibus, quæ de neceſſitate medij, & præcepti neceſſaria ſunt, è medio tollit?

Sed nunc altera quæſtio reſtat, unde dogmata fidei, quæ & neceſſitate medij, & præcepti neceſſaria ad ſalutem requiruntur, petenda ſint? Reſpondent Catholici, ex verbo Dei ſcripto, & tradito, ex ſymbolo Apoſtolico, ex conſenſu univerſalis Eccleſiæ, & SS. Patrum, ex declaratione Conciliorum Oecumenicorum, inter quæ poſtremum fuit Concilium

cilium Tridentinum, in quo fidei dogmata adversus hæreticos horum temporum decisa habemus. In his enim *Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis*, 1. ad Timoth.3. Atque hæc dogmata Catholicorum, si sufficienter sint proposita heterodoxo, & heterodoxus suam sententiam cognoscat erroneam, tenetur ex præcepto, sub gravi peccato, illa acceptare, & credere; nisi ex materiali hæretico transire velit in formalem. Qua super re legat Doctores, qui conscientiæ doctrinam tractant, Sanch. lib. 2. moral. Bona. 2. d.3. p.3. Ferdin. de castro Palao.4. disp.1. p.12. Coni. disp.14. de fid. Filliut. n.25. Layman. lib. 2. c.10. & 12. aliosque.

Hîc verò cum quæritur à Nisanio, unde dogmata Lutheranæ fidei ad salutem necessaria sint petenda? remittit nos primò ad Habercornium, à quo systema omnium fundamentalium articulorum fidei confectum sit, quibus addit Kemnitium, Joannem Gerhardi, Danhauerum, Polycarpum Lyserum, & scripta symbolica. Itane quispiam sanæ mentis contempto Catholicæ Ecclesiæ, & omnium Episcoporum & Doctorum Catholicorum judicio, hærebit istorum Prædicantum judicio, ut ab his petat necessaria ad salutem fidei dogmata? præterquam quod idem Reformati, Zwingliani, Anabaptistæ, & centum in Anglia, & Germania Sectarij ex suorum Ministrorum judicio offerant.

II. Remittit nos Nisanius ad Augustanam Confessionem, ad Confessionem fidei Smalcaldicam, ad Catechismum Lutheri majorem, & minorem, ab his enim, inquit, clarè nos doceri ex Scriptura, quæ sint dogmata fidei necessaria ad salutem, imò hæc esse biblia laicorum, inquit Nisanius. Ergo rursum contempto judicio Conciliorum œcumenicorum, & Episcoporum, comittam me judicio Lutheri, & horum judicio, qui confessiones fidei vestræ fabricarunt? Vel illud judicium est fallibile, vel infallibile? Si fallibile, sanè illo judicio me committere non possum, nec debeo. Si infallibile? ergo jam præter Scripturam habemus aliud judicium infallibile, quod est contra vestram doctrinam.

Sed inquies, saltem in declaranda, & in explicanda Scriptura infallibile erit, sicut Catholici de suis Concilijs œcumenicis asserunt; *De intelligentia enim hæresis est, non de Scriptura; & sensus, non sermo fit crimen*. Hilar. lib. 2. de Trinit. Verùm hîc tibi primò probandum est, apud Lutheranos esse veram Ecclesiam, cui assistentia illa Spiritus sancti in declarando

rando vero Scripturæ sensu promissa sit, hoc tu nunquàm præstabis: ut hîc cum impijs denuo in circuitu ambules. Deinde hoc consilium, & principium, quo juvare me, & in viam reducere volebas, est contra tua principia, qui dicis, & doces: *Nullibi nos Scriptura aut Spiritus sanctus remittit ad Ecclesiæ judicium, sed ad ipsam Scripturam, ut ex ea immediatè dogmata fidei ad salutem necessaria petamus*; & in hoc Scripturam tam claram esse dicis, ut quilibet ritè dispositus, possit ea dogmata fidei, sine mutuato aliunde lumine cognoscere, dijudicare, & tutò credere. At verò quid hîc aliud rursum agis, quàm ut ad tuum labyrinthum redeas? Nam quidquid promittis ex judicio Lutheri, ex Augustana, & Smalcaldica confessione, aut scriptis symbolicis vestrorum Ministrorum, hoc totum promittunt Calvinistæ, Zwingliani, Puritani, Confessionistæ in Anglia, Anabaptistæ, Sociniani, cæterique novatores religionum, ex suarum Confessionum, scriptorum symbolicorum, conciliabulorum judicio, imo tam firmiter stant Calvinistæ Calvini, Zwingliani Zwinglij, & alij novatores suorum auctorum judicio, quàm Lutherani Lutheri, eandemque Spiritus sancti assistentiam suis ecclesijs tribuunt. Hîc ergo aliquo argumento evidente, & certo, ex hoc inextricabili labyrintho expedire nos debes, quod ex proposito Keddij postulato requiritur. Sed vide, ne pro ingenio priscorum hæreticorum denuo agas, de quibus Tertullianus lib. contra Valentinianos: *Habent artificium hæretici, ut prius persuadeant, quàm doceant. Veritas autem docendo persuadet.* Prædicantes estis, & nihil unquam probantes.

Demum, cum te expedire non posses, dicis dogmata ad salutem necessaria, quibus Lutherani à Papistis, & Reformatis discernuntur, non esse ad salutem necessaria. ita enim sub initium libelli scribis: *Esto dogmata propriè Lutherana, hoc est, ut ego intelligo, quorum assertione Lutherani à Papistis & Reformatis discernuntur, & illis per invincibilem forte errorem negatis, possit quis esse membrum veræ Ecclesiæ; sufficit tamen quod Scripturis divinis non sint adversa.* Ex his constat, te profiteri Lutherana dogmata, quantum differunt à Catholicorum, & Reformatorum dogmatibus, non esse adversa Scripturæ, aut per invincibilem ignorantiam innoxiè credi posse: & cum idem tibi dicendum sit de Catholicis, & Reformatis, perinde secundùm te erit, in quacunque religione ex his

tribus quis vixerit. Quod jam ante te, Calixti vestri dogma fuit, eò quòd hæ tres religiones, secundùm Apostolorum symbolum, omnia credant ad salutem necessaria.

Sed quid jam respondebis alijs religionum novatoribus? qui idem de sua religione contendunt, & in hanc triadem non minus admitti volunt, quàm Lutherani: eò quòd dicant, se nihil Scripturæ adversum docere, aut credere. Hîc tu novum denuo, & periculosissimum labyrinthum ingrederis, quòd illis urgentibus admittere cogeris, quemlibet in sua religione posse salvari, modò Scripturam retineat, eamque secundùm suæ congregationis judicium sequatur. Hactenus te Nisani per omnes errorum tuorum labyrinthos comitatus sum, modò ultrà sequi non possum, quia ad præcipitium Acherontis me deduxisti, ubi impij, & athei cruciantur.

Interim his omissis, redeamus ad nostra, quæramusque primò, quæ sint illa dogmata, in quibus Lutherani à Catholicis, quos tu Papistas, & Pontificios appellas, discernantur? hæc verò tu nec profers, nec recensere audes: facilè autem, ac planè cognosces ex Concilio Tridentino, si per singulas Sessiones eundo, relegas damnata Lutheranæ religionis dogmata; aut si ea, quæ in Centone Lutherano indicavimus, percensere velis. Hæc verò Lutherana dogmata, si tu dixeris Scripturæ non esse adversa, aut ad salutem non esse necessaria, næ tu plus quàm lupinum stomachum habes, qui hæc ex Scriptura concoquere possis, quin non omnes omnino horum temporum hæreses in unam Ecclesiam, & religionem simul componas.

II. Quæramus quæ sint dogmata, quibus Lutherani à Reformatis, seu Calvinistis discernuntur? Nec ea tu profers in medium. Interim alij plures, alij pauciores recensent. Est inter vos, qui centum errores Calvinistarum, diversos à vestris, edito libro percenseat: sed non opus tanta multitudine, quando satis constat, Lutheranos à Calvinistis separari auctore hæresis, ministerio verbi, templis, cœtibus, ritibus, ministris, eorumque ordinatione, & potestate, Sacramentorum administratione, doctrinâ religionis. At his, & cæteris hîc omissis, docent Calvinistæ, Christum in cœna sua non esse verè, & realiter præsentem, contrà Lutherani verè, & realiter præsentem esse docent: quæ duo cùm contra-

dictoria

dictoria sint, nunquam convenire possunt in unam veritatem: ut aut Lutheranos, aut Calvinistas falsam cœnam administrare necesse sit. Itaque si hæc non sunt necessaria dogmata salutis, sed tanquam adiaphora religionis, nihil interest, sive Calviniani, sive Lutherani ministri populo imponantur, sive cœnam à Calvinistis, sive à Lutheranis accipias. Verbo. nihil interest, Lutheranus sis, an Calvinianus. Ecce qualem Superintendentem, & episcopum animarum vestrarum, & quàm fidum ministrum vos Bilfeldienses Lutherani sortiti estis ex Dania, qui ex una religione transformat vos in aliam! Quid verò Apostolus Paulus? 1. ad Corinth.4. v.1. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.*

Scribas tu nunc, & exscribas, quantum placet; dicas & garrias, quantum vis, curras in tuo labyrintho, quantum potes. Hic tu nullum exitum reperies, nisi ad Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam redeas, quæ primùm inquirenda per veras notas, & proprietates suas in Scriptura, in symbolo Apostolico, & in Concilijs propositas: inventâ verâ Ecclesiâ, invenies veram assistentiam Spiritus sancti, & infallibilem controversiarum decisionem in Concilijs œcumenicis, ex Pontificum, & Episcoporum judicijs: *quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Extra hanc Ecclesiam uti nec veritas, ita nec salutis spes promissa est. Quemadmodum inter cæteros Patres S. Augustinus ad Emeritum Donatistarum Episcopum, Serm. super gestis cum Emerito scripsit, quæ & mihi ad Lutheranum Episcopum scribere licebit: *Salutem non potest habere nisi in Ecclesia Catholica. extra Ecclesiam totum potest habere præter salutem: potest habere honorem, potest habere Sacramentum, potest cantare Halleluja, potest respondere Amen, potest Evangelium tenere, potest in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, fidem & habere, & prædicare; sed nusquam nisi in Ecclesia Catholica salutem potest invenire.* Lib. verò contra lit. Petiliani c.13. *Quærimus unde fuerit diabolus homicida ab initio? & invenimus, quod primum hominem occiderit, non gladium stringendo, sed persuadendo peccatum, & à Paradisi felicitate ejiciendo. Quod tunc Paradisus, hoc nunc Ecclesia. Diaboli ergo filij sunt, qui homines ab Ecclesia seducendo interficiunt: sicut ergo*

per verba Dei novimus, ubi sit Paradisus plantatus; sic per verba Christi, ubi sit Ecclesia, didicimus: per omnes inquit gentes, incipiens ab Hierusalem. Ab isto universo ad partem quamlibet, quisquis separat hominem, ille diaboli filius, & homicida convincitur. Inde Epist. 152. ad populum factionis Donatist. *Quisquis ergo ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod à Christi unitate disjunctus est, non habet vitam, sed ira Dei manet super eum.* Lib. 4. contra Donatist. c.8. *Constituamus aliquem castum, continentem, non avarum, non idolis servientem, hospitalitatem indigentibus ministrantem, non cujusquam inimicum, non contentiosum, patientem, nullum æmulantem, nulli invidentem, sobrium, frugalem, sed hæreticum; nulli utique dubium est, propter hoc solum, quod hæreticus est, regnum Dei non possessurum.* Tom. 3. D. August. seu D. Fulgentius de fide ad Petrum Diaconum c.39. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, quemlibet hæreticum, vel schismaticum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizatum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantascunque eleemosynas fecerit, & si pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari: omni enim homini, qui Ecclesiæ Catholicæ non tenet unitatem, neque baptismus, neque eleemosyna quamlibet copiosa, neque mors pro Christi nomine suscepta, proficere poterit ad salutem, quamdiu in eo hæretica, vel schismatica pravitas perseverat, quæ ducit ad mortem.* Et quæ non in hanc rem Augustinus de Bapt. contra Donatist. lib.4. c.17. Tract. 6. in Joannem, lib.1. de serm. Dom. in monte c.9. cæterique Patres ac Scriptores? Quare redi ad Catholicam Ecclesiam, ex qua omnes novæ & veteres hæreses exierunt, Joan.1.c.2. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.*

Nam in quanto stultitiæ, & vanitatis errore verseris, vel ex hoc ipso labyrintho satis intelligis. Vis totam Ecclesiam Catholicam reformare, hinc tot Catholicorum dogmata oppugnanda, & expugnanda suscepisti: nec tamen ex hac unica propositione P. Keddij te expedire potes, ut vel in speciem prudenti viro Lutheranæ ecclesiæ veritatem ostendas. Quare, si quid respondere cogitas, primùm ex hoc labyrintho te evolvas, & presse, ac solidè aliquid ad rem ipsam repone, omissis illis ambagibus, & rerum involucris. Id nisi præstiteris, scito nec me, nec alium facile

cile


cile ad ejusmodi phlyarias, quales hactenus scripsisti, & ad inanem illam garrulitatem, te responso dignaturum. Et quid tu serò tandem fundatissima Catholicæ religionis principia ab Ecclesia posita, à tot Conciliorum Patribus asserta, atque à tot Doctoribus, & Theologis solidata, evertere tentabis? Crede mihi, tam inani, & stulto labore te fatigabis, quàm si Danus aliquis rusticus velit impulsu manus aheneum murum perfringere, aut ligneo bidente munitissimam Germaniæ arcem expugnare. Nondum videris scire, quantum ignores, & desipias, aut quantum te in omnem partem quis rotare possit; tam lubrico ubique pede stas, quàm fallax in omnibus est hæresis tua. Cypriani illud monitum, potius accipiamus ad Demet. *Qui ad malum motus est mendacio fallente, multo magis ad bonum movebitur veritate cogente.* Id vel eo magis ex consilio ejusdem Cypriani Episcopi, ac Martyris hîc apud nos valere debet, quod in epistola ad Quirinum scribit: *Nihil potest esse commune mendacio, & veritati, tenebris & luci, morti & immortalitati, Antichristo & Christo. Per omnia enim debemus Ecclesiæ Catholicæ unitatem tenere, nec in aliquo fidei & veritatis hostibus cedere.* Quam in rem velim legas, quod S. Augustinus lib. de utilitate credendi, cap. 1. de se ipso scribit: *Quid me aliud cogebat annos ferè novem, spreta religione, quæ mihi puerulo à parentibus insita erat, homines illos sequi, ac diligenter audire? nisi quod superstitione terreri, & fidem nobis ante rationem imperari dicerent: se autem nullum premere ad fidem, nisi prius discussa, & enodata veritate; Quis non his pollicitationibus illiceretur? præsertim adolescentis animus cupidus veri, etiam nonnullorum in schola doctorum hominum disputationibus superbus & garrulus: qualem me tunc illi invenerunt, spernentem scilicet quasi aniles fabulas, & ab eis promissum, apertum & sincerum verum tenere, atque haurire cupientem? Sed quæ rursum ratio revocabat, ne apud eos penitus hærerem, ut me in illo gradu, quem vocant auditorum, tenerem, ut hujus mundi spem atque negotia non dimitterem: nisi quod ipsos quoque animadvertebam, plus in refellendis alijs disertos & copiosos esse, quàm in suis probandis firmos, & certos manere?*

Sanè verò, qui totum hunc librum tuum, & aliorum Prædicantum scripta de veritate Lutheranæ Ecclesiæ perlegerit, expenderitque reipsâ, non aliud comperiet, quàm Scepticorum, & fallacem priscorum hære-

ticorum doctrinam, qui ut Augustinus dixit, pollicitatione magni erant, seu ut Tertullianus lib. de Præscript. refert, semper illud Christi in ore habebant: *Quærite, & invenietis.* Quærite apud nos veritatem, quærite Ecclesiam, & apud nos invenietis. Ad quæ Tertullianus: *Sed ubi finis quærendi, ubi statio credendi? Apud Marcionem?* vel Martinum Lutherum? *Sed & Valentinus,* & Calvinus *proponit: quærite, & invenietis. Apud Valentinum,* & Calvinum? *Sed & Apelles, & Ebion, & Simon,* & Zwinglius, & Menno, & Gomarus, & Arminius, & Socinus, *& omnes ordine habent aliud, quo se mihi insinuant. Ero igitur nusquam, dum ubique convenior.* Imò verò cum impijs in hoc labyrinthi circuitu vagus, incertusque, ad fatalem mundi diem oberrabo, nec quietus ero. *Columba*, Gen.8. quam emisit Noë, *cum non invenisset, ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam.* Arca verò, SS. Patrum judicio, typus erat Catholicæ Ecclesiæ, quos inter D. Hieronymus comment. in c.11. Isa. *Quod arca in diluvio, hoc Ecclesia in mundo.* & in Epist. 57. Dardan. *Si quis in arca non fuerit, peribit regnante diluvio.* Id quod multo planius definitum in Concil. Lateranensi c.1. *Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvabitur.* Vale.

QUæ hisce quatuor libris de Carolo M. Romano-Catholico scripsi, ea omnia Romanæ quoque Ecclesiæ judicio submitto, idque ipsius Caroli M. exemplo, qui Romanam Ecclesiam caput, & originem omnium Ecclesiarum, Sacerdotalem matrem, & magistram fidei, in omnibus venerari se profitetur; quocum in Epistola ad Elipandum, & Hispaniæ Episcopos dico: *Apostolicæ sedi, & antiquis ab initio nascentis Ecclesiæ, & Catholicis traditionibus, tota mentis intentione, & tota cordis alacritate conjungor.*

FINIS.



ERRATA.

Pag.65. l.6. lege Paulus
Pag.234. l.18. lege Regis
Ibid. l.28. lege Romanæ
Pag.376. l.23. lege persolvendum
Pag.378. l.16. lege quot
Pag.381. l.3. lege lib.1. c.18.
Pag.488. lin.21. lege subjungit:
Pag.532. lin.26. lege adjecto:

. 30

